

**Mercuriale, Geronimo /
Chrosciejowski , Jan Hieronim (Ed.) /
Scheligius , Albertus (Ed.). Hieron.
Mercurialis ... de morbis puerorum.
Item de venenis et morbis venenosis.
Quibus adjuncta est Censura
Hippocratea**

*Basileae : ex officina Pernea per Conrad. Waldkirch,
1584.*

Cote : 35185 (1)

HIERON.

MERCVRIALIS
FOROLIVIEN. 35185

DE
MORBIS PVERORVM

Item de
VENENIS ET MOR-
bis venenosis.

Quibus adiuncta est CENSU-
RA Hippocrateâ.




BASILEAE

Ex officina Pernea per Conrad. Vvaldkirch

CIO IO XVIIIC.

Ex Bibliotheca illustrissimi JOHANNIS D'ESTREES,
Cameracensis Archiepiscopi designati, quam Monasterio
S. Germaui à Pratis legavit anno 1718.





AMPLISSIMO
 SENATVI POS.
 naniensi.

QUOTIES mihi vestrorum in me beneficiorum redit memoria, Senatus Amplissimi me, (redit autem per sepe, ut par est) toties non possum non maxime animo excitari, & cogitare rationes, quibus me eorum memorem esse comprobem: si namque sua quidque magnitudine metiendum est, atque in beneficis aduertendum, quo tempore aut loco, & a quo, aut quibus de causis collocantur, ego, eo ampliora accepi, quod a vobis Senatu gravissimo, nihil interea simile promeritus, diversis temporibus, opportunè admodum, multa & magna accepi. Neque enim vlla utilitatis spe ducti, quidpiam in me collocavistis, neque aliqua de me opinio ad bene mihi faciendum excitare vos potuit, quod a tenuitate mea sperari nihil queat, sed vestra tantum in bonis

):(2

nas artes concitata propensio, & quidam erga me amor, veluti fontes extiterunt, è quibus vestra in me benefacta manarunt. Itaque quo maiora sunt hæc omnia pluribus ornata conditionibus, eò magis contendam & enitar opus est, ut gratum me vel aliqua saltem ex parte cognoscatis. Non ergo diutius differendum putavi data nunc mihi vobis gratificandi occasiuncula, quin aliquod memoris erga vos animi argumentum darem. Clarissim^{us} Præceptor meus Hieronymus Mercurialis, vir inter eos, qui de arte medica nostra hac tempestate bene sunt promeriti, facile princeps, cum multis hinc inde præclarissimorum virorum literis sollicitaretur, ut copiam suarum de puerorum morbis dissertationum faceret, quod scilicet ille essent eiusmodi (ut tanti viri sunt omnia) quæ multo in Medicina usui esse possent, plurima continentes ex variis gravissimorum veterum monumentis eruta, & maximo cum iudicio simul comportata: iustis amicorum petitionibus cupiens satisfacere, cum tot exempla manuscribi non possent, quot petebantur, tandem secum ipse statuit, pro communi omnium utilitate, eas typis imprimendas dare. At quoniam nullum earum exemplar do-

mi

DEDICATORIA.

mi sua habebat, quæ tantum apud aliquos eius auditores ex ore ipsius, cum olim publicè illas habuisset, exceptæ reperiebantur, sciens me quoque fideliter descriptas habere, mihi id iniunxit negotij, meliorem in formã eas redigerem, reuiderem, & typis aptas facerem. Etsi vero iam in procinctu ad iter eram, quod me optimus pater meus ad se reuocaret: lubens tamen eius voluntati obtemperavi, & opus totum quæ maxima potui diligentia sæpius iterata lectione, à mendis omnibus, quæ passim in celeri scriptione facile occurrunt, perpurgavi, suprema etiam ipsius Auctoris manu adhibita. Perfecto ergo sic operi, atque in lucem exeunti, nomẽ vestrum Senatus amplissime præfigendum putavi, tum iccirco, ut vos (qui antehac semper mihi defensores fuistis) hac quoque in parte laboris mei protectores habeam, tum etiam ut dum optatissimus Liber iste, varias in regiones feretur, vestra in honestas Artes munificentia, & mei in vos grati animi lucus lentissimum per loca omnia simul euulget testimonium. Neque tamen inconuenit, tractationem, De morbis puerorum, Senatui dicari: si enim mores animi corporis temperamenta sequuntur, & à teneris vitia & vir-

):(3

*tutes imbibi queunt, atque ex puerorum ias
Etura aliqua Rebuspu. detrimēta ingruunt,
fortasse ad vos quoque pertinuerit, in vestra
quam sustinetis Repub. prouidere, vt ne vlla
circa pueros fiant errata. Suscipite ergo leta
fronte expectatissimi huius libri tutelam, &
Auctorem virum spectatissimum amplexi-
mini, & bene valete. Dat. pridie Kal. May.
Cl. Io LXXXIII.*

Amplitudini vestræ

maximè addictus

Ioannes Groscenius P. & M.D.

EPI-

EPIGRAMMATION

FRANCISCI HVNNIA-
dini Tranfil.

Ecqua Poli regio trisidi quisve angulus orbis
 Quodve latus terra laudum est immune tuarum
 Mercurij facunde nepos. Jam gloria testes
 Deserit occasus, alioq; renascitur orbe,
 Te Rhodani, Rheniq; cohors te Sarmatis arctos
 Te Scythae, te Mysus, Daciq; Getaeq; loquuntur,
 Certatimq; tuum prescribere pagina nomen
 Ardet, & ingenij monimenta propagat in aevum,
 Felix sorte tua, & gratis tam dives alumnis,
 En operum series tota circumfonat Arcto.
 Te Procerum cætus omnes, te purpura, & omnis
 Bibliotheca petit. Vultu tibi fauit amico
 Bellipotens populi pastor, tibi panditur omnis
 Regia. Sen natus, seu tu nascentibus almam
 Addis opem, te nascentes natiq; salutem
 Rite vocant, te ætas omnis, te sexus uterq;
 Conditioq; colit, puer hinc iuuenisq; medelam,
 Grandævus quo riuat habet, quo germinet infans.
 Tu regum sceptris aulisq; infesta venena
 Arte fugans mensis innoxia pocula miscet,
 Abstinent trepida mortes, inuitaq; Clotho
 Fila trahit, Lachesisq; doles sua pensa reuolui,
 Sponte sua seuæ primigna venena noueræ
 Ebibit, impunè inuisor non vlla clienter
 Fraus perimit, pascuntq; suos aconita colones:
 O hominum vitæ, d communi nate saluti.
 Non sic clara suum iactauit Pisa Tonantem,
 Illustresue suo Rhodos aurea sole colossos,
 Talis Apollinea prostratus gymnade Python
 Pena renascentium exutus, vitaq; soloque
 Marris onus pulsauit humum, sic Hercules Hydra,
 Hydra feræ lunonis honor, face, cuspide, claua,
 Concidit, & matrem maculauit sanguine Lernam;
 Ergo beata viris Posnania sancta Senatus

Excipe Phœbi tam nobile munus alumni,
Te gemina decorant claves insignia clara,
Panditur his via virtutum, nunc tertia clavis
Qua vita referatur iter, quæ secla recludit,
Accessit. Gaudete patres quæis dulcia cura
Pignora, vos opus hoc pueri crescente iuventa
Nocturna versate manu: versate diurna,
Vestra salus agitur, primævo in limine vite,
Hinc senium, hinc serî canos sperate nepotes.

PATAVII.

AVCTORES CITAT FERÈ

omnes, quos in tractatu de Venenis habes, præter istos:

Aelianus	Horatius
Aelius Promotus	Ioannes Leo
Andromachus	Ioannes Cortæus
Apollodorus	Isaias
Apuleius	Iulius Scaliger
Argenterius	Matthiolus
Athenæus	Mesuzæus
Aulus Gellius	Moyses
Ausonius	Opianus
Basilius	Philostratus
Clemens Alexandrinus	Picus Mirandulanus
Ctesias	Porphyrius
Dauid Psalmographus	Scribonius Largus
Diodorus Siculus	Serapton
Erasistratus	Sextus
Fracastorius	Solinus
Gentilis	Strabo
Heraclitus	Suetonius
Hesiodus	Virgilius

Vitruuius.

HIERONYMI
 MERCVRIALIS
 DE MORBIS
 PVERORVM
 LIBER I.

*Qui & quot sint morbi pueriles, & an sint
 curandi à Medico. Cap. I.*



QVOD Hippocr: 3: Aphorif.
 memoriae prodidit, omnes
 morbos omni ætate fieri: sed
 alios in vna magis, alios inf-
 nus; id etiam experientia &
 ratione quotidie comproba-
 tum habetur: Siquidem vide-
 re est omnes, & scnes, & pue-
 ros, aliquibus tamquã pecu-
 liaribus morbis vexari. Quare
 non immeritò miratus sum aliquando diuinum Pla-
 tonem, qui in Cãmide scriptum reliquit, omnes mor-
 bos in homine oriri ab animo. Vix enim in hanc lucem
 prodimus, vix nascimur, nẽdum animo potimur; cum
 exitalibus statim morbis tentamur; vt, quemad-
 modum est apud Aristotelem, & Plutarchum, iure ve-
 teres tam Græci, quàm Romani ante octauam diem
 pueris nomina imponenda noluerint; quòd scilicet

hoc tempore neque vita, neque sanitas sit tuta. Itaque de his morbis, qui penè natum, & adhuc tenerum, nec adultum hominem iugulant, statui hoc tempore copiosissimam tractationem habere; & ad eam impulsus sum, eò quòd non solum huiusmodi morbi frequenter & medicos, & miseros parentes exercent; verum etiam quòd hæc pars ita ieiunè, vt ne dicam imprudèter, à medicis tractata est, & à multis hoc tempore frigide admodum exercetur, vt liceat plura puerorum funera, quam corpora ad sanitatem redacta, adspicere. Tria tamen præmittenda esse puto, vt sint veluti quidam apparatus ad maiora penetranda: & primum illud erit; Nunquid puerorum morbi sint à medicis tractandi, & curandi? Non desunt enim, qui eos minimè curandos, sed naturæ submittendos iudicant. Aliud erit; Cur pueri, & præsertim lactentes, tam variis morbis sollicitentur? Tertium; qui propriè sint eorum morbi, & quot? Et, vt primum aggrediar, varias inuenio veterum sententias in partienda vitæ nostræ ætate, siue ipsa ad centesimum annum prorogetur, vt fuit opinio Aegyptiorum, & Varronis; siue eadem ultra septuagesimum non protrahatur, vt Dauidicum oraculum cecinit, non est tempus, neque occasio decernendi. Quidam in quatuor partes diuiserunt ætatem, in pueritiam, iuuentutem, virilitatem, & senectutem. Hippoc. 3. Aphor. plures fecisse videtur: nec desuerunt, qui quinque, aut sex fecerunt. Sed vt ad ea, quæ magis referunt, properemus, sat est nobis hoc constituere, pueritiæ ætatem vsque ad secundum septenarium definiri: licet enim Aristot. constituisse videatur, hominem primo septenario perfici; verum tamen potior mihi semper visa est & Heraclidis, & Stoicorum sententia, qui secundo septenario eum perfectum esse prodiderunt; eò quòd sicuti plantæ tum perfectæ dicuntur, cum primùm fructus ferre incipiunt: sic eo tempore perfectus homo appellandus, cum semen ferre, & speciem propagare posse inchoat. Itaque cum puerilis ætas, de cuius morbis sum tractaturus,

turus,

turus, hoc termino annorum finiatur, videndum est, quæ sit hominum cum ætate conditio: ita namque iudicare poterimus, num pueri laborantes à medico sint tractandi. Esse homines in hac ætate calidos & humidos, non modo Hippocrates manifestè docuit, verum etiam Gal. 2. de tempera. cap. 2. luculentissimè, & copiosissimè probauit, propter quod Aristot. quoq; 10. sect. problematum, problem. 45. solebat dicere, pueros cum calidi, & humidum sint, minimè vini, aut potus amantes esse. Cum igitur corpora calida, & humida omnium maxime corruptionib⁹, & putredini sint obnoxia, quis negare potest pueros, quantum ad corporis naturam pertinet, morbosissimos esse? Quod si etiam animum ipsorum cōsideremus, viuunt homo in hac ætate cupiditatibus, & libidinibus rotas deditus, vt hac ratione innumera quotidie errata ab eo committantur; quod magnus Arist. in principio libri Ethic. ad Eudemum dicebat, puerorum ætatem vsq; adeo & doloribus & morbis esse circumseptam, vt nemo cupiat ad puericiam reuerti. Quare cum hæc ætas ita morbida, & in summo periculo constituta sit, non solum congruum, verum etiam necessarium videtur, vt medicorum cura, & studio à tot morbis, & periculis vindicetur. Ex altera parte non desunt rationes, quæ persuadere possunt, pueros medicina tractandos non esse. Et in primis illud facere videtur, quod Aegyptij, apud quos omnia plena esse medicis dicebat Herodotus, cū omnium corporis nostri partium, omnium penè hominum medicos priuatos haberent, puerorum medicis caruisse constat. Accedit, quod si veterum monumenta & Græcorum, & Latinorum perferretur, non facillè inueniemus aut ab Hippocrate, aut à Galeno, aut ab aliis scriptoribus Græcis, hanc puerorū medicinam diligenter, quemadmodum deceret, pertractatam. Accedit his, quod, vt dicebat Plato primo de Republica, puer omni bestia intractabilior est, ob quod neque remedia admittere, neque regulam, aut rationem vllam seruare aptus est;

4
 quasi superuacanea futura sit omnis medici opera, quæ curandis pueris impenditur. Illud quoque adiici potest, ipsorum corpora tenerrima esse, & propterea difficulter admodum medicinas, inedias, ferrum, ignem perferre posse. Quibus rationibus nonnulli impulsu existimarunt, eos ipsi Naturæ relinquendos. Sed quemadmodum illi longè falluntur, sic existimandum quoque est Naturam, & Deum, qui hanc ætatem morbis laborare voluerunt, pariter etiam voluisse, vt remediis à medicina inuentis, curarètur, atq; liberarentur. Quamquam non est dubitandum, quin hæc alià dexteritate, & prudentia sit tractanda, quàm cæteræ ætates. Namq; eo magis pueri morbo affecti, medici vigilantia egere videntur, quòd cætera bruta, vt dicebat Aristot. 10. problem. 45. in hanc lucem & perfectà, & omnibus rebus necessariis instructa, exeunt: homo autem inermis, imperfectus, ex alieno nutu, & auxilio depèdens, ætutum miseras humanas experiri incipit, nec seruari posse videtur, nisi alterius beneficio. Cum itaque iam constitutum sit, eos hallucinari, qui pueros ægotantes nequaquam medicandos, voluerunt; descendendum est ad secundum problema, quo quærebatur, quæ causâ sit, quòd tam variis morbis afficiantur. Quinque sanè huius effectus inueniuntur causâ ex Hippocrate libro de octomestri factu. Vna est labor, quem in exitu sustinent. Cum enim per angustum meatum in hanc lucem exeant, maximos labores perferunt, & consequenter, corpus ipsorù imbecillum, & morbis obnoxium, redditur. Secunda est abscissio vmbilici propter partum; ob hunc enim & dolores, & inflammationes multas incurrunt. Tertia est inassuetudo huius aeris; cum enim in vtero viuant in summo tepore & tranquillitate, quamprimum hunc frigidum aerem experiuntur magnopere læduntur; & hinc est, vt dicebat Soranus Ephesius cap. 2. suæ Hægoges, quòd statim ac nati sunt pueri, vagire & plorare incipiunt; vt iure dixerit Plinius homines vitam à fletu, & à suppliciis inchoare. Quarta est


est, diuersitas nutrimenti. pueri enim, qui in vtero materno sanguine purissimo aluntur, vbi in hunc modum veniunt, cum lacte, & cibis vescantur, nutrimenti diuersitate fit, vt morbis variis, & multis tententur. Postrema ratio est, quod infantes in vtero molliter cubant, atque in mollissimo loco collocari sunt; huc dum veniunt, cum in stratis, & durioribus culcitrīs ponantur, iure fit, vt corpora ipsorum asperius tractata; morbis pluribus disposita fiant; ita vt inde iam satis pateat secundum problema. Superest vt videamus, qui sint morbi illi, & quot, à quibus pueri maximè cruciantur, & circa quos tractatio nostra tota esse debet. Sunt enim morbi pueriles non illi soli, qui pueros, & nullos alios exercent; sed illi etiam, qui & solos eos exercent, vt labores dentitionis; & frequentissimè turbant, vt Variolæ, & aliarum etiam Morbilli; qui, licet exercent alias aetates; diuerso tamen quodam modo exercere pueros & cruciari debere videtur; cuiusmodi existit Epilepsia, & multi alij. Iam verò morbi hi pueriles, alij sunt externi, alij interni. Est enim antiqua consuetudo, etiam ab Hippocrate libro de Arte & veteri medicina inuenta, vt morbi diuidantur in externos, & internos. Externi alij sunt, qui vniuersum corpus occupantes, aut fiunt ex additione, aut imminutione. Scimus enim Hippocratem in libro de flatibus definiuisse medicinam nihil aliud esse, quàm additionem, & imminutionem. Ex additione fiunt Morbilli, Variolæ, Achrochordones; & vt vno verbo dicam, omnes pustulæ, omnia exanthemata, quæ in toto corpore efflorescunt. Ex imminutione autem fit macies. Morbi verò qui occupant partes aliquas priuatas, vel occupant caput, vel aliquam aliam inferiorem partem. Caput occupat primò pedicularis morbus, quem dicebat Aristot. prima problem. 16. ferè huius aetatis proprium esse. Ad hæc hydrocephalus, seu aqua capitis, achores, melicerides, faui, inflatio capitis, magnitudo capitis, varij affectus oculorum, strumæ, fissuræ labiorum, vmbilici augmentum, ramex, anus

Procident, in tres, trigines femorum, quas Plinius attrita
 appellauit, perniones. Tot enim sunt morbi, qui exter-
 nas puerorum partes perturbant. Porro interni, qui to-
 tum corpus exercent, sunt febres variæ, quæ recense-
 tur quoque inter pueriles morbos, quod in pueris se-
 cus curandæ sint, quàm in adultioribus. Qui vero pri-
 uatas corporis partes exercet, aut fiunt in summo ven-
 tre, aut in medio, aut in infimo. Notum enim est, me-
 dicos plerosque corpus nostrum in tres cavitates diui-
 disse, in caput, thoracem, & ventrem. Morbi, qui caput
 exercent, sunt inflationes eius, insomnia terribilia, re-
 solutiones, siriasis, conuulsiones, vigilæ, oculorum,
 quemadmodum de nyctalopia scribit Hippocrat. 2.
 proret. & aurium affectus, adhæc sternutationes, san-
 guinis narium fluxus, Coryzam etiam Aristot. recenset
 inter morbos pueriles, problem. 15. dentium affectus,
 oris vlcera, seu aphthæ, ranulæ, tonsillæ. Medij ventris
 affectus sunt iussis, & difficultates anhelitus; de quibus
 veluti de morbis puerilibus loquutus est Hippocrates
 libro de sacro morbo. Postremò morbi infimi ventris
 sunt singultus, vomitus, aluius dura, & fluxa, tormina,
 lumbricorum genera, calculus, mictio vitata, & tene-
 smus. Hi sunt omnes, quos inuenio pueriles vocari, vel
 quia, quemadmodum dicebam, solos pueros exercent,
 vt vitia à dentitione orientia; vel quia frequentissimè
 vel alio pacto exercent eos, & alio pacto tractandi sunt
 quàm in aliis ætatiibus. De his autem maxima ex parte
 egam. Dico maxima ex parte, quâdoquidem iam non-
 nulli horum à me copiosè ita, & diligèter tractati sunt,
 vt nihil habeam, quod hoc tempore addere possim. Or-
 do autem à me tractandorum mihi familiarissimus is
 quoque hie erit, vt scilicet prius vniuersum morbum,
 quo ad nomen describam, post morbum ipsum defi-
 niam, deinde causas; mox effectus horum, qui sunt si-
 gna, declarabo: subinde prognostica addam, postremò
 nullam partè curationis relinquere conabor, incipiens
 ab iis, qui primò sunt enumerati, id est, à morbis exter-
 nis to-

nis to.

nis totius corporis, qui sunt Exanthemata, seu Variolæ,
& Morbilli.

De Morbillis, & Variolis. Cap. II.

 N E S humorum eruptiones, quæ fiunt
in cute, inuenio apud Medicos vocatas esse
communi nomine *ἐξανθήματα* seu *ἐξθύγι-
μα* possumus nos transferre efflorescências.
Nam quemadmodum arbores extuberant,
cum flores, & fructus emittere volunt; sic vbi natura ad
cutim tamquam ad cloacam propellere humores niti-
tur, modò tubercula, modò solas maculas facit: quæ
tamen omnia, vt dicebam, Exanthemata vocata sunt.
Aristot. qui semel tantùm vsus est hac voce 3. de hist.
animal. II. attribuit hoc nomen vitiligini, quæ procul-
dubio sine tuberculo macula est. Latini veteres ad imi-
tationem Græcorum appellarunt omnia exanthemata
papulas; & vt ego inuenio, primus, qui dedit hoc nomē
exanthematibus, fuit Virgilius in fine 3. Georgicorum,
vbi loquitur de peste; postea Plinius plerisque in locis.
Fuit etiam Scribonius Largus medicus inter Latinos
nō ignobilis: post hunc Marcellus medicus, & alij. Iam
verò papulas, seu exanthemata in corporibus puero-
rum apparentia medici Arabes, & præsertim Auicēn.
appellarunt Variolas, & Morbillos. Alzaraius medi-
cus grauissimus inter omnes, vocauit sua lingua Algi-
gram, & Alafmon. Vnus Rasēs in libro huic morbo di-
cato, appellauit communi quodam nomine pestem, ca-
ratione, vt ego existimo, quia cum primum hic mor-
bus cepit apparere, instar pestis orbem peruagatus, &
depopularus est: propter quod etiam Auicēn. & iure, in
prima quarti post tractatum de peste tractare voluit
de Morbillis, & Variolis: veteres Græci, & Latini nullum
nomen habuerunt, quo Variolas, & Morbillos appella-
rent, & huius rei ratio est, quia, vt copiosissimè demon-
strabo suo loco, hic morbus apud veteres nunquam vñ

sus est. Sunt ergo Variolæ exanthemata, seu tubercula
 in toto corpore omnium hominum, & præsertim pue-
 rorum, spõte efflorescentia cum febre, dolore, pruritu,
 & ichore purulento: longa vtor descriptione huius
 morbi, quia ad declarandum morbum nouum, neces-
 sarium est & longa, & perspicua descriptione, ceu pi-
 ctura, vti. Dixi exanthemata, seu tubercula; quando-
 quidem hoc nomen multis commune est, & Hippoc.
 3. Aphor. illud inter pueriles morbos connumerat, ita
 quod apertissimè tamquam genus accommodatur ad
 explicandam Variolarum naturam. Dixi exanthemata
 in toto corpore efflorescentia, quandoquidem etsi non
 semper hic morbus vniuersum corpus depascatur; attra-
 men plerumque totum turbat, aut saltem turbare a-
 ptus est. Quod si vna, vel alia parte tantum appareat
 interdum, id quodam casu potius fit, quam ex eius na-
 tura: quò fit, vt tametsi dicantur Variolæ propter simi-
 litudinem, quam gerunt cum varis, qui Cossi dicuntur
 Italica lingua; atamen nequaquam veri sunt vari; eò
 quòd, vt habetur apud Aristot. 36. partic. problemat. 3.
 vari nascuntur tantum in facie, Variolæ in toto corpo-
 re oriuntur. Additi sponte, ad differentiam multorum
 tuberculorum, quæ solent in humanis corporibus ap-
 parere cum causa manifesta. Nam grauissimus auctor
 Theophrastus in lib. de sudoribus scribit, ex laboribus,
 & sudoribus fieri in corporibus nostris eruptiones, seu
 exanthemata magnoperè variis similia, quæ tamè non
 sunt Variolæ, quia non fiunt sponte, sed à causa ma-
 nifesta, videlicet à labore. Quo fit, vt liceat nobis colli-
 gere pustulas, quas Celsus commemorat libro quinto
 capite vigesimo octauo licet sint variis similes; mini-
 me tamen Variolas esse putandas, eò quòd, vt idem
 auctor scribit, illæ pustulæ fiunt vel ab igne, vel à frigo-
 re, vel à medicamentis. Dixi omnium hominum, pro-
 pterea quòd inter proprietates huius morbi, hæc om-
 nium maxime illustris est, quod omnes homines hac
 labe aliquando tentantur. Dicebat Auenzoar cap. vii.

suz

suæ medicinæ, miraculum esse, si aliquis homo viuens
 euadat ab hoc morbo, & potius Dei beneficio adscri-
 bendum esse, quàm alteri causæ. Immo verò sunt ali-
 qui, qui hanc sententiã habuerunt, eos, qui numquam
 tentantur Variolis, si superuiuant, necessario fieri le-
 profos. Dixi præsertim puerorum, eò quod rarissime
 iuuenes, rarius senes tentantur Variolis, frequen-
 tissimè omnium pueri. Non defuerunt, qui opinati sunt,
 etiam bruta aliqua tentari hac ægritudine: sed iam
 ego huius sententiæ, propter causas, quas suo loco di-
 cam, hunc morbum solum esse humanum: fateor qui-
 dem fues inter bruta duobus similibus morbis tentari,
 quorum vnus est scabies, seu lepra, propter quam dicit
 Plutarchus 4. Symposiacorum 5. Hebræos religione
 quadam ductos à carne huius animalis abstinere: alter
 etiam est, qui *χαλαρα* à Græcis dicitur, à Latinis gran-
 do, de quo loquitur Aristot. 8. de hist. animal. 21. & 30.
 problem. 4. quem morbum dicit Philosophus cogno-
 sci lingua. & hic notandum obiter in loco illo proble-
 matum vocem græcam *ἀετος*, & lecturam Theodori
 panis, falsam esse, & in græco substituendum esse *ιχθυος*,
 in Latino autem varus. Albertus magnus 7. de anima-
 libus 2. putans eundem esse morbum, & grandinam, &
 lepram, vehementer hallucinatus est. Dixi cum febre,
 quia non solum febris perpetuo Variolas aut antece-
 dit, aut comitatur, sed etiam, vt dicebat Auengoar, est
 impetuosa, vel, vt dicit Auicem. conclusa: de qua suo lo-
 co. Dixi cum dolore, & pruritu, quia non solum miserè
 ægrotantes dolore, & pruritu vexantur, sed etiam vter-
 que interdum eos acerbissime vexat, vt vix tolerari
 possit, propter quod facile intelligere possumus papu-
 las illas laticas, de quibus Hippoc. loquitur 6. Aphor. 9. &
 6. Epid. sect. 2. in historia Simonis nequaquam Vari-
 las fuisse, quia præter alias differentias, hanc vnã ha-
 buerunt, quod non admodum pruriginosæ fuerunt.
 Dixi postremò, cum ichore purulento; eò quod, etsi in-
 terdum variis, & diuersis coloribus inficiantur: tamen

semper ab illis manat quidam tabus, qui ichor purulentus magis, quam verum pus appellari debet. Vnde iudicare etiam possumus papulas illas rotundas, paruas, quas scribit Hippoc. 3. in 1. Epid. in Sileno apparuisse, etsi similes varis essent, non fuisse Variolas; quod scribat eas in abscessum nequaquam finisse; cum Variolæ semper in ichorem purulentum, seu in abscessus aliquos finiant. Iam verò Morbilli sunt & ipsi exanthemata, seu efflorescentiæ quædam, quæ fiunt in toto corpore, præsertim in pueris: veruntamen, ut præclarissime docet Auen. etsi Variolæ, & Morbilli in multis conueniant; differunt tamen & in multis: conueniunt enim primum in materia communi, de qua suo loco copiosissime dicam: conueniunt etiam, quia utriusque & Variolæ, & Morbilli fiunt cum febre vehementi. Præterea, quia per vniuersum corpus propagantur cum aliqua cutis eleuatione; conueniunt etiam, quia & cum pruritu, & dolore fiunt tam Variolæ quam Morbilli, quos vulgus Italorum consuevit appellare modo cosfos, modo sturolas. Porro differunt etiam in multis: primo quia Variolæ sunt tubercula multum eleuata: in Morbillis verò vix apparet cutis eleuatio, ita ut nisi manibus tractentur, non possint diiudicari. Secundo, quia materia proxima ipsorum Morbillorum multo sicior, subtiliorque est, quam materia Variolarum. Tercio, quia Variolæ videntur propria quadam natura oculos petere: Morbilli verò multo minus eos affligere consueuerunt: postremo differunt, quod Variolæ fere semper in abscessus finiuntur cum emanatione ichoris purulenti, propter quod non solum pluribus diebus perdurare solent, sed etiam incredibiliter corpora deturpant, vestigia indelebilia relinquunt: Morbilli autem vix vnquam septimum diem pertranscunt, quin aut euanescent ex toto, aut maiori ex parte minuuntur, & absumantur; præterquam quod nullum vestigium, nullamque sceditatem in corpora inducunt. Ex quo intelligi potest, papulas illas, quas Hippoc. 5. Epid. scribit,

bit, apparuisse in filio Euphranoris, & quas etiam in Pherecide visas esse memorat 7. Epid. nequaquam Morbillos esse, vel fuisse, eò quod ille in octavo die apparebant, & similes erant moribus pulicum: Morbilli autem in secundo, aut ad summum in tertio die apparere consueverunt, & nullam omnino cum moribus pulicum similitudinem gerunt. Quemadmodum etiam intelligere possumus eas pustulas, propter quas scribit idem Hippoc. 1. Epid. multos pueros interiisse, nequaquam & ipsas fuisse Morbillos, quia & ille etiam similes erant moribus pulicum. Iam satis demonstratum est Variolas, seu Morbillos nequaquam eos esse, quos nominasse videtur Hippoc: Sed dubitari posset, an Aetius Morbillos nostros cognouerit, quandoquidem is lib. 5. cap. 129. tractans de pustulis, quae comitantur initia februm prauarum, aliquas esse scribit, quae culicium moribus assimilantur: libro etiam 14. cap. 63. memorat quasdam papulas, quas scribit in corporibus infantum fieri, ut iure quis posset dubitare nostros Morbillos eas esse papulas, quae ab Aetio referuntur. Ceterum si res exactissime perpendatur, facile intelligetur Morbillos nostros rem esse longe diuersam à papulis; non sunt enim priores relatae ab Aetio: ille nempe & similes erant moribus pulicum, & in febribus prauis oriebantur, & desinebant in vlcera. Morbilli vero nostri, praeterquam quod nullam similitudinem habent cum moribus pulicum, nunquam etiam in vlcera finiunt, nec sunt etiam posteriores maculae Aetij: quae scribit illas fieri consueuisse in cruribus mulierum, quae non menstruantur, & aliquando in infantibus; quorum neutrum in Morbillis nostris inesse, clarissimum est: Siquidem hi non aliquando, sed frequentissime fiunt in pueris: in cruribus autem mulierum non est proditum memoriae eas fieri. Quare satis mirari nequeo Manardum sua tempestate clarif. q. lib. 2. Epist. non crubuit asserere, herpes veterum fuisse Morbillos nostros, in quo refutando vterer longa oratione, nisi à Valeriola in suis medicinalibus obseruationibus. mibi

iste labor ademptus esset. Sunt Variolæ, & Morbilli, morbi, nec vnus generis, sed plurium: sunt enim morbi in magnitudine: quandoquidem tubera illa non solum impediunt operationem nature, sed etiam animæ, cum, vt experientia constat, motus impediatur, atque etiam dolor excitetur. Sunt etiam in mala temperie, quia etsi nonnulli dicant fieri interdum Variolas sine febre: tamen compertissimum est, & febrem perpetuo adesse, & vt dicit Auenzoar, eam esse impetuofam. Sūt etiam in solutione vnitatis, cō quia fere semper Variolæ in vlcera, & interdum praua desinunt; Nec solum hoc habent Variolæ propriè dictæ; sed etiam & illæ, quas vulgus Itatorum solet appellare modò coffos, modò stuiolas, quæ omnes proculdubio sunt ex genere Variolarum, & differunt tantum, quia Variolæ sunt omnibus minores, stuioli maiores: hī enim videntur vocari Variolæ plures simul continuatæ, & vnitæ. Locus affectus, si consideremus ipsam febrem, est corpus vniuersum, tam in extima parte, quàm intima; cum enim febris sit morbus vniuersalis, subiectum quoque eius vniuersale esse necessarium est. Sed video aliquem hic dubitaturū esse, quis sit locus affectus Variolarum, vt sunt morbi cutanei, siue vt afficiunt cutim: plerique statim pronunciant locum affectum esse cutim. Sed aduersus hos est grauissimū argumentum; quia morbus est constitutio præter naturam primò, & per se lædens actiones, & debet fieri circa eas partes, quæ habent actiones; cutis autem habet quidem vsum, sed nullam actionem. Videamus Gal. 6. cap. libi de causis morborum, vbi copiosissimis verbis demonstrat, cutim expertem esse omnis actionis tam animalis, quàm naturalis; quare si nullas habet actiones, nō potest esse subiectum vllius morbi. Hac in re ita statuendum esse existimo, cutim dupliciter accipi posse, vel pro sola cute, quæ alias corium vocari consuevit; vel pro cute, & partibus omnia ei adnatis. Si primò modò accipiamus, plane expertus est omnis actionis, quia vt dicit Gal. loco citato, est

est veluti quidam amictus, seu vestis, quo vt docet etiam Plato in Timeo, vestiuntur omnia membra corporis, & simul vnita continentur; itaque hoc modo accepta cutis, nequaquam subiectum esse potest alicuius morbi. Sed si capiatur secundo modo, sic dicebat Gal. in lib. de temperamentis, esse instrumentum tactus, ad eam pertingere neruos, & propterea habere etiam actiones: vnde hoc modo accepta est quoque subiectum morborum: non enim in Variolis afficitur sola cutis, sed etiam partes cuti adnatae, vt suo loco copiosissime indicabo. Sunt Variolae, vt dixi, morbi; morbus autem dupliciter potest considerari, & vt effectus, & vt causa; vt effectus, habet suas causas, quae à medico diligenter sunt perpendendae: vt causa habet suos effectus, qui sunt symptomata, quae consequenter sunt signa, & indicia ipsorum morborum, adeo quod speculatio signorum nil aliud est, quam speculatio maxima ex parte effectuum morborum. Quamobrem vt integra fiat haec tractatio, prius videndum est, quae sint causae horum morborum, deinde videbimus effectus. Causae Variolarum aliae sunt internae, aliae externae: internae aliae sunt immediatae, aliae vero mediatæ: immediatas possumus appellare coniunctas; mediatas vero antecedentes. Internae immediatae, vel sunt materiales, vel efficientes: De vtrisque, haec est sententia Auicennae, & omnium Arabum, materiam, ex qua fiunt Variolae, & morbilli, nihil aliud esse nisi reliquias excrementitias sanguinis mensuræ, quo nutriuntur fetus in utero: causam vero efficientem esse naturam, vel calorem naturalem, qui inquinamento hoc menstrualis stimulatus, vniuersum sanguinem exagitat. In qua exagitatione cum multus motus & labor fiat, calor præternaturalis excitatur, ac subinde in sanguine fit ebullitio; propter quam sequitur, vt illæ sordes menstruales tanquam excrementum à sanguine secernantur, & secrete in partes cutaneas tanquam in comunem cloacâ extrudantur; vbi si materia calida sit & viscida, Variolas parit; sin

sicca, & subtilior, non Variolas, sed Morbillos inducit. Adfert Auicennas, & omnes Arabes exemplum de multo, quod sicuti in multo feruente excrementa omnia à puro vino seceruntur: sic in hac sanguinis ebullitione inquinamenta illa menstrualia exactè segregantur à puro sanguine. Hæc est Auicennæ, & omnium ferè Arabum hætenus recepta sententia de causâ materiali Variolarum, & Morbillorum. Vnus Auenzoar, auctor inter Mauritanos maximus, duas sententias habere videtur: vna scripta est in libro suæ medicinæ tractat. 7. cap. 2. vbi eadem sequutus est sententiam, quam supra habuit Auicennas; in postremo vero capite sui libri, quod pulcherrimum est, diuersam omninò secutus est; quæ vt exactè penetrari possit, sciendum, totam eius sententiam in tribus placitis positam esse, quæ omnia sigillatim declarabo. Primum est, foetum in vtero non nutriri sanguine menstruo, sed sanguine totius corporis purissimo, & vt Hippocrates dicit in libro de natura pueri, dulcissimo; atque hanc sententiam testatur fuisse quoque Galeni: neque nos fefellit, quia Galenus libro de Semine 8. & 1. de Sanit. tuen. habet illam sententiam, foetum in vtero nutriri sanguine purissimo. Adfert huius rei rationem Auenzoar, quia cum sanguis menstruus singulo mense vt inutilis, & perniciosus eiciatur, si esset nutrimentum foetus in vtero, necesse esset ipsum pernicioso nutrimento altum contaminari omninò, & morbidum fieri; & quia videbat bonus hic auctor Galenum etiam quandoque dixisse nutriri foetum sanguine menstruo; occurrit huic objectioni, & dicit eum, quando dixit foetum nutriri sanguine menstruo, communem Græcorum consuetudinem secutum fuisse, qui sanguinem quemcunque fluentem ad vterum vocare consueverunt sanguinem menstruum, quemadmodum quodlibet aposteina gulæ appellant anginam; quodlibet lateris pleuritidem. Secundum placitum Auenzoar est, foetum, etsi in vtero nequaquam nutriatur sanguine menstruo; tamen ab

eo magnoperè inquinari, & maculari. Modus autem quo præclarissimus auctor docet sanguine menstruo foetum inquinari, hic est, quod sicuti videmus vasa, etsi vitreata sint, à rebus impositis inquinari, ita ut si in aliquo vase diu detineatur fermentum, ac deinceps fermento illo ablato, noua pasta imponatur, expertum fit pastam illam nouam contrahere vim fermenti à vase inquinato; sic fit, inquit, ut foetus in utero diu contentus tandem in sese contrahat tabum, atque labem sanguinis verè menstrui. Et quia poterat aliquis dicere, si inquinatur foetus in utero diu contentus sanguine menstruo, debere quoque in eo ægrotare foetum. Respondet, id minimè fieri propter duas causas; prima est, quia non nutritur eo sanguine, licet inquinetur? Secunda, quia facultas conseruatrix matricis adeò potens & efficax est, ut non permittat ægrotare foetum in utero etiam tabo menstruo inquinatum. Tertium est, quod ubi infans ex utero egressus est, mirificè quotidie inualefcit, augetur, & robustus euadit; quò fit ut natura robustior effecta, tandem à sanguine omne inquinamentum amoliri aggrediatur; quod cum agat summo labore, & summa vi, necessariò sequuntur deliria, febres; atque, inquit Auenzoar, contingit, quemadmodum ubi butyrum à caseo extrahitur, quia si separandum est butyrum, necessum est ut totum lac in vase angustissimi oris vehementer conuassetur, in qua conuassatione pars butyrofa abscedat, & segregatur à caseo; sic, inquit ipse, in hoc magno labore naturæ, segregantur fordes omnes menstrui sanguinis, atque tandem sanguis depuratur. Addatur exemplo Auenzoar, quòd sicuti ubi semel butyrum exactè separatum est à caseo, fieri non potest, ut amplius secernatur, etsi millies iterum bulliat; sic quoque fieri, ut ubi quis semel variolis captus est, amplius capi non possit. Sententia autem eius, licet in aliquibus diuersa videatur ab Auicennæ sententia: tamen in hoc potissimum con-

uenit, quod variolæ, & morbilli fiant à materia sanguine menſtruo ſœdata. Auicennæ ſententiam pars maior recentiorum ſecuta videtur, & inter cæteros diſcretiſſimus Fracaſtorius libro ſecundo de Morbis contagioſis ſecund: Ego verò partim cum Arabibus conuenio, partim ab iis diſſentio; in hoc conuenio, fœtum in vtero nutriri eo ſanguine, qui fluit ad vterum, atque eo, & puriſſimo, & dulciſſimo; ſed quia æque bonus, & prauus ſanguis ſimul ſunt miſti, fieri puto, vt cum ſanguine puro fœtus nō nihil etiam impuri attrahat, vt maxima ex parte in vtero fruatur optimo, & puro ſanguine: ſed fieri nequaquam poſſe, quin etiam non nihil prauī ab ipſo attrahatur. Nec obſtat huic ſententiæ, quod ſcriptum eſt à Galeno primo de Symptomatum cauſis ſeptimo vbi dicebat, primis duobus menſibus fœtum nutriri ſanguine puro; aliis verò attrahere etiam nutrimentum impurum, & propterea magna ex parte vitioſo ſucco nutriri; quandoquidem præterquam quod in interprete antiquo Galeni deſt illa particula, magna ex parte: accedit etiam, quòd ſi rectè eo loco iſ intelligatur, ſermonem habet nō ſimpliciter de omni fœtu, ſed tantum de illius mulieris, quæ laborat pica; Siquidem hoc veriſſimum eſt, fœtum mulieris pica laborantis maxima ex parte vitioſo alimento nutriri; quòd corpus eius ſit vitioſiſſimis ſuccis maxime plenum; in hoc itaque cum Arabibus conuenio; in eo autem magnopere diſſentio, quòd nequaquam credam veram materiam variolarum aut eſſe ſanguinis menſtrui excrementum, aut reliquias nutrimenti à menſtruo ſœdatis: atque ad hoc exiſtimandum impellor multis, & ni fallor, grauiſſimis rationibus. Primò, quia variolæ maxima ex parte proueniunt vitio morbidi cœli, vel aeris; atque hoc non ego dico, ſed ipſimet Arabes, qui hanc ſententiam habent, & in primis Raſes decimo octauo continentis, & Auicennas; ſed maxime omnium mirabilis ille Auenzoar, qui in fine ſui libri ſcribit.

ſe iccir-

ſe iccirco tractaſſe de variolis, & morbillis poſt tractationem de peſte, quia ſere ſemper eueniunt ex vitio aeris vel ſubſtantialiter corrupti, vel propter aquas, halitus terræ, & cadauera; hoc etiam verum eſſe maxime omnium teſtantur, qui hiſtorias nouæ Indiæ conſcripſerunt, apud quos videre eſt eius regionis incolas quōdam pene extinctos eſſe omnes à variolis vitio cœli vagantibus; vt cum hoc conſtet omnis ordinis homines extinctos eſſe vi huius morbi, id etiam compertum videatur non fuiſſe, neq; eſſe potuiſſe propter materiam vitiatā à ſanguine menſtruo, eo maxime, quod ijdem, qui conſcripſerunt has hiſtorias, aiunt quo tempore noſtri ab illis acceperunt luem gallicam, illos viciffim à noſtris accepiſſe variolas, & morbillos. Secunda ratio eſt, quod vitium ſanguinis menſtrui ſempiternum eſt à mundo nato poſt peccatum Eux: Vnde factum eſt, vt homines ſemper hac menſtruum labe ſint labefacti. Perennis quoque eſt cauſa efficiens, ſcilicet natura, aut calor naturalis. Quare cum ſemper fuerit materia & agens, iure debuiffent omni tempore homines hoc morbo vexari. Sed hoc falſiffimū eſt, quandoquidem ante tempora medicorum Arabum nullum reperire licet auctorem, à quo hos morbos aut generatos, aut clarè explicatos habeamus. Si enim veteres auctores nobis non inuiderunt tractationes morborum minorum, cur exiſtimare debemus, eos nobis inuiſuros fuiſſe tractationem huius morbi, qui (ingenuè fateor) omnium eſt maxime grauis, & inſignis? Nec valet quorundam ratio, qui dicunt forſan veteres non habuiſſe hos morbos, quia temperatiorem vitam traducebant, quàm nos: quoniam nugæ ſunt meræ. Si enim ſunt propter labem illam menſtrualem, & hæc perpetua eſt, aut nihil, aut parum omnino facere poteſt victus ratio. Præterea ſi à temporibus Socratis vſque ad hæc noſtra tempora mores hominum æſtimemus, ſemper luxus maximus fuit: nonne Plato temporum ſuorum imenſos luxus deſertatur? nonne Galenus i. Methodi,

b

& plerisque alijs in locis extollit suorum temporum
intemperantiam? Sed quid hic moror? nullus est au-
ctor Latinus, aut Græcus, qui non suorum temporum
& luxus, & intemperantias detestetur. Vana est ergo
responsio horum, quod propter victum hic morbus
fuerit nouus. Tertia ratio est, quod nullus est homo,
qui in iuuentute, vel adolescentia, vel virilitate aliquo
morbo graui non laboret, in quibus morbis fit in fan-
guine ebullitio, fiunt putredines, donec expurgantur
uarijs, & diuersis modis corpora: quod si in sanguine
feminaria huius mali à mensuris relicta essent, debe-
rent & hæc purgari, & propterea post alios morbos ho-
mines immunes esse ab his malis; quod quidem ne-
quaquam probatum est: quod certo videamus homi-
nes etiam immediatè post alios morbos graues tentari
hac ægitudine; immo verò hoc vsu euenire solet, vt
qui sunt colore floridiore, qui habent quasi inculpatâ
sanitatem, maximè exerceantur ab his malis. Scio posse
morbos latere in corporibus, vt femina veneni canis
rabidi, quæ etiam post multos annos se produnt: Scio
ab Hippocrate lib. de Affectibus, tradi morbum quendam
licis, quem scribit quatuordecim annis in corpo-
ribus nostris latere: Scio Alzarauum, medicum gra-
uissimum scripsisse feminaria lepræ in corporibus per
plures annos abscondi, ita vt qui tempore fluxus men-
struorum sunt concepti, interdum post decem, duode-
cim, viginti, atque plures annos leprosi euadant. Sed
alia ratio est, quia potest quidem in aliqua parte latere
feminarium alicuius morbi, vt locupletissimè docui,
dum de peste & canis rabidi veneno tractarè; sed quod
totus sanguis ita infectus possit perdurare, & tot iniu-
rijs resistere, omnino rationi dissentaneum videtur.
Sed video responsurum esse aliquem, interdum fieri vt
huiusmodi sanguis mēstruus, seu labe infectus ferueat,
& non semper in variolas, verùm in morbos prauos, in
febres pestiferas finiatur, sed si hoc verum esset, debe-
rent saltem isti reliquo vitæ tempore immunes esse ab
hoc

hoc malo, quod nequaquam apparet. Quarta ratio est, quia ut scribit Aristot. 6. de histo. animalium 18. & 1. de Generatione animal. 19. omnia bruta sanguinea, mensuras purgationes habent, & inter cetera equus, canis, asinus, si ergo hæc etiam animalia habent materiam morbillorum, & calorem agentem, cur non tentantur variolis, & morbillis? Si enim, ut dicunt Arabes, hæc esset vera materia, deberent & bellæ tentari hoc morbo, quod nequaquam experientia est comprobatum. Scio aliquos huic obiectioni responsuros, propterea tentari solum hominem, quia, ut idem Aristot. scribit, mulier maxime omniau copiosissimis mēstruis laborat. Sed hæc responsio nihil valet, quia copia maior, vel minor mensuorum potest quidem facere, vel ut plurimis, vel paucioribus variolis exerceantur bruta, & mulieres; sed quod hac ratione illa debeant prorsus carere hoc morbo, sanè hæc ratio nō facit, eō magis quod animalia prædicta ferè omnibus his morbis exercentur, qui hominem tentant. Quinta omnium clarissima ratio est, quia sapientissima natura tres modos excogitavit, quibus ut tueatur animal omnia excrementa nutrimenti excernit, omnes turpitudines ejicit ut homo incolumis, & sanus in hunc mundum exeat. Unus est, quando fœtus in utero reperitur; dicit enim Gal. 1. de symptom. causis 7. excrementa nutrimenti, quo fœtus alitur, omnia a natura deponi in duabus tunicis, quæ ipsum ambiunt, ut si quid impuri nutrimenti attrahitur à fœtu in utero, totum penè deponatur, à provida natura inter hujusmodi tunicas. Alter modus est, quando fœtus statim in hanc lucem egreditur: dicit enim Hip. lib. de carnibus, seu de principijs, ut ego inscribendum puto, ipsum statim atque in hanc lucem venit, excrementa omnia impura expurgare per intestina. Quam sententiam Aristot. quasi explicans 7. de histo. animal. 10. scribit, statim atque fœtus ortus est, reddere copiosius excrementum, quam pro magnitudine illius conveniat, quod dicit à mulieribus vocari *μικρόν*, vel ut

transtulit Gaza, papauerulum : addit huiusmodi excrementum, modo colore cruentum esse, modo piceū, modo albidum. Tertius modus, quo vititur natura in depurando fœtu, est post aliquod tempus ab ortu, nam Hippoc. lib. de Sacr. morb. scribit, fœtus editos varijs in capite morbis agitari, vlceribus, achoribus, atque alijs, quæ sunt veluti germina quædam prauorum humorum : & hos morbos, inquit, tanti referre ad fanitatem fœtus, vt quicumque exercentur his malis, immunes euadant ab epflepsia : nec vlla alia ratione, inquit, nisi quia per hos morbos expurgantur excrementa pituitosa, quæ in vtero contraxit. Si ergo natura salutis humanæ sollicita, tot modos excogitauit, vt non semel, sed iterum, atque iterum fœtum emundaret ab omni illuue, quid suspicari debemus in omnibus hominibus tanto tempore excrementa sanguinis mœstrui perdurare ? Vana quidem potest esse naturæ solertia in vno, vel in altero, sed quod in omnibus hominibus decipiatur, quod frustretur semper à fine, quem intendit, absurdissimum omnium mihi videtur. Quapropter constare puto fieri nequaquam posse vt causa materialis morbillorum, & variolarum sit ea, quam excogitarunt Arabes. Fernelius vir ingeniosissimus 2. de abditis rerum causis cap. 12. suis & ipse rationibus refutare conatus est placita Arabum, quibus refutandis nouam, sed sibi consuetam sententiam protulit, videlicet morbillos, & variolas suam originem ducere à cæca, & arcana aëris vitiatæ qualitate. Fieri enim primum ab aere probauit hac ratione, quia huiusmodi morbi solent interdum filere prorsus, interdum magnopere sæuire in plebem, & homines ; quæ conditiones videntur solummodo in his morbis reperiri, qui ab aere originem ducunt. Fieri deinde à cæca, & non manifesta qualitate, hoc argumento putauit se demonstrasse, quia variola, & morbilli æquæ fiunt in temporibus feruentissimis, atque in summo frigore, æquæ in humido, atque in sicco ; vt propter hanc rationem dicat non esse generationem

rationem

rationem eorum adscribendam manifestis qualitatibus aeris, sed potius abditis, & arcanis. Tertia eius ratio est ex accidentibus, quæ comitantur hos morbos, ex capitis dolore, grauitate, inflammatione faciei, delirio, difficili respiratione; quæ omnia, inquit, ex eo venire, quod aer attractus in cor, illud inficit, consequenter corde infecto & caput, & totum corpus inquinat. Quarta est, in vrinis eorum, qui morbillis tenentur, nullum adesse signum neque putredinis, neque alterius manifestæ qualitatis; & ideo cum accidentia praua sint, & nulla signa manifesta, necessario colligendum esse hos morbos à praua, & cæca qualitate oriri. Vltima ratio est, faciem, & corpus tam intrinsecus, quàm extrinsecus eorum, qui morbillis tenentur, vsque adeo horrendo esse adspectu, vique adeo foedi coloris, & habitus, vt nequaquam horrendi huius mali assignari possit manifesta causa, sed potius recurrendum sit ad occultas, & reconditas; eò maxime, quia tanta est huius morbi immanitas, vt sæpe liceat videre mulieres edere foetus variolis inquinatos. atque etiam cadauera laborantium variolis secta, viscera omnino habere variolis, & morbillis maculata. Hæc ergo est Fernelij sententia, contra quam cum videret obiectionem, quod si ab aeris qualitate morbus oriretur, non debere eo magis pueros tentari, quàm senes, ac viros, illi respondet hunc in modum: qualitatem aeris nobis inimicam rem esse admodum efficacem, & propterea viros resistere aeris iniurijs; pueros autem nequaquam posse. Atque tot fuerunt eius fundamenta, contra quam sententiam multa sunt, quæ ipsam ex toto euertunt; illud autem potissimum est, quod et si Variolæ, atque morbilli interdum magis, interdum minus vagentur; attamen nullum est tempus, in quo aliqui non capiantur illis: & ego his annis, quibus medicinam facio, ne dicam singulo mense, saltem singulis annis curauim laborantes variolis. Si ergo fieret hic morbus ab arcana aeris qualitate,

consequens esset, vt semper hæc qualitas in aere esset, quod nõ solum est contra rationem, verum etiam contra ipsum Fernelium, quando scribit de accidentibus & corporis deturpatione, quam faciunt variolæ. Contra rationem est propter duas causas. Prima, quia hæc omnia originem ducunt à materiæ prauitate. Secunda, quoniam si tot horrenda accidentia, quæ spectantur in variolis, proficiscuntur ab inimica aeris qualitate, necesse esset, vt hæc qualitas & insignis, & efficax sit. Si ergo est insignis, cur dicit Fernelius immunes esse viros ab hoc malo, quia aeris qualitas non est admodum efficax? Neque quidquam facit, quod scribit in urinis nullum apparere putredinis indicium, eo quia hoc argumentum non est cæcè alicuius qualitatæ, sed tantum indicat materiam totam è venis à natura expelli extracæ; propterea cum sanguis purus remaneat, consequenter urinas, quæ exeunt à venis, puras, & claras esse. Miror autem Fernelium doctissimum, quod sine vlla auctoritate, sine vlllo testimonio dixerit exanthemata, & *exanthemata* apud Græcos medicos diuersa esse, & consequenter sub his veteres variolas, & morbillos docuisse, quandoquidem omni studio hanc rem peruestigauit, nec potui inuenire vllam insignem differentiam inter has duas voces apud Græcos medicos, quemadmodum multum abest, vt exanthematibus vllus auctor tribuerit ea, quæ conueniunt variolis, & morbillis. Quis enim scriptor dixit vnquam exanthemata omnes homines tentare? quis dixit ea magis pueros afficere? apud quem reperiemus ipsa vsq; adeo deturpare omnes homines? Nugæ sunt, quod veteres sub exanthematibus complexi sint variolas, & morbillos nostros. Nec quidquam facit auctoritas illa Hippocratis lib. de vsu humorum, vbi scribit frigidum iuuare papulas rubras in corporibus teneris, & quæ sequuntur: quandoquidem si causas examinemus eo in loco productas, multum abest, vt variolis nostris illæ conueniant, præterquam quod scribit Hippocrates frigidum iuuat

uare illas papulas, cum nostris variolis nihil sit magis aduersum, quam frigus, vt videbitur quando tractabo curationem. Fuchsius vir laboriosissimus suum Manardum lib. 6. Epidem. comment. 2. text. 12. & 5. libro de ratione medendi capite 9. secutus, in aliquibus videtur Fernesium imitatus, sed in pluribus propriam quandam sententiam habet: conuenit cum Fernesio, quia & ipse Manardum sequens, voluit veteres medicos per exanthemata & ~~exanthemata~~ etiã declarasse variolas, & morbillos: dissentit autem ab eo, quia morbillos, & variolas non ex alia materia generari dicit, quam ex illa, ex qua dicunt veteres fieri sua exanthemata, id est, ex humoribus omnis generis excrementicijs. Multis autem rationibus vltus est ad hanc suam sententiam confirmandam, & in primis auctoritate Galeni 6. Aphoris. 9. quo in loco scribit duo esse exanthematum, seu papularum genera: vnum altum, aliud verò humile, & latum. Genus altum, inquit fieri à materia calida: latum autem, & humile à frigidiore, & propterea has papulas esse sine pruritu, & consequenter citò diffiliari, quia hæc materia dilatata promptius, & facilius dissipatur. Addit Fuchsius exanthemata, quæ sunt altiora, esse morbillos, atque vlcera facere: latiora verò esse variolas, nec post se vlla vlcera relinquere; ita vt secundum huius viri sententiam & morbilli, & variolæ nostræ magnopere conueniant papulis à Galeno relatis, & vt magis suam opinionem confirmet, vtitur testimonio Rasis, quem inquit ille suum librum de variolis inscripsisse de exanthematibus, quasi etiã hic auctor variolas exanthemata esse voluerit. In qua re improbat Fuchsius Georgium Vallam, qui transferens hunc librum in linguam Latinam inscribit de peste, non autem de exanthematibus. cæterùm hæc doctissimi Fuchsi sententia reprobatur; quia multis erroribus mihi videtur esse implicata. Primùm enim omnia patitur, quibus refutata est sententia Fernesij, quod

scilicet multum abest veteres sub exanthematibus declarasse variolas, & morbillos, præterea patitur & hoc, quod cum variolæ, & morbilli sint nomina ab Arabibus inuenta, æquum est, vt eo pacto nos ijs vtamur, quibus ipsi sunt vsi. Jam verò quos vocant ij morbillos, Fuchsius suo Marte appellari vult variolas: eos verò, quos vocant variolas, ille appellat morbillos. Sed de hoc nomine ipsi indulgeri posset, nisi in re ipsa magis erraret: quandoquidem exanthemata, quæ fiunt humiliora, & latiora, vult fieri à materia frigida, atque etiam sine pruritu; quorum neutrum neque morbillis, neque variolis accommodatur; nam, vt dictum est, variolæ fiunt à materia calida, sed crassa, & cum pruritu. Morbilli autem qui sunt humiliores, tam abest, vt fiant à materia frigida, quam certissimum est fieri eos à calidiore & tenui. Accedit verò, quod scribit fieri sine pruritu; cum tamen vtrisque pruritus adfit, & præsertim variolis. Quare, parcat mihi huius viri manes, neque ipse intellexit Arabes, neque experientia comprobauit differentiam variolarum, & morbillorum nostrorum. Sed est aliud forsân non minori nota dignum, quod scribit Rasem librum suum inscripisse de exanthematibus. Et vt hoc intelligatur, sciendum Rasem librum suum scripisse lingua Mauritana, ex qua postmodum fuit in Græcam translatus, & de Græca in Latinam. Qua voce vsus sit lingua Arabica non est mihi compertum, sed sejo librum Græcum inscriptum esse *περι λοιμωδ*, id est, de Peste. ac poterit liber Parisijs excusus consuli, quem tres doctissimi viri in Latinum transtulerunt, Macherius Mutinensis, Georgius Valla, & Andemacus Germanus, qui omnes inscripserunt librum de Peste, adeo quod in hac re, quæ non minimi est momenti, pateat Fuchsiū sefellisse. Post hos omnes surrexit, alter medicus auctor doctissimus, qui diuersam ab omnibus sententiam de variolis proposuit: atque hic fuit Alexander Petronius, qui Romæ medicinam non

fine

fine laude exercet: hic enim in libro suo de morbo gallico typis excuso, conatus est etiam copiosissime demonstrare vnam, & eandem originem esse lepræ, morbi gallici, variolarum, & elephanthiasis: quos omnes morbos imaginatus est originem ducere ab alimento foetus in utero putri: inquit enim, dum foetus est in utero, eius alimentum copiosissimum esse, & propter copiam putrefieri, atque ita hoc alimento putri nutriri foetum; cuius pravi, & putridi nutrimenti, inquit, seminaria toto vitæ nostræ tempore in corpore seruari, & potissimum circa cutem: & quia hæc seminaria sopita sunt, inquit, opus habere impulso aliquo, qui illa excitet, & erumpere faciat: impulsorem autem dicit esse calorem putredinale excitatum vel ab aere, vel à contagio, vel ab aliquo alio in victu errore. Quam sententiam vt refellam, non erit mihi opus tot verbis, quot ipse vititur; nam clarissimum est, eam omnium scriptorum auctoritatibus, & quod peius est, euidētissimæ rationi repugnare. vt enim diximus, potior pars scriptorum medicinæ in hanc sententiam venit, foetum in utero, si bene valet semper optimo, puro, & dulcissimo nutrimento nutriri; quò fit, vt nutriri putrido alimento sit rem dicere omnibus scriptoribus aduersam. repugnat etiam rationi, quia, vt optimè scribit Gal. 1. de symptom. causis 7. quò plus est alimenti in utero, dum foetus in eo est, eò magis ipsum nutriri puro sanguine; quia si nu tritur interdum impuro, sit tantum propter inopiam; præterea foetus dum in utero est, imbecillus est, infirmus; ita vt nisi alimenti bonitate continuò sustentaretur, periculum esset ne corrueret, & interiret. Ridere ergò soleo huius viri exemplum; inquit enim hoc putre alimentum esse foetui maximè familiare, quemadmodum est putredo ranis, quæ ea victitant, & in ipsa adolefcunt. Bonus iste vir miror quo modo ita cæcutiat. nam certum est alimentum à natura animalibus tradi secundum temperaturæ dignitatem, ita vt si animalia sortita sint ignobilem

temperaturam, ignobili etiam victitent alimento, & ignobili loco conferuentur: quæ vero nobiliorem habent temperaturam, æquum fuit, vt illis traderetur nobilius alimentum. Iam verò nulla est temperatūra nobilior humana, quò fit, vt necesse sit eam sustentari nobilissimo alimento, & loco mundo. Ranae sunt donatæ ignobilissima temperatura, & forsan propter hæc veteres eas nunquam voluerunt gustare; quare non est mirum, si etiam putri alimento vescantur, & in locis putridis versentur. Hippoc. 4. de morbis longo discursu monstrare conatur foetum, si vitioso lacte vescatur, morbos innumeros & exitiales subire: quò fit, vt si in vtero nutriatur alimento putri, multo magis debeat & morbos, & mortem subire. Nec quidquã facit, quòd, vt ipse scribit, hæc putredo fiat in nutrimento, nõ propter qualitatem, sed tantum propter intensam copiam: quoniam, vt dicit Hippocrates in libro de affectionibus, alimenta quanto sunt meliora, & accommodatiora, si propter copiam corruptantur, eorum corruptela multo deterior est, quam sit ciborum, qui & minus nutriunt, & deteriores sunt: vnde forsan emanauit, quòd repletio ex pane sit omnibus deterior. Quòd si verum est, vt dicit Hippoc. si alimentum corrumpitur, & putrescit ob copiam, cum alimentum sanguis sit, & qualitate non peccet, debet ob copiam corruptus deterrimam corruptelam assequi, & propterea foetui non familiaris, sed exitialissimus esse. Postquam aliorum de Variolis sententias recitauimus, tempus est, vt quã ego sequar, & breuissimè, & lucidissimè aperiam; quòd vt feliciter cõtingere possit, nonnulla necesse est supponere, ex quibus quid sentiam intelligi poterit. Est autem illud primum, variolas, & morbillos à veteribus ignoratos, & alto silentio præteritos fuisse. Pluribus hoc confirmare conarer, nisi iam à me multa hac de re essent dicta; illud tamen tacere non possum, tot esse huius morbi proprietates, totque habere ab aliis morbis diuersa, vt si veteres huius rei aliquam cognitionem habuif-

habuissent, necessarium esset de iis aliquid illos dixisse: neque hoc mirum videri debet, quia sicuti apud Indos cepit hic morbus esse, qui non erat; sic non est præter rationem, aliquando eum in regionibus nostris non fuisse, & aliquando esse cæpisse. Vtrum autem, quando cæpit, ortus sit vitio cæli, an aeris, an aliqua alia re, difficile est in tanta rerum difficultate, & obscuritate discernere. Scio Plutarchum in Symposiacis disputare copiosissimè, morbos novos fieri à victus mutatione: scio multos in Italia, & alibi novos morbos apparuisse & contagio, & alia ratione: sed suspicor vehementer morbillos, & variolas, cum primùm esse cæperunt, vitio cæli, & aeris factas esse: quod me ad hoc credendum mouet, illud est, Arabes medicos, quorum tempore videtur cæpisse hic morbus, prodidisse eos pestem esse, fieri in peste, & à corrupto cælo oriri. Non enim hæc facile dixissent medici illi sapientissimi, nisi euidente aliquo signo ad id fuissent impulsæ. Secundum, quod supponi cupio, est medicorū omnium sententia, multos morbos fieri hæreditaria quadam, & paterna proprietate. Magnus Hippocrates secundo Propheticorum quatuor morbos esse scribit, qui in hominibus hæreditate oriuntur, podagram, hydropem, phthisim, & epilepsiam; de quibus cum loqueretur Plutarch. sequutus Hippocratem in libro de sera Numinis vindicta, dicit, eos, qui oriuntur ex parentibus, qui laborauerunt simili morbo, statim esse curandos; quasi dicat, proprietatem paternam esse irremediabilem causam horum morborum in filiis; simile quid prodidit etiam Auenennas de nephritide morbo. Tertium supponendum est, hanc hæreditatem paternam, seu proprietatem esse potentiam, & aptitudinem quandam filiis ingentam, propter quam redduntur apti, & dispositi ad suscipiendos similes morbos; id enim vsu venire in morbis verisimile est, quod conspiciamus quotidie euenire in animi motibus, quod scilicet parentes ingenerant filiis aptitudinem, & potentiam quandam ad eadem

das virtutes & actiones, quas ipsi habent. Quartum est, huiusmodi proprietates esse veluti instrumentum quoddam, quo vel natura, vel causa alia effectrix virtutur ad producendos effectus. Quintum, & postremum est huiusmodi proprietatem requirere & materiam idoneam, & agens efficax. Materia est omnis corporis nostri humor, vt sanguis, & pituita, & vtraque bilis, & omnis ichor: efficiens causa est calor, qui prout est vel maior, vel minor, sic etiam modò magis, modò minus agit. His ita constitutis, statuo Variolas, & morbillos hæreditate paterna fieri ex sanguine, & ichoribus bullientibus ob calorem, qui in corporibus excitari potest variis & diuersis rationibus. De paterna hæreditate non est vt quidquam in controuersiam reuocemus, quia hoc satis euidens, & probatum est; Fieri autem hos morbos ex ichoribus sanguinis bullientibus, multis testimoniis adducor, vt credam. Primò, quia, vt dixi in initio, exanthema est veluti quoddam genus Variolarum, & omnium similiarum tumorum. Dicit autem Galenus tertio de sympt. causis secundo tunc fieri prouentum exanthematum, cum abundant ichores. Præterea probatum est à mè, & ferè ab omnibus, febres synochas ortum ducere ex ichorum sanguinis ebullitione, aut putredine. In Variolis autem & morbillis semper fit febris synocha, velut est omnium placitum; quare rationi videtur consentaneum, fieri hos morbos ab ichoribus. Accedit etiam & illud, quòd in morbillis, & Variolis fit maxima expulsio, & tamen nullus adfit rigor; quod signum est, materiam, quæ expellitur à venis extrà, non esse mordacem; quandoquidem, vt Galenus scribit libro de rigore, & 2. de sympt. causis 5. fit rigor à succis acris, & mordacibus; ichores sanguinis blandi sunt, minimè mordaces; iure ergo fit vt in Variolis nunquam rigores appareant. Postremò ipsamet experientia docet, hos morbos fieri ab ichoribus, quia si obseruetur materia exiens ab ipsis Variolis, nò est verum pus, sed ichor, qui planè crassior est in

est in Variolis, quàm in Morbillis: quia in his citissimè dissipatur, in illis diutius durat. Fieri etiam per ebullitionem, non est vt quidquam dubitemus: quandoquidem & accidentia, quæ consequuntur, & calor ille intensus, & color satis testantur fieri hæc omnia à sanguine feruente. Hoc ergo, ni fallor, firmiter constituto iam strata est via dissoluendi difficillima, & pulcherrima problemata, quæ circa hos morbos oriuntur. Primum est, cur sit quòd nullus ferè homo hisce temporibus reperiatur, qui ab hoc morbo euadere possit? Secundum, cur pueri potissimum hac calamitate tententur, & inter eos alij citius, alij tardiùs? Tertium est, cur Variolæ, & morbilli in aliquibus sint lethales, in aliquibus verò salubres? Quartum, cur nonnulli paucis Variolis tententur, nonnulli pluribus; aliqui verò ita immaniter tractentur, vt toto vitæ tempore deturpati remaneant? Quintum est, cur Variolæ omnium maxime faciem deforment, & post faciem manus, & pedes exerceant? nam cum hi durissimam pellem habeant, æquum videtur debere eos melius tractari, quàm cæteras partes. Sextum est, cur Variolæ magis infestent oculos, vt dicit Rases lib. 6. capite de diuisione, quàm morbilli? Septimum, cur cum morbilli, & Variolæ sint contagiosi, potissimum, tamen cõsanguineis communicatur hoc malum, ita vt videamus & fratres, & consobrinos facile à suis inquinari? Octauum, cur aliqui tententur bis hoc morbo, rarissimè ter, ferè omnes semel tantum? Nonum, & postremum est, cur facies, labia, & præputium ita interdum inquinentur, vt in ipsis vestigia indelebilia fiant? nam hoc experientia compertissimum est, quotiescunque remanent vestigia Variolarum, potissimum manere in facie, supra labia, atque etiam in ipso præputio. Ad primum dicendum est, nullum ferè euadere ab hac calamitate, quia omnes nascimur ex parentibus, qui hoc vitio sunt tentati. Sicut enim iam ostensum est, morbos fieri hæreditate, quia parentes iis morbis sunt tentati; pari pacto

possumus arguere, omnes homines tentari Variolæ paterna hæreditate, quia parentes nostri omnes, hæc lue laborarunt; id enim perinde accidit, ut id quod scribit Hippoc. in lib. de aquis, aere, & locis de Macrocephalis Indiæ populis; nam primum gens illa arte, & studio cepit infantibus capita oblonga facere, unde cum parentes huiuscemodi capitibus præditi essent, factum est, ut filij ab ipsis similes sint geniti; adeo ut proprietate paterna tota illa gens facta sit macrocephala. Sic propemodum contingit in Variolis, & morbillis. Initio hic morbus vitio cœli omnes tentauit, aut ferè omnes; qui deinceps hæc proprietatem paternam in filiis inferentes, nõ est mirum, si longè, lateque malum propagarint; & hæc proprietate facta sit non solum promiscua, sed etiam naturalis. Fiunt autem hi morbi, quod erat secundum problema, in aliquibus lethales, in aliquibus salutaris, ppter diuersas causas tum internas, tum externas. Propter internas, quia sunt aliqui ita prauo corporis habitu præditi, ita sordidis excrementis repleti, ut bulliente sanguine, vnà cum ichoribus fiat ignis inextinguibilis in corpore, & putredo irremediabilis. Fiunt etiã lethales propter causas externas, scilicet propter morbidi cœli iniquitatem, nec non ob errores victus, medicorum, & adstantium. Fiunt autem salutaris, potissimum in iis, in quibus præter ichores nihil est prauum, nihilque putridum, & in quibus nulla causa morbifica externa operatur; non aer, non victus, neque quidquam aliud. Quo ad tertium problema, cur puci tententur potissimum hoc malo, fit propter varias, & diuersas rationes. Prima est, quia corpora eorum sunt refertissima sanguine, & ichoribus, adhuc abundant maximo calore, unde cum præter proprietatem & aptitudinem paternam, habeant in se ipsis formitem illum, & materiam, & commune agens efficax, rationi consentaneum est, illos debere præ cæteris hac ægritudine tentari. Abundare pueros sanguine, & ichoribus, ex eò facile conicitur, quia sunt proximi principiis

piis suæ generationis; fit enim generatio animalium, & præsertim hominis, penè tota ex sanguine, vnde iure pueri omnes sanguinei sunt. Est & alia ratione, quia pueri nondum excernunt semen, vt ob hoc in iis totus penè sanguis conseruetur: Atque Hippoc. quidem in lib. de genitura dicit, pueris, & virginibus impediri feminis excretionem, quia vasa eorum corporum sunt angusta, exilia, ita vt non possit per ipsa semen, seu sanguis ei destinatus excurrere, & propterea in iis non fieri agitationem humidi, nec pruritum; quæ omnia satis manifestè indicant in pueris magnam sanguinis copiam reperiri; & quod dicit Plato in Timæo, & Galen. 6. de Locis Affectis; arbores, & plantas ægrotare propter copiam humidi, & alimenti; sic dicendum est de pueris, scilicet eos obnoxios esse huic ægritudini propter immensam sanguinis vbertatem. Ichores etiam abundare in ipsis, verisimile est, quandoquidem ea ætas est vorax, & innumeras cruditates committit. Iam verò certum est ichores ipsos, vt aliàs dixi, nil aliud esse, nisi partes tenuiores, & crudiores ipsius sanguinis. Calorem etiam in ipsis abundare manifestissimè est, tam naturalem, quàm accidentalem; de naturali est oraculum Hippocratis, pueros habere plurimum calidi innati: de accidentario etiam probari potest, quia hæc ætas in perpetuo est motu, perpetuo clamat, & tandem nihil agit pueritia, quod non sit potens calorem in ipsorum corporibus excitare; quò fit, vt illi, qui pluribus ichoribus abundant, qui plurimum mouentur, qui magis sunt sanguinolenti, etiam tententur citius his morbis, quàm illi, qui minus sunt sanguinei; qui minus mouentur, minus clamant, & pauciores cruditates committunt. Nam Theophrastus in lib. de sudoribus, dicit eruptiones, & papulas in nostris corporibus fieri propter tres causas; propter tempestates, propter motum corporis, (qui in corporibus nostris calorem excitare solet) & postremò propter excrementorum redundantiam, aut aliquid aliud, quod causæ mouentis ratio-

nem in corpore habere possit. Quarti problematis solutio est, eos, qui multis ichoribus abundat, consequenter pluribus morbillis, & Variolis tentari; qui vero paucioribus, rationabiliter etiam paucioribus Variolis, & morbillis tentari; pari pacto in quibus ichores pauci sunt, & tenaces, in iis quoque turpissimæ cicatrices relinquuntur, atque etiam perpetuæ depilationes. Relinquuntur turpes cicatrices, quod quemadmodum qui laborant liene, ut dicit Aristot. 9. problemat. 5. nigras, & turpes cicatrices ex ulceribus habent ob sanguinem morbidum; sic in quibus ichores pravi sunt, fit ut ab ulceribus Variolarum relinquuntur turpes cicatrices. Fiunt pariter perpetuæ depilationes, quia ubi ichores crassi, & pravi sunt, dum feruent, carnes ipsas mirifice exedunt, quibus absumentis, fit, ut non solum cicatrices duræ remaneant, sed etiam pabulum pilorum omnino desideretur; atque hoc est, quod dicit Aristot. 16. problem. 31. in cicatricibus hominum non oriri pilos, tum propter densitatem cutis, tum maxime propter inopiam alimenti. Ad quintum respondendum est, in Variolis, & morbillis potissimum, & citissime tentari faciem propter tres causas; quarum prima est, quia in his morbis ebullitio fit in toto corpore; unde sicuti videmus ex humoribus feruentibus vapores sursum eleuari, sic statim atque incipit ebullire ichorum, & sanguinis massa, simul vapores in caput, atque in faciem tolluntur. Secunda est, quia in hac ebullitione motus ichorum maximo impetu fit; ut iure dixerit Auenzoar febrem hanc esse impetuosam; impetus autem duo præstat. 1. efficit, ut humores sursum tollantur, 2. ut neque cerebrum, neque spiritus, neque aer resistere possit; ex quo licet in facie sint spiritus, & hæc pars exposita sit aeri: nihil tamen horum aduersum impetum humorum potest. 3. causa est ex Aristot. 36. problem. 3. quo in loco scribit, Varos fieri potissimum in facie, quia locus humidus, & rarus est; quare cum humiditas, & raritas disponat partes ad recipiendum,

confe-

consequenter efficit, vt materia morbillorum in his magnoperè valeat. De manib. & de pedibus, cur scilicet hæ partes potissimùm in Variolis tententur, sunt & causæ accommodatissimæ, & veræ: Primò enim læduntur manus & pedes, quia totus hic morbus fit tantùm à iecore, tùm à partibus iecori proximis; quandoquidem in illis partibus tamquam in propria sede collocata est naturalis facultas. Iam verò inter iecur, & pedes, atque manus est maxima sympathia, quod vnusquisque intelligere potest ex eo, quia qui calido iecore sunt, & manus, & pedes semper calentes habent; ratione ergo huius sympathiæ fit, vt cum facultas naturalis conatur ab internis partibus ad extrema materiam protrudere, potius in manus, & pedes eam transmittat; tùm quia hæ partes longissimæ sunt, tùm maxime, vt dixi, propter hanc congeneritatem, vt sic dicam. De hac iecoris cum manibus, & pedibus sympathia Rases 17. continentis, vbi loquitur de iecore, & Auicenna 14. 3. tract. 1. c. 3. & 30. necnon & 2. 1. doct. 3. cap. 1. dicunt breuitatem digitorum indicare paruitatem iecoris, & consequenter ab eorum longitudine indicari eius magnitudinem; quamquam Auer. 4. collect. capite de signis iecoris irrideat hac in re Auic. quasi ignorarit quæ & vbi sit virtus vere formatiua. Potest ad di his rationibus manus, & pedes calore valere potissimùm propter motum continuum harum partium, propter quem calorem Plutarchus in quæstionibus naturalibus solebat dicere, pedes, & manus Vrsarum esse esu iucundissimas; quia in hoc animali cum manus, & pedes maxime exercentur, calore quoque valere, & ob calorem succos apprimè in eis cõcoqui verisimile est. Sic nos dicere etiã possumus, quòd cum in iuuenibus, & pueris in perpetuo motu manus, & pedes sint, rationabiliter vehementer calent, & ratione caloris dilatate attrahunt; vbi simul concurrunt & studium naturæ expellentis, & aptitudo partium ad recipiendum, & attrahendum. Ad sextum respondendum est, oculos, licet

c

membra sint fat imbecilla: tamen propter sui præstantiam à natura donatos esse mira quadam facultate externis iniuriis resistendi: quod cū cognosceret Aristot. 31. Probl. 22. dicebat, oculos solos non rigere, neq; gelutentari; propter hanc igitur vim resistendi iniuriis externis, vbi materia subtilis est, & tenuis, facile eam à se repellit. Vbi autem crassior, & tenacior est, nequaquam repelli potest, aut multò minùs repellitur, & ideo cū in morbillis tenuis & subtilis sit materia, ea oculorum vi repellitur: in Variolis, quia crassior & tenacior est, nequaquã repelli potest, aut multò minus repellitur, & ideo magis offenduntur in iis oculi, quàm in Morbillis. Ad septimum, iam in tractatu de pestilentia copiosissimè de contagio disputavi; nunc illud tantum dicam, morbillos, & Variolas contagiosos esse propter duo potissimum. Vnum est, quia hoc malum fit ex feruente sanguine, à quo longè, lateque mittuntur vapores, qui aliorum corpora ingredients, facile ipsa contaminant; quemadmodum in ophthalmia contingere solet. Alia ratio cur hi morbi sint contagiosi, est proprietas illa paterna, & hæreditaria, quæ in omnibus reperitur; Vnde cū consanguinei habeat hanc proprietatem penè ipsis similem, cū etiam in ipsis humores sint similiores, iure fit, vt isti promptius, & facilius ab infectis coinquentur; quæ etiam ratio facit, vt in pestilentis familiæ destruantur propter hanc humorum similitudinem. Ad octauum dico, hæreditariam hanc huius mali proprietatem tantisper in hominibus permanere, donec partes seminarie, quibus implantata est, durant: Verumtamen quia hæc proprietas ex se nihil habet, nisi quia disponit, fit vt potissimum in pueritia semel, vt plurimum, homines tententur; quia ichores, qui sunt fomites huius mali, ob sui tenuitatem promptè inflammantur, & vbi pars eorum inflàmatur, facile incendium toti massæ communicatur; & vbi semel cūmunicatum est, tota quoq; consumitur. Exemplum est de aceruo paleæ, cuius si aliqua particula accendatur,

tendatur, protinus totus ardet, atque etiam consumitur. Quod si forte fortuna tota massa ichorum, neque vna vice inflammetur, neque consumatur, fit vt malum redeat; quia præter proprietatem hæreditariam relinquitur simul fomes. Sed quia, vt dicebam, rarissime fit, vt inflammata vna parte ichorū, tota massa non inflammetur, & consequenter consumatur, fit etiam consequenter rarissime, vt contingat aliquem secunda vice, aut tertia, hoc morbo corripi; propter quod dammandus est Auer. qui 4. colliget. dicit, hunc morbum absolute semel in vita contingere. Sed video aliquem ex me percunctaturum, num quid hæc proprietas hæreditaria sit facta nobis ita naturalis, vt quemadmodum perpetua est in indiuiduis; sic quoque perpetua sit in specie; adeo vt licet hic morbus incæperit, nunquam tamen desiturus sit. Ex vna parte ratio, quam modo dixi, satis efficax videtur; ex altera scimus plerosque morbos novos tandem desuisse. Celebre enim est, maiores nostros laborasse mentagra, scitirbi; qui morbi nostris regionibus tempore Plinij noti fuerunt; & tamen tandem sunt finiti. Dixi etiam aliàs, dum agerem de morbo gallico; cum esse aliquando desitutum; vt iam videmus illum inclinari; & multi probarunt, non adeo vehementem, & immanem esse, vt erat exactis iam temporibus; quare idem videtur dicendum de Variolis; tamen hæc res satis difficilis est intellectu, quia ea est animi nostri imbecillitas, ea futurarum rerum profunda obscuritas, vt non possimus quidquam certi asserere; puto tamen posse fieri, vt volentibus annis, quemadmodum hic morbus aeris iniquitate nos vexare cæpit; sic etiam beneficio cæli cessaturus sit; ita vt vel ex toto finiantur hi morbi, vel saltem in aliquos mitiores conuertantur. Ad nonum & vltimum dicendum est maxime deformari à vestigiis Variolarum, genas, labia, & præputium, propter multas causas. Prima habetur apud Aristotelem 3. de Histor. animal. 11. quo in loco Philosophus scribit, quod vbi

cutis ossibus immediatè adhæret sine carne, vel vbi est per se sine carne, aut cum pauca, in iis partibus vulnera difficulter coalescant. Vnde cum in genis cutis ferè sine carne sit proximè os, aut saltem cum pauca carne; cum etiam labia, & præputium sint veluti cutes separatæ sine carne, & sine osse, non est mirum, si cum vlcerebus variolarum dilacerantur, aut nullo modo, aut turpiter, & ægrè coalescant. Sic dicit Trallianus primo problemat. med. 4. vlcera in capite non admodum dolorem inducere, quia in parte capitis omnis cutis vel est prorsus sine carne, vel cum pauca. Secunda causa est, quia in facie facultas naturalis resistendi admodum imbecillis est, quoniam tota illa pars dicata fuit à natura virtuti sensitivæ; vt ob id cum vix possint esse simul facultas animalis valida, & naturalis, necesse fuerit facultatem naturalem in facie infirmam esse, & propterea non posse optimè vlcera ipsa corrigere, & illam defædationem auertere. Tertia est, quia in facie maior fit humorum putrefactio, quàm in aliis partibus, quæ cum exedat vehementer & cutem, & carnes, fit vt vlcera grauiâ relinquant in ipsis vestigia indelebilia. Quod autem in facie potissimum humores eorumpantur, ratio colligi potest ex magno Aristotele 3. de Histor. animal. 19. vbi loquens de sanguine, dicit, & sanguinem, & partes sanguineas citissimè putrescere circa ossa; cuius rei rationem adferens Albertus Magnus libro tertio de animal. 6. dicit iccirco id fieri, quia ossa calida sunt; esse autem calida probat testimonio Empedoclis, qui, vt habetur apud Aristot. 1. de animal. textu 77. dicit in fabricatione ossium, aliorum elementorum singulorum partes fuisse duas, ignis verò quatuor. Quare cum in genis sint ossa, & adhæc pauca caro, multa pellis vel cutis, fit vt hi humores, & ichores ad hanc partem fluant, & citissimè, & insigniter putrescant. Atque hæc experientia ipsa comprobât, quia sicut celerrimè omnium in facie apparent Variolæ: sic etiam celerrimè suppurantur. Igitur ex hoc nostro discursu

curfu poterit facile intelligi, cauffam immediatam morbillorum, & Variolarum effe ichores ipfos fanguinis, qui prout eft melancholicus, vel pituitofus, vel biliofus; fic facere folet Variolas modo purpureas, modo albas, modo violaceas, modo nigras, quemadmodum dicit Auicennas, atque etiam omnes Arabes. Cæterum cauffæ Variolarū internæ, & mediatae complures funt; in primis, complexio calida, & humida, habitus corporis adhuc tener, & obæfus, ætas puerilis primùm, deinde iuuenilis; & hoc eft illud, quod dicit Auicennas, corpora calida, & humida, præfertim puerilia, effe maximè præparata ad fufcipiendos morbillos, & Variolas. Adidit Rafes puerorum corpora magis effe obnoxia, quàm puellarum, nec immeritò; quia etfi eadem proprietates, & materia æquè fit in his & illis; difpar tamen eft calor; hic enim cum maior fit in pueris, confequenter eorum corpora debent effe his morbis paratiora. Cauffæ externæ funt aer calidus, & humidus, conftitutio auftina, tempus vernum, regio calida, & humida; propter quod iure dictum eft à medicis Arabibus hos morbos fequi peftiferas conftitutiones temporum. Eft autem hac in re non nihil controuerfiæ, quia Rafes decimo octauo continentis videtur in ea fuiffe fententia, quòd Autumnus fit magis ferax morbillorum, & Variolarum, quàm Ver; cuius contrarium manifefiffimè fcribit Auicennas. Pro qua re ita decernendum eft, Autumnum fua natura nequaquam feraciorem effe horum morborum, quàm Ver, quandoquidem ficcus eft; fed fi in Autumno auftri dominantur, planè folent & Variolæ, & morbilli copiofiffimè exoriri; & hoc eft, quod voluit Rafes intelligere. Adhæc exercitationes corporis immodicæ; fuper calefactiones omnes inter cauffas externas referuntur; maximè autem morbillos folet efficere vfus vini meracioris, ciborum calidorum, pinguium, dulcium; quod cum intelligerent Auicennas & Rafes, dixerunt eos facile tentari his morbis, qui vefcuntur cibus dulcibus, & præfertim lacte came-

larum, equarum, & dactylis; cuius generis sunt multi populi orientales, & etiam magna pars Tartarorum. Illud aduertendum ad confirmandam sententiam nostram de causis horum morborum, magnopere conferre id, quod dicunt Arabes de lacte camelarum, & equarum; quandoquidem lac horum animalium, ut docet Galenus tertio de alimentorum facultatibus 18. & libro de cibis boni, & mali succi 4. aquosum maximè & serosum est, propter quod non satis intelligere possum, quid voluerit significare Aristot. cum 6. de histor. animal. 16. dicebat consueuisse potatores lactis camelarum admiscere illi aquam; sicut nos vino admiscemus; sed utcumque sit, lac horum animalium aquosum, & serosum est. A quo fit, ut usu horum multiplicentur ichores, & occasio præbeatur generationi horum morborum. Adnumerantur quoque cibi corrupti, & putridi; sed possumus etiam connumerare contagium. Atque hæc de causis dicta sufficiant; nunc remanet ut de signis agamus. Aduertendus autem nouus modus, & ordo earum inuestigandi, siquidem effectus omnes morborum, vel sunt immediati; vel mediati; immediati vel sunt affectus permanentes, & in actu, vel sunt actiones læsæ. Effectus mediati vel sunt excrementa mutata, vel sunt affectus præter naturam. Nec miretur quis me affectus præter naturam facere modò mediatos effectus morborum, modò immediatos; quia hoc etiam factum est à Galeno libro de Differentiis symptomatum, inuò rei natura ipsa hoc docet. Appellántur effectus immediati morborum, quia immediate ab ipsis proficiuntur, & interdum hac ratione vocantur à Galeno symptomata prima. Effectus verò mediati dicuntur à Galeno, qui à morbis proficiuntur medio aliorum symptomatum, id est vel medio affectuum præter naturam permanentium, vel medio actionum læsarum; atque hi affectus dicuntur à Galeno symptomata secunda. Quare ex his effectibus morborum constituuntur tres fontes signorum. Pri-

mus

mus actionum læsarum . Secundus excrementorum mutatorum . Tertius affectuum præter naturam . Dicuntur enim signa, & symptomata vera, quia verior, & certior causas cognoscendi ratio est capienda ab effectibus eorum; fuit enim hoc Christi oraculum, ab effectibus eorum cognoscetis eos . Sed quia effectus postcedunt ipsas causas, hinc fit, vt ab his duntaxat cognosci possint morbi iam præsentés . Quare si comparanda sunt signa futurorum morborum, alia ratione querenda sunt; & modus querendi est à causis morborum, non à morbis: quia causæ quæ producunt hos effectus, ex his cognoscuntur tanquã productricés morborum . Quæ speculatio in praxi diligenter est notanda . Horum morborum medici Arabes rei natura ducti proponunt nobis multa signa, quibus cognoscere possumus Variolas, & morbillos futuros esse; quia hæc ab eisdem causis promanant, id est, à sanguinis ebullitione, à qua manant etiam hi morbi; vt raucedo, quæ fit, quando ex ebullitione circa partes spirituales exsiccantur partes vocis; capitis dolor, oculorum & faciei inflammatio; pandiculationes, lacrymarum fluxus, stertutatio frequens, subitus tremor: Obseruauit etiam ego inter hæc esse dolorem ventris, & tormina; atque hæc omnia sunt effectus earundem causarum, quarum sunt etiam morbi, & propterea vel comitantur eos immediatè, vel præcedunt . Sed his etiam possumus addere quædam signa extrinseca, vt est cõtadium . Si enim quis conuersatus fuerit cum laborantibus ex Variolis, suspicandum est ne & ipse corripatur . Si morbi hi vagentur, hoc etiam signum esse potest futuri morbi . Iam verò signa, quæ indicant præsentés esse morbos, petuntur ab actionibus læsis, & sunt delirium, quod posui, tum quia Auenzoar hoc adfert, tum quia experientia ferè perpetua probauit, quo tempore erumpunt hi morbi, ægros ferè semper delirare, & iure, propter insignem illam agitationem, quæ fit in corpore; adhæc insomnia terribilia, pauores in som-

niis, dolor gutturis, & pectoris, difficultas anhelitus, tremor pedum, & manuum. Ab excrementis mutatis signa capiuntur hæc, fluxus lacrymarum, qui potest esse & signum præcedens, & subsequens; vrina alba, pura, & fere sanis similis; retentio fecis fere consummata. Nam cum humor aliò mittatur à natura, fæces exsiccatae remanentes, iure retinentur in intestinis. Ab affectibus præter naturam hæc sunt signa, febris Synocha seu conclusa, quæ modo est sine putredine, modo cum putredine; & aduertendum fabulas esse, quod disputant nonnulli, an Variolæ, & morbilli possint esse sine febre, quia si veræ sint variolæ, & morbilli, fieri nequaquam potest quin adsit febris, saltem priusquam erumpunt; adhæc faciei rubedo, & asperitas totius corporis, pruritus narium, oculorum, & alia. Sed maximum omnium indicium est, quia apparent tubercula in morbillis rubra, non alta; in Variolis primò apparent veluti capita acuum, mox maiora fiunt, & rubra, sicque in dies augentur, quousque tandem suppurantur, albescunt, exulcerantur, & exsiccantur. Variolæ autem & morbilli solent plerumque ad salutem terminari, eò quod plerumque etiam est veluti criticus naturæ motus; sed interdum etiam terminatur ad mortem, præsertim quo tempore insit pestis vagantur; quemadmodum hoc anno intellexi in pluribus Italiæ ciuitatibus multos, & pueros, & grandiores extinctos esse. Quare non est dubitandum, quin hic morbus acutus sit, eò quia est cum vehementi motu, atque etiam cum periculo; quos duos esse morborum characteres acutorum docet Galenus ex sententia Archigenis in libro de temporibus morborum. Neque obstat, quod dixi ex Auicenna esse hunc motum veluti motum criticum, quandoquidem, vt locupletissimè declarat Galenus in libro de Crisibus, crisis dicitur æquè bona; atque mala; vt iuradicere possimus & motum esse criticum, & etiam periculosum. Vtile ergò est cognoscere posse per
signa

signa sua, quando hi morbi lethales, & quando salu-
tares sint. Si Variolæ, & morbilli albi sunt, si pauci ap-
parent, & sine vlllo alio accidente, vel si multi apparent,
& febris diminuatur, atque alia accidentia; si facilitas
anhelitus adsit, proculdubio indubitatum argumen-
tum salutis esse solet. Sic si Variolæ violaceæ sint aut
nigræ, aut virides; si vel pauca, vel multæ appareant,
& nihilominus reliqua exacerbentur accidentia, pro-
culdubio exitiale signum est, & eò maxime, si anhelitus
adsit difficultas. Scribit Auer. 4. Collect. 37. signum
expertum esse quod vbi in febribus fiunt in cute tubera,
id totum malum promanat à causa pestifera, præ-
sertim si vlceratis tuberculis illis fiant escharæ similes
combustioni ignis. Est vnum consideratione dignum,
quod prodidit Auicennas, eos, qui moriuntur propter
Variolas, ob duas potissimum causas perire; vel quia
stragulantur angina, aut alia inflammatione; vel quia
propter alui fluxum virtutes omnes languent, & ita æ-
gri preceunt. Ex quo loco notandum, quomodo intel-
ligendum sit illud, quod aliàs dicit Auic. 2. 4. tract. 2.
cap. 98. vbi scribit interdum contingere, vt ægri in de-
clinationibus Variolarum pereant; est enim constitu-
tum & à Gal. 2. de Crisibus, & ab Auic. in 1. 4. & alijs,
fieri nequaquam posse, vt ægri in declinationibus pe-
reant, & tamen dicit Auic. interdum mortem contin-
gere in declinatione variolarum. Habetur ex dictis Auic.
huius rei solutio, quandoquidem variolæ interdum
videntur declinare, & non declinant; eò quia materia
reuertitur ad partes nobiles internas, quò fit, vt exte-
rius quidem videantur declinare; sed nequaquam verè
declinent: Immo verò potest esse, vt variolæ verè de-
clinent, & tamen ægri pereant, hac quidem ratione,
quia cum materia non potuerit tota protrudi à natura
ad cutem, fit vt pars protrusa ad cutim exsiccetur, &
quantum est ex ipsa sanitas inducatur. Verùm tamen
materia, quæ remansit, contingere potest vt vel à na-
tura, vel erroribus medicorum, aut ægrorum desleat

ad viscera, vbi insignes inflammationes, fluxus, & dy-
 fenterias faciens, & consequenter vires iugulans mor-
 rem inducit. Illud notandum, morbillos vix vnquam
 medicamentis externis tractari solere; variolas vero, &
 morbillos habere ferè remedia & præseruatoria, & cu-
 ratoria eadem; quò fit, vt quæcumque dixerò de cura-
 tione variolarum, ea quoque dicta putari velim de
 morbillis. Auenzoar in lib. de Peste, videtur hanc sen-
 tentiam sequutus, quòd variolæ etiam opus habeant
 præseruatione, perinde ac omnis pestis. Ceterum si rem
 exactè æstimemus, multum abest, vt vlla præseruatio
 his morbis debeat; quandoquidem statim atq; præ-
 cognoscitur hoc genus morbi, duos tantum scopos so-
 lent habere medici: vnum, vt auxilientur natura: ex-
 pellenti; alterum, vt præseruent quo minus in hac ex-
 pulsione partes internæ, & externæ corporis, aliquid
 detrimenti patiantur. Solent autem, qui à medicis cu-
 rantur in his morbis, esse duum generum; vel enim
 sunt lactentes, vel non lactentes. Lactentium cura po-
 sita est tota in medicatione nutricum, loquor de reme-
 dijs internis. Hippoc. enim 6. Epid. sect. 5. text. 34. scri-
 ptum reliquit, mulierem, & capram nutritas elaterio,
 vel cucumere syluestri esse pueris purgationem; quam
 sententiam cum Galenus interpretaretur, duo summa
 animaduersione digna nos docuit. Primum est, ab Hip-
 pocrate elaterij nomine intelligi omne genus medica-
 menti etiam subductorium, seu lenitorium. Secundum
 est, ipsum hoc breui oraculo duo documenta nobis at-
 tulisse, quorum alterum ad vsum medicinæ pertinet:
 alterum vero ad physici dogmatis definitionem. Pro v-
 su medicinæ documentum est, vt si purgandi, aut me-
 dicandi sint pueri, solum purgentur per nutrices. Ex-
 plodendi sunt ergo isti carnifices, qui lactentibus ore
 medicamentum dare non erubescunt. Pro definitione
 dogmatis physici, quia controuersum est inter veteres,
 numquid lac facultates, & vires ciborum retineat, alijs
 negantibus, quòd scilicet in tot permutationibus, &
 coctio-

coctionibus non possint conseruari: alijs verò affirmā-
tibus, controuerſiam omnem tollit Hippocrates, qui
docet vires & medicamentorum, & ciborum conseruari
in lacte, & in sanguine; quam sententiam confirmat
etiam Galenus compluribus exemplis, vt ibi videre est.
Vt ergo ordine tota hæc curatio perficiatur, primò vi-
dendum est, quando in initio huius curationis præſer-
uanda sint à venenis membra patientium externa, &
interna. Externa custodienda in his morbis sunt oculi,
aures, nares, & fauces; quas liceat mihi ponere inter
externa, quia visu conspiciuntur. Interna sunt iecur,
pulmo, & potissimum ipsa intestina: Oculi plerum-
que & seruore, & ichorum tenacitate ita solent erucia-
ri, vt vlcerentur, quapropter statim vigilandum est, vt
hæc pars nihil detrimenti suscipiat; quod facile conse-
qui poterimus, si quamprimum ab oculis studemus
repellere impetum ichorum, quod fit rebus refrigeran-
tibus, & moderatè adstringentibus; vt est aqua rosacea
simplex, cui sumach sit immaceratum; aqua plantagi-
nis sola, vel cum sumach; aqua pura, in qua sit extin-
ctum aurum. Soleo ego vti eiusmodi aqua:

R. Aquæ rosacæ,

Plantaginis an. vnc. v.

Sumach vnc. s.

Immacerentur per noctem, & cum modico albumine
oui fiat mistura. Vtus est, vt modicum gossipij, vel bom-
bacis immaceretur in hoc liquore, quo deinde oculi
crebrò madefiant. Quod si dolor vrgeat, vti soleo lacte
chalybeato, lacte cum aqua rosacea commisto: potest
etiam ipsi lacti & aquæ rosacæ immisceri modicum
mirthæ, quia pruritum, & dolorem illum magnopere
leuat. Omnino autem cauendum est, ne oculi ipsi scal-
pantur, quandoquidem hoc perniciosissimum est. Sic
si aures patiantur dolorem, vel pruritum, curandum
est, ne manibus contrectentur; & si fluant, vt sæpè so-
lent, dimittendum est, & curandum vt apertæ maneāt,
sed quando dolor vrget, immaceranda est spongia in

aqua tepente cum oleo rosaceo, & ita detinenda super aurem dolentem. Vbi nares malè afficiuntur, ita vt timeatur ne vlcerentur, optimum est attrahere poscam naribus, adhibere odora menta ex rosis, plâtagine, myrtho; hæc enim omnia bullire debent in aqua, & fumus tepidus attrahi naribus. Pari pacto pro defendendis faucibus magnopere vtile est vti gargarismatis factis ex rebus adstringentibus, & refrigerantibus, vt est illud:

R. Aqua hordei lib. ʒ. s.

Foliorum plantaginis,

Florum rosarum an. p. s.

Sumach,

Ribës an. vnc. ʒ.

Bulliant simul, & cum decocto colluatur os; cui potest addi succus granatorum, berberorum, aranciorum. Ego soleo maximo successu comendare, vt grana granatorum sæpè ore teneantur, & etiam deglutiantur: hæc sunt, quæ necessariò fieri debent pro defensione externorum membrorum. Quæ conueniunt pro defendendis internis membris, eadem sunt, quæ in tota curatione vsurpantur; quandoquidem cardo huius curationis est hic, vt à partibus internis ad externas reuclantur ichores morbidi. Sunt verò, quæ conueniunt pro curatione, trium generum; alia sunt remedia diætetica, alia chirurgica, alia pharmaceutica. De remedijs diæteticis ita constituo, vt eligatur in primis aer temperatus, vel potius calidus; detineantur ægri optime tecti pannis, quemadmodum omnes faciunt, rubris; cauendus verò abusus, quoniam mulieres interdum copia pannorum strangulant penè ægrotantes, & ad syncopen deducunt; sat erit prouidere, vt partes extremæ potius calcant, quàm refrigerentur; & si præ caliditate videatur lingua nigrescere, anhelare ægrotantes, & syncope imminere, curandum vt propè os ægrotantis sit vas aqua frigida plenum, à qua possit inspirari aer frigidus, & si opus erit, etiam detergenda erunt corpora, modo frigus non sentiant; moderatus somnus esse debet,

debet, & potius vigilandum, quàm dormiendū; quandoquidem somno cohibentur omnes euacuationes. Animi motus compesci debent: Fugiendus est timor, neque ægrè ferendum est, quòd ægri interdum irascantur; quia ira nonnihil confert ad extrudendos humores in corporis superficiem. Vitanda est repletio, & inanitio. Si aluus adstricta sit, lenissimis clysteribus, aut glandulis vtendum est. Laudo in hoc magnoperè Rasin, qui consuluit, ne pro aluo lenienda vteremur cibis laxantibus; quandoquidem periculum est, ne alui fluxus sequatur, qui solet esse perniciosissimus; & multò magis etiam omne medicamento genus fugiendum est. Corpora continenda sunt in summa quiete, & si quid agendum est, moderatè fricare pedes, & corpus conueniet, quia hæc fricatio confert ad extrahendam materiam à centro ad circumferentiam. A vino abstinendum erit, donec penitus finita sit febris, & omnia accidèria. Pro potu vtendum est aqua chalybeata, aqua hordei; quibus misceri possunt modò succus citri, modò limonum, modò ribes, aut granatorum; quod si pueri, vt morosi esse solent, vinum velint, concedendum est parcissimè, pauciferum, atque in ipso immaceranda sunt olera refrigerantia, vt lactuca, endiuia, acetosa. Cibi omnes crassi vitandi sunt, acres, salsi, pingues; potissimum autem cauendum est à dulcibus omnibus & in potu, & in cibo. Nam Auenzoar in fine sui libri scribit, eos, qui vtuntur dulcibus, vix posse seruari, & hoc periculum aliquando se ipsum subiisse testatur; Sic debent etiam omnes amari cibi vitari, præsertim in infantibus, quos dicebat Auer. 5. 27. enecari vsu ciborum amarorum; eò quia amara cum sicca sint, maxime aduersantur & complexionì, & vitæ eorum, quæ posita est tota in humido. Quare vtendum est cibus facilibus concoctu, refrigerantibus, vt est succus hordei; nihil enim æquè prestans inueniri potest. Conueniunt etiam brodia, in quibus coctæ sint herbe refrigerantes, panatella, & alia. Solco ego interdum vti ficibus aridis

pro cibo, & si quandoque Rases videatur damnare ficus, quia inducunt affectus cutaneos; ego propter hoc maxime laudo, quia facultate quadam ingenita pro- pellunt noxios humores ab internis ad externa. Duo Arabes circa cibum digna cōsideratione docent: Vnum est, nullam carnem, neque etiam pullorum, conuenire in hac curatione; immo etiam damnant vitellos ouo- rum, priusquam febris finiatur, & suppurentur pustulae, & squammæ cadant. Alterum est magnopere in ci- bis conuenire lentes, quod intelligendum non est de iure ipsorum lentium; quia, vt dicit Gal. 8. de Simpli. huiusmodi ius laxat aluum, quod fugiendum est; sed intelligendum est de substantia. Circa primum videtur Arabum documentum inuile esse; plerumque enim laborantes sunt pueri, quos dicit Hippoc. 1. Aphor. indigere pluri alimento; præterea antequam squammæ incipiant cadere, solent interdum præterire aut decem, aut quatuordecim dies, tanto autem tempore sustinere puerulos sine optimo alimēto videtur valde pernicio- sum; quare ego nequaquam hoc Arabum consilium sequor. Sed vbi video periculum omne euasisse ægro- tantes, soleo liberalius ipsos alere, ita vt sustineantur vires, & solidorum partes restituantur; & tunc exhibeo vitellos oui in iure cum omphacio, vel succo limonum: iubeo etiam fieri aquam carnis, cui vitellos oui addo; & hac ratione curationis possum testari neminem in manibus meis perisise, ex quo facio medicinam. Circa alterum, dubium est, an conueniant lentes, quia Gal. de Alimentorum facultatibus 18. dicit, eos esse crassi succi, & si plusculum quis vescatur illis, consequi ele- phantiasim, cancos, & alios prauos tumores; propter quod non videtur debere haberi in frequenti vsu, quod præcipiunt Arabes. Dico lentes conuenire, quia Gal. loco citato inquit vtiles esse, vbi in corpore est cachexia aquosa. Iam verò dictum est hos morbos fieri ab icho- re aquoso, sed definienda est hæc res hoc pacto. Si len- tibus solis vtimur, contingit id, quod scribit Gal. sed si
aliquid

aliquid illis admisceatur, quod possit crassitiem eorum incidere, vt dicit Gal. loco citato, maxima ex parte vitatur omnis noxa; quod cum intelligerent sapientes Arabes, voluerunt vt lentès coquerentur aceto. Quare & in hoc casu si quando vti placebit ipsis pro cibo, semper acetum commiscendum erit. Quantum ad Chirurgiã, dicunt omnes conuenire sanguinis missionem in hac curatione, & certè si respicimus ebullitionem, si plenitudinem corporis, quæ plerumque solet hos morbos comitari, proculdubio indicationem habebimus mittendi sanguinis; quate nisi aliquid obstiterit, vel ætas, vel aliquid aliud, ego quoque suadeo, vt is omnino mittatur. Nec quidquam obstat, quod Gal. 6. Aphor. sect. 2. text. 29. in casu Simonis videatur quodam pacto hoc negare, atque simul docere, huiusmodi operationes contrarias esse motui naturæ; quia si rectè aduertatur locus ille Gal. videtur consulere, vt vbi adest materię multitudo, minuatur; quo natura alleniata onere, possit vehementius expellere. Sed videndum est, quibus conueniat; nam clarum est, non conuenire neque debilibus, neque pueris lactentibus, qui proximè nati sunt. Scio equidem laudari Auenz. 7. colliget. 3. quæ filio suo sanguinem minuit tertium annum agenti; scio etiam Rasen præcipere, pueris lactentibus, si quintum mensem excesserint, apponendas esse cucurbitulas. Sed hæc res magna prudentia est tractanda, quia Arabes illi audacissimi fuerunt interdum in vsu sectionis venæ, & medicamentorum; quare nisi pueri sint corpulenti, sanguinei, maximeque robusti, abstinendum ab omni sanguinis extractione, præsertim ante nonum, vel decimum mensem; ego enim non soleo ante hoc tempus quidquam audere. Mittendi sanguinem tempus definitur ferè ab omnibus ante quartum diem, ego verò non iudico expectandum illum esse, sed statim prima die visitationis, eò quod medicus semper vocatur, quando iam cæpit ebullitio; quare ad remittendum feruorem, & ad leuandam naturam ma-

gnoe

gnoperè est vtile statim sanguinem minuere, si minuendus est. Locus est varius, & diuersus apud scriptores, plerique laudant venam communem, quam ego etiam laudo in ijs, qui exceſſerunt 14. annum, & qui sanguinei, & robusti sunt. Sed potius laudo vt mittatur sanguis à partibus infernis, à natibus, à poplitibus, à cruribus, ab hæmorrhoidibus, præſertim in melancholicis; & ego ſoleo ferè adhibere in omnibus cucurbitulas; præſertim lumbis, natibus, & poplitibus; & hoc facio, non ſolum priuſquam apparere incipiant, ſed etiam poſtquam apparuerunt; quandoquidem hoc maxime confert ad extrahendam materiam ad partes externas. Quantitas debet eſſe moderata, nec video occaſionem dari, vt, quod voluerunt alij, mittatur sanguis vſque ad ſyncopen: illud verum eſt, his quidem, qui ſunt pleniores; plus mittendum eſſe, minus verò ijs, qui minus sanguinis habent. Tandem modus eſt varius per venam ſectam, per cucurbitulas, per hirudines. Venam ſecare rarò ſoleo, ſed potius vtor vel cucurbitulis, vel hirudinibus, & præſertim in pueris, in quibus ſi non licet vti cucurbitulis, poteſt adhiberi vna vel altera hirudo, quæ idem faciunt. Præter sanguinis miſſionem aliud eſt chirurgicum remedium, quo vti licet in curatione variolarum, & eſt perforatio tuberculorum. Auicennas, & maior pars Arabum volunt, vt quâdo variolæ ſunt iam dealbatae acu aurea perforentur, atque ille ichor, & ille tabus extrahatur; cuius conſilij hanc habet rationem, quoniam ſi materia in aliqua parte diu retineatur, periculum imminet, ne exeat carnem, & partem illam, atque ita vlcera profunda euadant. Opitulari huic conſilio, & rationi videtur etiam Galenus 3. lib. de Fract. text. 48. ſcribit in phlyctenis, ſeu in puſtulis ſe conſueuiſſe acu perforare pellem, atque ita per vices plures extrahere aquam, & ichores, vt pellis integra remaneat. Ex altera parte fuerunt, qui huiusmodi conſilium & inutile, & ſuperuacaneum exiſtimarunt. Et ego, vt liberè dicâ quod ſentio, ſicuti nun-

nūquam soleo curare vt perforem; sic etiam mihi videtur penè res superuacanea, & molesta; molesta quidem, quia ægri eo tempore maxime cruciantur; superuacanea etiā, quia certū est, nō debere eas perforari, nisi quando iam factæ sunt albæ; quo tempore iam clarissimum est, humorem damnū id totū fecisse, quod facere potest, quā quo tempore albedo ita apparet iam cessauit feruor, & potentia illa exedendi carnes; quare, vt dicebam, satius esse existimo, abstinere ab hac perforatione, & eò maxime, quod quamprimum albæ apparent, simul etiam exsiccantur, & decidunt squamina. Illud tamen est verissimum, si perforandæ sunt, melius esse perforare auro, aut ære, quā ferro; & ratio est desumpta ab Aristot. Auctoritate l. Problem. 34. vbi dicebat, vulnera facta à ferro difficilius sanari, quā ab ære propter duas causas. Prima, quia ferrum magis lacerat. Secunda; quia æs facultatem habet quandam & constringendi, & glutinandi; idem quoque de auro dicendum est, scilicet melius esse in perforatione vti acu aurea, quā ferrea. Circa vsum pharmacorum reperio auctores medicinæ partim cōcordes, partim discordes: in hoc conueniunt, nequaquam esse vtendum medicamentis vehementioribus: discrepāt autem, quia aliqui existimabāt in principio medicamenti lenitiuis vtendum: alij verò non in principio, sed in fine. Fuerunt etiam, qui nullo pacto in fine vtendum esse voluerunt; vt Rases libro de Pestē, capite 14. Ego autem omnino sum huius sententiæ; in principio nullo medicamenti genere vtendum esse, tū quia, quemadmodum etiam dixi, medicus semper vocatur; quando iam feruor, & ebullitio est in sanguine; tū quia medicamenti operatio turbat materiam ab opere; cum enim motus illē sit penè totus criticus, præceptum habemus à medicis omnibus, mouente natura nihil agendum esse nisi ipsa imperfectè moueat; intelligere verò an perfectè moueat in initio non possumus. Quare ego ita semper soleo abstinere in principio ab omni medicamen-

50 DE MORBIS PVERORVM

torū genere: vtor autem clysteribus, & glādibus ad aliuū ipsam subducendam. clystere autem hoc vti soleo:

R. Aquæ hordei lib. 1 s. aut lib. 1. aut minus, videlicet secundum ætatem.

Olei violacei vnc. 4.

Butyri vnc. 3.

Sacchari rubri vnc. 1.

Misce. Et quia hæc quantitas clysteris nimia est, puerilis sit deinceps pro captu infantis, & pueri. Pro glandibus vti soleo vel ficu arida, vel collyrio ex sapone, vel glande communi vocatā; ad vehementiora nunquam progrediendum est. Neque possum satis mirari Nicolaum Florentinum, qui apparentibus variolis non vult vtendum esse clysteribus; est enim ridiculum existimare in clysteribus impediri naturæ motum, quia ij in intestinis tantum operantur; motus autem naturæ est & propè cutem, & in ipsis venis: neque etiam adeo deiciunt vires clysteres, vt timere debeamus. Vbi manifestè inclinavit malum, videndum est, an penitus materiā tota sit expurgata, quod cognoscitur ex patientis tranquillitate; si enim omnia tranquilla videantur, nulla euacuatio tentanda est; sed si in corpore aliquis adhuc tumultus, & turbatio appareat, laudo vt aliquādo leniente ille tumultus sedetur; vt est manna, thamarindi, sebesten. & vt habeatur forma:

R. Thamarindorum vnc. s. Sebesten num. 15.

Hordei p. s. Florum cordial. m. 1.

Fiat decoctio secundum artem: deinde recipe dictæ decoctionis vncias 4. manna electæ vncias 3. s. m. f. po. hæc est dosis mediocris medicamenti, quam pro ætate postmodum licet augere, vel minuere. Reliquum curationis horum morborum totum videtur esse positum in auxilianda natura expellente. Quapropter diligenter erit cogitandum, an ipsa promptè, & valenter expellat, an segniter operetur. Si segniter, ea, quæ adhibentur, necesse est vt habeant nō solum facultatem refrigerandi, & adstringendi, sed etiā aperiendi; propterea miscetur
aut

aut radix sceniculi, aut capillus Veneris, aut radix apij,
cum lentibus, caricis, & alijs, quæ possunt expellere.

Exempli gratia;

R. Lentium vnc. r.

Caricarum num. 10.

Foliorum capilli Veneris p. r.

Radici apij vnc. s.

Foliorum acetosæ p. rs.

Fiat decoctio secundum artem, cuius decoctionis capi-
pantur mane, & vesperi ante coenam modò vnc. 4. mo-
dò vnc. 5. modò vnc. 6. pro captu patientis. Si natura
satis validè operetur, licet abstinere ab ijs rebus, quæ
aperiunt, & maximè propter febrem; cum enim hæc sit
insignis, non est deueniendum ad aperiencia, nisi con-
stet naturam segniter expellere; quod intelligitur tum
ex paucitate variolarum, tum etiam ex tarda eruptio-
ne. In expellenda materia vtendum erit huiusmodi de-
cocto:

R. Lentium p. r.

Ficus num. 15.

Hordei p. s.

Foliorum lactuæ,

Acetosæ an. m. i.

Fiat decoctio secundum artem; prædicti decocti capi-
tur, vt dictum est, mane, & vesperi vnc. 6. vel 7. vel 8.
Cui etiam potest misceri, vt magis iucundum sit, vel
succus granatorum, vel succus ribes, vel mororum. Sic
etiam licebit vti troscicis despodio, de camphora, quæ
omnia maximè conferunt ad expellendam materiam,
Et aduertenda duo circa vsum lentium; nam plerunq;
mulieres solent indiscriminatim vti primo eorum de-
cocto, quo nequaquam vtendum est; ratio est, quia vt
tradidit Dioscorides, & Galenus i. de alimentorum fa-
cultatibus, laxat aluum; vnde fit, vt cum pernicie ægro-
tantium sequantur fluxus exitiales. Alterum est, non
esse vtendum lentibus folis, nec etiam pro medicame-
to, quia crassitiem, & adstrictionem nimiam habent, &

ob id optimum est admiscere hordeum, caricas, & alia huiusmodi. Extrinsicus nihil aliud agendum est, nisi prouidendum ut semper corpus calidum sit; abstinendum autem maxime ab oleis omnibus, à narcoticis, atque etiam ab emplasticis; ab oleis quidem, quia in his corporibus faciliter flagrant, & subinde incendium augent; propter quod Gal. 3. de Simpl. med. damnabat in erysipelate usum olei extrinsicus; abstinendum etiam est à narcoticis, à refrigerantibus, quia repellunt materiam intro, & consequenter fluxibus intestinorum occasionem præbent. Damno etiam emplastra omnia, quia obturant, & impediunt, quò minus materia possit expelli. Quod si dolor, & cruciatus urgent, laudant Arabes, ut medulla aliqua, veluti vitulina, aut etiam bubula illinantur illæ partes feruidæ, & duræ, quò dolor mitigetur. Postquam apparuerint, dixi sententiam meam de perforatione; sed sunt aliqui, qui efflagitant à medicis, ut curent pustulas citissime exsiccati; pro qua re in usu esse solent quædam remedia extrinseca, quæ citò solent eas exsiccare; in primis est salitio dicta ab Arabibus, circa quam duo sunt animaduertenda. Primum est, ut ea non adhibeatur, nisi perfecte dealbatae sint pustulae, quia si sint adhuc rubentes, irritantur vehementer, & cruciatus augentur. Secundum est, ut non utatur quis solo sale, sed aliquibus etiam alijs, quæ possunt acrimoniam eius obtundere, veluti si fiat hæc aqua:

R. Aquæ fluuiialis lib. 2.
 Salis vnc. s.
 Hordei,
 Lupinorum an. p. s.
 Croci drag. i.

Bulliant secundum artem, & deinde cum gossipio in huiusmodi aqua macerato tangantur pustulae. Quæ si sint minores, ita ut non egeant tanta exsiccatione, potest fieri aliud decoctum:

R. Foliorum tamarisci.

Florum

Florum rosarum an. m. i.

Sandalorum omnium an. vnc. 2.

Hordei p. i.

Salis vnc. s.

Fiat decoctum. Ad hanc eandem intentionem solent fieri suffumigia ex iisdem rebus, quarum usus est, vt tempore hyberno detineatur suffumigium sub tegumentis cum igne, tempore autem æstatis solus aer camere suffumigatur. Sunt etiam qui laudant ad exsicandum, vt ægri dormiât super culcitrâs factas ex farina milij, hordei, lupinorum, ex puluere tamarisci; sed nuq̃ sunt, potissimum quia corpora ægrorum eo tempore vsque adeo dolentia sunt, & turbata, vt vix culcitrâs plumeas sustineant; quare inutile mihi videtur hoc auxiliij genus: immò si sint ægri obsequentes, & qui sustinere paulisper queant, multò satius est permittere, vt sponte tubercula exeant. Quòd si promptè non maturèntur, laudo vt decocto ficuum, & maluæ cum gossipio tangantur sæpe; quia huiusmodi decoctum tepens administratum solet simul & molestiam omnem lenire, atque etiam accelerare maturationem. Caterum duo solent contingere in declinatione horum malorũ. Vnum est, quod interdum relinquuntur vlcera, quæ propria, & peculiari curatione opus habent. Quare unguentum de cerussa, de lytargirio hoc in casu vtile est administrare ad consolidanda vlcera relicta. Aliud est, quod vestigia variolarum, & turpes cicatrices relinquuntur, pro quibus solent matres, & patres, atque etiam ipsi ægri solliciti valdè esse, & à medicis postulare, vt maculæ illæ omnino deleantur. Sed quia vestigia duo peccata habere consueuerunt, & foedum colorem, & foueas, aut diminutionem carnis; pro colore restituendo multa solent fieri, atque etiam cum fructu. Ego autem soleo ita facere ad restituendum colorem. Vbi squamæ decidunt, laudo vt singulo mane, & vespere abluantur facies, & manus hoc cremore:

R. Lupinorum,

d 3

Fabarum,

Hordei an. p. i s.

contundantur omnia crasso modo, & in sufficienti quãtitate aquæ bulliant, vsq; quò perueniat aqua ad crassitiam veluti pultis. Vbi hic cremor factus est, abluatur eo facies, & manus; mirifice enim solet vsus huius remedij colorem reddere, est etiam & aliud, quòd vsum hunc præstare potest:

R. Limonem vnum, vel alterum,

Foliorum serpentariæ p. 2.

Pedes vitulinos duos.

Incidantur omnia minutim, & ad alembicum vitreum ponantur; Succus, qui exit per alembicum illitus faciei, & manibus summoperè prodest ad colorem restituendum. Ad repletionem fouearum laudant plerique vsus pinguedinis humanæ, pinguedinis vrsi; cinerem testudinum vstarum, cinerem radicum cannæ arundinis. Sed, vt liberè dicam, hæc, & omnia alia vix prodesse solent, quia harum partium cicatrices, & deperdita substantia non facile emendatur. Vt tamen habeatur aliquis modus satisfaciendi petitionibus, ita ego soleo facere; iubeo vt partes deturpatæ fricentur panno aspero, deinde vbi rubent, mando apponi picem, vbi tamen non sunt pili; quæ pix deinde auellitur aliqua vi. Vt autem ita factum est ter, quaterue, vt modò apponatur pix; modò auferatur. iubeo inungi partes illas hoc linimento:

R. Olei oliuarum dulcissimi vnc. i s.

Succi limonum vnc. 3.

Lytargirij loti,

Cineris testudinum combustarum an. vnc. i s.

Pulueris radicum cannæ vnc. 2.

Pinguedinis gallinæ vnc. s.

Misce, & vesperi illinatur; mane autem

facies abluenda est aqua, in

qua decocti sint

lupini.

De

De Macie. Cap. III.

POST QVAM vniuersalem morbum tracta-
uimus, qui à plenitudine originem ducit,
transeundum ad eum, qui potius ab euacua-
tione oritur; nam si qui sunt alij morbi vni-
uersales, qui videntur sequi plenitudinem, ij aut sunt
alibi à nobis copiosissimè tractati, aut ad præsentem
tractationem nequaquam pertinere videntur: est enim
hic morbus communis quidem & pueris, & adultiori-
bus, sed interdum adeò solos pueros torquet, vt & me-
dicos, & miseros parentes, valdè sollicitos habeat. Quo
circa etsi de macie, vt est communis omnibus homini-
bus, sim tractaturus, præcipuus tamen meus scopus erit
in tractanda puerorum macie. Dicitur autem hic
morbus à medicis græcis *ισχνότης, λεπρότης*; latini vocant
maciem, macilentiam, gracilitatem, tenuitatem; sunt
etiam qui vocant macritudinem. Est autem macies, si-
ue macilentia priuatio pinguedinis, & carnis præter
naturam in toto corpore actiones lædens primo & per
se. Dixi primo loco esse priuationem pinguedinis, quia
in macilentia illud, quod primo consumitur, est com-
mune pinguedinis, & adipis genus; propter quod A-
ristoteles 5. problematum 4. & 5. dicit in animalib⁹ pri-
mò gracilescere ventrem; eò quia totus plenus est pin-
guedine: dicit etiam in laboribus, & exercitijs primùm
eliquari pinguedinem, minimè autem carnem. Cur
autem vbi macrescunt animalia primùm pinguedo
consumatur, ea potissimùm ratio est, quod, vt scribunt
medici omnes, ipsa concrecit à frigore; quod autem
hoc modò concretum est, inquit Aristoteles 4. Meteo-
rorum, calido facîle soluitur, nisi sit vehementer con-
cretum: accedit etiam, quod pinguedinis vsus paruus
est in vita animalis, quando quidem nullum ferè alium
vsus videtur habere, nisi vt custodiat natiuum calo-
rem: iure ergo dictum est à nobis primo loco, esse

priuationem pinguedinis. Dixi secundò carnis; quia, vbi animalia extenuantur, seu emaciantur, post pinguedinem aboletur caro, non quod partes seminariæ, vt sunt venæ, & nerui, non imminuantur etiam in macie; sed licet imminuantur; tamen non abolentur, neque consumantur quemadmodum caro; & hoc est, quod docet Aristoteles 3. de Historia animalium 16. vbi scribit, quod cum animalia emaciantur, venæ fiunt venulæ, id est, venæ magnæ euadunt paruæ; nerui fiunt villi, id est, ita extenuantur hæ partes, vt multò minores videantur. Sed aduertendum, locum illum Aristotelis pessimè à Gaza fuisse traductum; ideo videndus est textus græcus, non autem latinus. Cur autem consumantur carnes in macie, non autem partes seminariæ, hæc vitia, & vera ratio est, quod hæ non sunt necessaria vitæ nostræ, illæ autem sunt fundamentum eius; & ea propter possunt quidem carnes solum consumi salua vita, partes seminariæ nequaquam. Hoc autem ita esse demonstrat diuinus Plato in Timæo, & post ipsum Galenus 1. de vsu partium 13. & 12. de vsu partium 3. qui omnes in hanc sententiam venerunt, carnes esse veluti vincula quædam constitutionis corporis nostri, & factas esse tamquam propugnacula quædam aduersus frigora, æstum, & lapsus; hanc autem sententiam acceperunt Plato, & Galenus ab Hippocrate in libro de Ossibus, vbi carnibus structuram corporis nostri ligari dicit. Antequam autem vltius progrediar, duo scrupuli sunt erucendi. Primus est, quæ carnes potissimum & primò in macie consumantur; nam fuit sententia medicorum, & præsertim Auerrois primo Collect. octauo, tria esse genera carnis. Primum, quod constat neruis, membranis, venis; atque musculosum dictum est. Secundum est genus carnis puræ, vt est caro, quæ posita est inter dentes, & cuiusmodi etiam est ea, quæ in summitate penis facta est à natura; hanc enim puram esse carnem omnes fatentur. Tertium est glandulosum genus, vt caro est mamilla-

rum.

rum, testicularum; hæc enim sunt tria genera carniū, quibus corpus nostrum constitutum est. Secundus serupulus est, quomodo dictum sit carnes non esse admodum necessarias vitæ nostræ, sed esse veluti propugnacula aduersus externas causas: nam Aristoteles 2. de partibus animalium 8. de Carne longam disputationem habens, hanc sententiam habet, Carnes, cum sint instrumenta sensus tactus, quo animal est animal, necessarias esse ad corporis constitutionem, immo ad vitæ animalium essentiam; atque addit, non solum eas necessarias esse, verum etiam omnes alias partes; inter quas & ossa connumerat, quæ sunt carnis sustentamenta; quo fit vt videatur hæc Aristotelis sententia maximè aduersa ei, quam nos protulimus. Pro primò ita statuendum est, carnem musculorum eam esse, quæ primum in macie aboletur; atque illud significare voluit Aristoteles 3. de Hist. animal. 16. cum scripsit in macie venas, & neruos aboleri penè, quia primò hæc caro ita consumitur, vt ferè soli nerui, & venæ appareant, atque illæ admodum exiguæ. Secundo loco consumitur caro glandulosa; nam in macie, & vbera, & alias partes glandulosas videmus citò absumi: postremò autem pura caro consumitur; & ratio huius est, quoniam, vt dicit Auer. 5. collect. 8. huiusmodi caro facta est magna ex parte à natura, vt repleat cavitates, vt connectat ossa, & ideo facta est etiam talis, & tanta, vt non facile consumi possit. Pro secundo autem dicendum est, hac in re fefellisse maximè Philosophum, quia ipse rationibus quibusdam ductus, existimauit, solam carnem esse primum vitæ nostræ fundamentum; neruos verò non esse fabricatos propter sensum, sed ad temperandam carnem; quæ omnia Arist. placita, & medicis, & rationi etiam ipsi maximè aduersantur; sed non est tempus longius hac in re disputare. Patet igitur summa me ratione dixisse macilentiam esse priuationem carnis, & pinguedinis. Addidi præter naturam; quia nec omnibus animalibus, neque omnibus hominibus data est eadem

mensura carnis, & pinguedinis; multa enim sunt animalia, quæ sunt valde obæsa, vt fues; sunt inter homines, qui natura semper graciles sunt, vt sunt Aethiopes, velut narrat Plutarchus fuisse Marcum Tullium Ciceronem. nam licet videre aliquos, qui nulla ope medica, nullo cibo possunt à macie liberari, eò quod ipsis macies naturalis est, non præter naturam, vt fuerunt multi; de quibus Athenæus in 12. dipnosophistica. Sed de huiusmodi macie naturali non loquemur, verum de ea, quæ præter naturam contingit in hominibus, & præsertim in pueris; qui cum prius fuerant obæsi, & boni habitus, euaserunt deinde graciles, & macilentis. Dixi in toto corpore; quoniam sæpè fit vt aliqua partes emacientur, modò brachia, modò crura; quemadmodum contigit Germanico; verum macies alicuius partis non est ea, de qua sumus tractaturi, sed macies toti corpore, & omnibus membris contingens. Dicitur actioes lædens, quandoquidem sunt alij, qui fiunt macilentis, sed alioquin benè valentes omnes suas functiones edunt; de quibus non est nobis agendum; quoniam vt colligitur ex Galeno 14. Methodi 14. macies hæc, quæ actionibus non incommodat, est totius quædam turpitudine potius, quàm morbus, & consequenter potius pertinet ad artem decoratiuam, quàm medicam. Ex quo loco colligi etiam potest, carnem non esse verum instrumentum sensus tactus, vt autumauit Aristoteles, quia, etsi in quibusdam ea consumatur, nihilominus habent actiones tactus illæsas; contra verò fieri deberet, si esset instrumentum tactus; quia vt vitiatò oculo, qui est instrumentum visus, vitiatò visio: sic si caro esset instrumentum tactus in hominibus macilentis, necessarium planè esset vitari hanc actionem. Dixi denique per se, & primò; quia sæpè numero copulatur macies alijs morbis, vt febrì, destillationi, marasmo; in quibus quidem sunt actiones vitiatæ, sed non primò à macie; verum potius vel à febre, vel ab alijs morbis,

bis,

his, qui maciem inducunt: ergo nostra macilentia vtrum sit morbus, an symptoma dubitari potest. Galen. lib. 14. Methodi 14. & 15. manifeste adnumerauit eam inter morbos: accedit etiam ad hoc & ratio, quia, vt docui, macies lædit operationes primò & per se; quare meritò videtur morbus esse vocanda, & habenda. Ex altera parte est sententia eiusdem Galeni lib. de Differ. sympt. 4. vbi manifestè docet atrophiam & maciem seu extenuationem, esse symptomata in genere actionum læsarum; immò verò 3. sympt. caus. 1. atque loco supra citato scribit, atrophiam esse ablationem nutrimenti: *επιόχνη* verò esse diminutionem; & quod magis est, non solum maciem esse symptoma, sed etiam fieri ab alio symptomate, vt manifesta videatur contradictio in verbis ipsius Galeni: Pro solutione dicendum est, maciem posse duobus modis considerari, vel pro habitu, seu statu quodam corporis nostri permanente, vel prout dependet ab ipsa vitata nutritione. Si primo modo consideretur, proculdubio est morbus; atque sic consideratur à Galeno, vbi eam inter morbos adnumerauit. Si autem consideretur, vt dependet à vitata nutritione, sic potius symptoma est appellanda. Nec mirandum, vnum, & eundem affectum præter naturam esse posse & symptoma, & morbum; quia Galen. lib. de Differ. sympt. 5. dicit carbunculos, & erysipelata esse morbos & symptomata. morbos quidem, si constitutio corporis permanens præter naturam consideretur; symptomata verò, si colores eorum mutati considerentur. Possumus etiam aliter respondere, maciem, si consideretur vt simplex quædam est dispositio, proculdubio symptoma est: Sin autem consideretur vt actiones lædit, est morbus; quare macies, de qua nos loquuti sumus, est morbus in magnitudine diminuta, tum in adultis, tum potissimum in pueris. Sed quia morbus lædit functiones, cum in corpore nostro sint plura functionum genera, in macie primo offenduntur functiones naturales; & ratio est, quia huiusmodi operationes

omnes fiunt beneficio natiui caloris , qui custoditur, fouetur, augeturque à carnibus, & pinguedine; quare istis vel consumtis, vel diminutis saltem , necessarium est quoque imminui ipsius caloris natiui operationes. Secundo loco offenduntur operationes animales, & præsertim motrices; quia cum carnes etiam huic rei inferuiant, vt simul colligentur ceteræ partes, quæ sunt fundamenta vitæ, iure huiusmodi vinculis imminutis fundamenta infirmiora redduntur, & consequenter operationes Gal. 2. Aphor. 28. inter cetera, quæ pertinent ad causas maciei, hoc habet, pueros, atque senes maxime omnium macilentia tentari; quia corpora horum propter caliditatem, & humiditatem facile dissolunt, & consumuntur: quod licet verissimum sit, tamen pauca omnino sunt causæ, à quibus infantes potissimum ad maciem deducantur; multo plures sunt illæ, à quibus adulti tentantur. quocirca vtile futurum esse existimo, si omnes ante oculos posuero. Gal. 2. Aphor. 28. lib. de Differ. sympt. 4. & 5. de Sanit. tuenda 14. Et Auic. 7. 4. tract. 4. & alibi omnes penè causas maciei nobis proposuerunt, sed ita implicatè, & confusè, vt multo melius esse existimem, si sub quædam capita ea reduxero. Sunt ergo causæ maciei, aliæ intrinsecæ, aliæ extrinsecæ: Intrinsecæ, aliæ sunt immediatæ, & penè continentes; aliæ mediatæ: causa immediata interna gracilitatis, vt colligitur ex Gal. & Auicem. duplex est, vna est nutrimenti accommodati absumtio; secunda verò calor consumens pinguedinem, & carnem. nam perceptum est apud omnes corpora nostra propter ambientem calorem, & intestinam caliditatem continuò consumi; & imminui; quo fit, vt necessarium sit substantiam amissam continuò recuperare, & restituere; id autem fit nutrimenti appositione, quod vel maius, vel saltem æquale debet esse illi, quod continuò absumitur: ea propter, si huiusmodi alimentum desideretur, quis non videt continuò corpora nostra consumi, & contabescere? Iure ergo dixi, causam gracilitatis immediatam,

diatam esse carentiam accommodati alimenti. Sic etiam si alimenti vbertas nequaquam desit, consumuntur corpora hominum, & animalium, modo adsint alia causa, quae plus consumunt, & liquefaciunt, quam fit alimentum, quod continuo apponitur. Iam vero alimentum accommodatum desideratur, vel quia nihil apponitur, vel quia parum, vel vitiosum; vel quia etsi apponatur, & conficiatur; tamen non vnitur, neque transmutatur in substantiam amissam. Parum nutrimenti, aut nihil, apponitur; quotiescunque propter aliquod vitium ventriculi, aut aliarum partium non appetitur, quemadmodum in appetentia; aut non conficitur, quemadmodum in vniuersali imbecillitate; aut non distribuitur à ventriculo. Sic enim dicit Auer. saepe venas meseraicas propter siccitatem vsque adeo coarctari, & occludi, vt chylus à ventriculo nequaquam transeat in reliquum corpus, atque ita membra extenuentur. Sic etiam quotiescunque cibus, seu alimentum preparatur, & tamen aliud defecit, sunt macilentia, quemadmodum in lienteria, in fluxu alui diurno, in vomitu; In his enim omnibus, alimentum quod deberet restituere partes consumtas, aliud defecit. Sic etiam dicit Galenus in libro de Theriaca ad Pisonem, & Alexander in epistola de lumbricis, corpora saepe emaciari, quia lumbrici absumunt illud alimentum, quod conuertendum esset in carnes. Alimentum porro vitiosum communicatur, quando sanguis, ex quo reparantur partes amissae, est vel nimis melancholicus, vel biliosus, vel aquosus; vel nimis salsus, vel acidus; sic etiam collostrati fiunt pueri, quando lacte vitioso aluntur. Propter sanguinem melancholicum fit macilentia in longa melancholia; videre enim est hos melancholicos diurnos veluti larvas euadere: sic dicebat Hippoc. in lib. de locis in homine; quod vbi lien floret caetera membra contabescunt: vbi vero extenuatur, reliquum corpus floret. Sic dicit quoque idem Hippocrates in lib. de aere, aquis, & locis, eos, qui

yescuntur aquis lacustribus, melancholicos fieri, & cō-
 sequenter, macilentos euadere. Si sanguis sit biliosus,
 inducitur macies, quia hic humor vsque adeo infensus
 est, & abominabilis omnibus membris, vt nequaquam
 sanguis conuerti possit in substantiam, vbi bilis est ad-
 mitta. Pari pacto vbi sanguis est aquosus, maciantur
 corpora, vt licet videre in hydrope. Non apponitur au-
 tem alimentum, quoties membra ipsa, quibus appo-
 nendum est, sunt aliqua intemperie vexata, veluti vbi
 sunt arida, nequaquam restitui possunt; ita enim his
 contingit, vt parietibus vetustis, quibus non potest ag-
 glutinari calx propter summam ariditatem. Sic etiam
 fiunt macilentia propter causas colliquantes, & con-
 sumentes, in febribus magnis, in marasmo in senio
 Philippi. In his enim omnibus, non tantum contingit
 macilentia propter absentiam accommodati alimenti,
 sed maxime propter causas, quae & pinguedinem, &
 carnem colliquant. Hae sunt omnes causae internae tam
 mediatæ, quam immediatæ, quibus inducitur macies;
 sed, quemadmodum dixi, maior pars harum in adultis
 est. In infantibus autem, & pueris plerunque fiunt ma-
 cilentia propter defectum nutrimenti, vel quia multo
 minus est, quam deceret, vel quia ita vitiosum, & de-
 prauatum, vt nequaquam possit utile esse. Priusquam
 autem causas externas aggrediar, duae dubitationes
 sunt ex animis eruendae. Prima est, quia Rasus libro 6.
 continentis ex sententia Galeni scribit, nequaquam e-
 maciari posse corpora, nisi iecur male sit affectum: po-
 test confirmari haec auctoritas ratione, quandoquidem
 sanguis est ille, ex quo & pinguedo, & caro tum gene-
 ratur, tum conseruatur. Praeterea Gal. in lib. artis medi-
 cae dicit, gracilitatem esse firmissimum argumentum sicut
 temperamenti: Ad quid ergo tot causas peruestigau-
 cum praesertim à me nulla penè sit facta mentio iecoris?
 Secunda dubitatio est, quomodo dixerim ex san-
 guine falso membra tabesceri, & emaciari; nam ex vna
 parte Plutarchus in quaest. natural. i. scribit, plantas ne-
 quaquam

quaquam nutriri rebus salis, quia huiusmodi alimentum terreste est, & consequenter commodum pro alendo esse non potest. Ante Plutarchum Theophrastus lib. 6. de causis plantarum 14. causam querens, propter quam in plantis non inueniatur sapor salis, sed alij sapes; inquit, propterea esse quod huiusmodi sapor ineptissimus est alendo. Et quia videbat instantiam esse de piscibus, qui nutriuntur in mari, inquit, non nutriri aqua salis, neque succis salis, sed aut dulcibus, aut acidis, aut aliis, quæ inueniuntur in mari. quare constat ex hac parte optimo iure à me dictum esse sanguinem falsum extenuare, emaciare, eò quod ineptissimus sit restituendis partibus, quæ quotidie consumuntur. Ex altera parte est idem Plutarchus in eodem lib. q. 3. vel 4. ubi scribit pastores ad saginanda pecora uti sale, quare si pecora saginatur sale, non est dicendum, à sanguine falso necessario consumi corpora. Immo verò addit idem auctor, Appollonium medicum Herophili discipulum, cõsueuisse corpora emaciata reficere, & impinguare rebus salis; adhæc naues, quæ vehunt salem, constat multos mures producere, quod quidem fieri nequaquam posset, nisi sal conferret & ad generationem, & ad nutritionem. Ad primam dubitationem dicendum est, maciem vel recentem esse, vel antiquam; antiqua contumax esse non potest, nisi aliquo pacto sit iccor affectum, & de hac loquebatur Rases; recens verò complures habet causas, à quibus fit, præter iccoris affectum, & ideo non est mirum, si in omnibus causis à me recensitis, neque à Galeno neque ab Auicenna videtur facta mentio iccoris affecti, quamquam ubi fit mentio alimenti diminuti, & vitiosi, simul etiam complectitur iccoris affectus, à quo plerumque sanguis vitatur. Sic etiam possumus dicere gracilitatem vel effrenatiam, vel adscitiam; natiua requirit siccitatem temperamenti necessario; acquisita autem potest fieri absque hoc, quod totum corporis temperamentum siccum fiat. Ad secundam dubitationem dicendum est,

falem, & res salitas posse aliquo modo conducere ad saginandum, & nutriendum, & aliquo ad consumendum, & tabefaciendum. conducit ad consumendum, & tabefaciendum per se, & principaliter, scilicet propter causas à Plutarcho; & Theophrasto allatas, quando quidem res salitæ sunt sicæ, & propterea alimento contrariæ; quare exsiccant corpora, neque in substantiam amissam conuertuntur. Per accidens autem possunt conducere ad saginandum, nutriendum, & generandum, scilicet appetitum excitando, & quod maxime cõtingit, dẽuendo nutrimentum in partes ipsas. Siquidem res falsæ si aliis alimentis commisceantur, veluti vehiculâ quædam sunt, atque quidam cunci, qui ducunt alimenta ad partes, & illa in ipsis infigunt. Inter causas externas sunt primò aer sicus, & frigidus, & sicus, & calidus, vt dicit Gal. 2. Aphor. 28. propter quod omnia corpora Aethiopum emaciata penè sunt. propter hoc etiam videre est plerunquè homines in summa ætate consumi, sicut hoc potissimum contingit puetis, & infantibus. Sic dicit Hippoc. in libro de articulis 28. boues in summo frigore maxime emaciari, & iis cura laxari, licet hoc tribuat inopiæ pabuli. Vigiliæ maxime conficiunt corpora, immò verò citissime, curæ itidem, cogitationes, mœrores, studia; & ideo dicit Galenus libro de articulis Græcos appellasse curas *μελεδω- νας* quasi edant, & conficiant membra nostra. Sic etiam dicit Galenus 2. Aphor. deliria, mentis alienationes conficere corpora; motus quoque immoderatus ea colliquat, vt habet Aristot. 6. Problem. 1. vbi quærens cur alij sedendo, alij verò sese mouendo macresciant? inquit, idè esse, quia corpora frigida, quæ abundant excrementis, nisi sese moueant, non possunt cibum conficere, & propterea consumuntur: sic etiam corpora calida & nullis excrementis referta, si immodicè laborent, consumuntur. Venus immoderata maxime omnium consumit corpora nostra, quia vt dicit Auicenna perinde drachma vna scæminis emissi, ac quadraginta optimi

optimi sanguinis, vt iurè inter causas confumentes
 corpora adnumeretur venus immodica: sic balnea na-
 turalia præsertim quæ exsiccant, cibi parcitas, sicuti la-
 ctis inopia consumit pueros & infantes, nimia fames,
~~pyroptis~~ id est, cibatio vna in die. Sic etiam cibi sunt
 nonnulli, qui propria quadam natura maciem & ta-
 bem inducere inueniuntur, vt est acetum, acida omnia,
 semen rutæ, lininum, vt est apud Plinium, maciem in-
 ducit: Refert etiam Agalanthidus in libro de mari ru-
 bro acridophagos, id est, eos qui vescuntur locustis,
 corpora habere maximè extenuata, & macilenta. Hæ
 omnes sunt causæ apud Medicos, tam internæ quàm
 externæ, propter quas fit macilentia: Cæterùm præter
 Medicos, vulgares hominum, & præsertim muliercula-
 rum in ea fuit antiquitas, & nunc est opinione, corpora
 infantum à viris, & à mulieribus quas cõmuni no-
 mine Strigas appellamus ita effascinari, vt non solum
 morbosa euadant, sed etiam emacientur & consuman-
 tur; de quibus cum non rarò inter medicos disceptatio
 oriatur, hæud inuile forsan fuerit pauca quædã de ipsis
 hoc in loco adnotasse: ac vt à nominis ratione aspicer,
 strigas veteribus vocatas inuenio qualdam aues, quæ
 noctu volare & inter diu cæcæ existere conspiciuntur:
 de quibus fabulosa non pauca credidit superstitiosa
 antiquitas: siue ita dictæ sint à strido quem emittunt,
 siue à stringendo, vt dixit Festus. Ad quarum simili-
 tudinem appellasse videntur strigas veneficas illas mu-
 lieres, quæ noctu oberrantes maciem, pueris præsertim
 ac infantibus, inferre, eosque veneficiis, philtis, incan-
 tationibus & fascinationibus peruertere putantur:
 quæ de strigibus iam inueterata opinio, vtrum vera sit
 nec ne, & qua ratione impurum hoc fascinatricum &
 magarum genus hæc mala faciat: cùm nostrum non sit
 accuratius hac de re disputare, vna cum plurimis iisque
 pulcerrimis & difficillimis, quæ circa hanc materiam
 proponi possent, problematibus, lubens omitto; illud
 vnum asserens, si verum est huiusmodi fascinorosa[m]

artem reperiri, si verum nequissimos ac impurissimos homines posse corpora infantum, aut aliorum hominum corrumpere & labefactare: non alia ratione eos id posse agere, quam ea quæ proposita fuit à Plutarcho quinto Symposia. septimo, & à Tralliano secundo, Problemate quinquagesimo, hi enim grauissimi scriptores de fascinatione copiosissimè differentes prodiderunt tribus potissimum modis posse fascinationes seu maleficia fieri, tactu, visu, atque etiam halitu, immò verò narrat idem Plutarchus fuisse quandam suo tempore Tibiorum gentem; quæ visu, halitu, & tactu corpora infantum scedabat. Tactu quidem posse corpora effascinari, non est quod dubitemus: quia sicuti videmus lepram, scabiem, & pestem, tactu communicari; sic non est præter rationem morbida muliercularum aut aliorum, cum tangunt tenera infantum corpora, ea scedare atque consumere. sic etiam visu posse corpora contaminari, & effascinari, ex eo potest intelligi, quod, vt docent Aristoteles & Galenus, videamus eos, qui ophthalmia laborant, si alios attentè inspiciant protinus communicare ipsis malum: quin immò vt narrat Aristoteles in libro de somniis, mulieres menstruatae, si speculum lucidissimum inspiciant, illud statim maculant, & conspurcant. fertur simile de Basilisco, quem solo visu hominem interimere scribunt. Halitu etiam siue spiritu posse corpora effascinari & lædi, nequaquam rationi dissentaneum est: cum certissimum sit corpora peste affecta, solo halitu propinquos homines venenare, atque etiam interimere. Si quærat aliquis, quo modo fieri possit, vt spiritus in huiusmodi hominibus ita coinquentur, vt eiaculari in alios pariter coinquent: dico hoc posse fieri, tum vitio corporis, tum animi, tum vtriusque. Vitio corporis fit, quotiescunque corpora muliercularum vel viro- rum effascinantium morbida sunt & aliqua labe inte- stina affecta: in his enim cum spiritus toti corpori, om- nibusq; humoribus sint permisti, non est dubitandum quin

quin coinquinentur, & consequenter in alios eiaculari eorum corpora foedent ac corrumpant. Sic mulieres menstruatae corrumpunt teneros pueros, si ipsos at-
tentè intueantur: pari pacto vetulae, si vel tangant, vel atrentè inspiciant infantes, possunt eos corrumpere: nam sicuti dicunt medici Arabes, eos, qui vetulis concumbunt infirmari & offendi, quod eorum corpora sint impura: sic non est absconum eas impuis suis spiritibus posse infantum corpora coinquinare. Vitio quoque animi spiritus fascinantium corrumpi per-
fectissimum est, & rationi consentaneum, quando-
quidem videmus in iis, qui mœrent, qui irascuntur, aut qui aliqua alia animi passione tenentur, non solum spiritus corrumpi, verum etiam eorum corpora vehementer affici. haud secus qui maligni sunt, qui invidia feruent, aut demum aliquo alio animi vitio laborant, possunt spiritus suos, eosque venenatos in aliorum corpora eiaculari, & consequenter ea inficere. atq;
hoc est quod forte Plato dice. e volebat septimo de legibus, cum scripsit filiis nihil perinde timendum esse atque suorum parentum imprecationes: quia vbi parentes irati sunt in filios vsque adeò vehemens esse ira solet, vsque adeo perturbati animi, vt spiritus suos veneno corrumpant, quos cum intuentes in filios iaculantur propter sympathiam, & sanguinis cognationem animos filiorum ac corpora corrumpunt. Quare, vt breuiter hanc rem concludam, si erum est Strigas offendere, non alia proculdubio ratione id faciunt, nisi cum ipsis infantibus approximantur, ita vt vel tactu, vel visu, vel afflatu nocere possint. Cæterum quò ad illud, quod à plerisque hoc in loco quæri solet, cur scilicet existimentur strigæ pueros potissimum & mulieres infestare? idem omnino dicendum censeo, quod olim Trallianus ille dixisse legitur secundo, Problemate quinquagesimo, huic dubitationi respondens, pueros potissimum effascinari & mulieres, quòd eorum corpora tenerima sint, & consequenter exposita ac obno-

xia iniuriis omnibus, licet possit huic causæ adsignari & alia, nempe corpora puerorum cum ab animis minime sustententur, neque defendantur, facile quasuis iniurias subire, pariterque corpora mulierum, cum ab animis timidissimis ac infirmissimis gubernentur, facile iniuriis exponi. signa quib. macies cognoscitur ita sunt euidentia, vt nulla penè industria egeant; nam & carnes, & pinguedines visibiliter consumuntur. Fit facies cadauerosa, vt dicebat Galenus de causis morborum 7. tota corporis figura deprauatur. Cæterum pro cognoscendis causis maciei, maius studium adhibendum, tum vt cognoscamus causas liquefacientes, tum eas quæ ad alimentum spectant. Si colliquefacientes maciem inducunt, cognoscitur ex febris, destillationibus acris, & salis, complexionem calidam & siccam, aut enim hæc omnes, aut aliqua adsunt. Porò causæ pertinentes ad alimentum cognoscuntur, vel quia illud exiguum, & minus est, quam conueniat, vel quia est vitiosum. Si fiat macies propter alimenti defectum, in adultioribus cognoscitur ex eo, quia eam copiam cibi non capiunt, quæ necessaria esset; In lactentibus autem cognoscitur hæc causa aliis signis. Primò ex nutricis vberibus, eò quia flaccida sunt, & lactis omnino egena. Ad hæc nutrices ipsæ aluntur male, appetunt; infantes autem parum mingunt, linteamina nullo modo madefaciunt, plorant, vagiunt; & si alimentum offeratur, conuiescunt, vbera magna auaritate arripiunt. Quare, vbi hæc videbuntur signa, certum esse debet, maciem dependere ex defectu lactis. Sed si deficiat alimentum, quia in alias partes defleciatur, cognoscitur ex euacuationibus, ex alui solutione frequenti, ex vrinæ copia; nam sæpè euenit pueros macrefieri ob copiam alui fluxionis, quod etiam Hippocrati animaduertentes, valde solliciti sunt in perquirendis iis signis in inuentis. Sic si lumbricorum copia infans laboret, suspicandum est maciem hinc oriri, cum scriptum sit à Galeno, & Tralliano sæpè lumbricos nutrimentum

tum arripientes extenuare pueros, & infantes. Sin autem deficiat nutrimentum, quia non exacte, neque copiose præparetur in ventriculo, signa sunt imbecillitas ipsius, frigida scilicet, vel calida intemperies, aut aliquis morbus menstrualis; adhæc vomitus frequentes sunt, eructationes, inappetentia, flatus. Hæc enim signa indicant ventriculum malè habere, & consequenter inde maciem oriri, quia ab eo non præparatur sufficiens nutrimentum; atque tot signis cognoscitur, vbi macies fit propter defectum copię lactis conuenientis. Vbi verò fit propter malam aliquam lactis qualitatem, meritò cuius non sit alendo accommodatum aliis signis cognoscitur in pueris lactentibus, aliis in adultioribus. Quæ indicant vitia lactis signa, partim spectant ad nutricem, partim ad lac ipsum: Quo ad nutricem est, quòd ea erit vel biliosa, vel pituitosa, vel melancholica, splenitica, scabiosa; nam cum lac nihil aliud sit, nisi sanguis optimè concoctus, proculdubio qualis est sanguis, tale necesse est esse lactitiosum; quare ex colore & habitu prauo corporis nutricis facile est iudicare lactitiosum esse. Signa verò, quæ illud consequuntur, sunt, quòd si non sit summæ albedinis, sit mali saporis, non dulce, sit mali odoris; proculdubio est vitiosum: veluti etiam si sit tenuius, vel crassius, vel fluidius quàm par sit. Cognoscitur verò tenuitas, & crassities lactis duobus potissimum signis. Vnum est, vt id ex vberibus recentissimè extractum super unguem digiti maioris fundatur, quòd si statim diffuat, & albefcat, signum est esse tenuius, quàm conueniat: Si autem consistat, neque fluat, argumentum est id esse crassum. Aliud est signum, vt lac nutricis extractum in vase reponatur, atque modica coaguli copia adiciatur, tum digitis & lac, & coagulum agitetur; deinde reponatur, & quiescat donec concreseat. Vbi concretum erit, & feri copia superet caseum, signum est lac & tenuius, & fluidius esse. Si autem superet caseus serum, signum est crassius exi-

stere; debet enim par esse proportio seri, proportioni ipsius casei. Adhæc si lac tenuius, & acrius sit, cognoscitur quoniã infantes cruciatibus torquentur, & alui fluxibus; pustulæ deterrimæ fiunt, præsertim in partibus inferioribus; quemadmodum si crassius sit lac; ut dicit Aetius, infantis aluus stringitur; fiunt furunculi, tubercula varia, vomitus adsunt, parum mingunt, difficulter respirant, & mouentur, mucosi sunt toti. His ergo signis poterit cognosci ubi pueri emaciantur, vel propter defectum lactis, vel propter malam qualitatem. In adultioribus autem cognoscitur vitium alimenti potissimum ex colore: dicit enim Hippocrates in principio libri de humoribus, cognosci potissimum humores dominantes ex coloris superficie. Quæsi pueri malo sunt vultus colore, si scabiosi, aut pustulis aliis laborantes; si membrum aliquod languens, & infirmum habeant, ut caput, ventriculum, hepar; atque vel infirmitates adsint, vel intemperies, vel animi mores, certum est argumentum eos emaciari, quia vitiosum alimentum generatur. Sic sæpe vsu venit, ut emacientur corpora propter virium resolutionem ex aliqua intemperie, & tunc his signis cognoscitur, quia alioqui sunt pueri florido colore, appetunt, comedunt, nec ullam penè querelam habent. Vbi ergo in his macies contingit, certum esse debet fieri maciem totius corporis ob virium resolutionem. Tradunt etiam aliqui signa puerorum effascinatorum, quæ duo potissimum sunt. Primum, si nullis remediis naturalibus, nulla arte macies superari potest; adhæc si nulla alia adsit causa neq; interna, neq; externa, nec ex parte nutricis, nec infantis, tunc arbitrantur, & dicunt eos esse effascinatos. Cæterum omnis macies subitanea, quæ in febribus fit, ut colligi potest secundo Aphorif. vigesimo octavo exitialis est, non solum quia causæ vehementiam, & virium imbecillitatem demonstrat, sed etiam, quia ut dicit Galenus in commentariis, sequitur & humorum tenuitatem, & totius corporis laxitatem.

Fuit

Fuit Hippocrates sententia 2. Aphorismorum septimo corpora, quæ longo tempore extenuantur, longo tempore refici debere, & quæ breui extenuantur, breui etiam refici. Ex quo loco potest colligi, subitaneas macies non esse semper lethales, sed semper esse in febribus, & præsertim in prauis. Id hoc in loco summopere notandum, maciem, & gracilitatem modò à principiis nature oriri, & naturalem esse, modò aduentitiam. Vbi est à principiis nature, semper melior est, quàm pinguedo, & obæsitatis nimia; & hoc est, quod dicit Hip. 2. Aphor. 48. corpora gracilia esse longeuiora, quàm pingua, & crassa; quia ubi gracilia sunt à natura, capaciora vasa habent; quare iure vitam diutius protrahunt. Macies autem aduentitia, si modum excedat, mala est, & peior obæsitate, præsertim verò in pueris; ratio est, tum quia huiuscemodi macies causam semper aliquam sequitur morbificam; tum quia, vt dicit Aristoteles 3. de histor. animal. decimo sexto in his venæ, & nerui extenuantur, & contrahuntur. In pueris multò deterius est, non solum quia crescunt, ob quod etiam plus nutrimenti exposcunt, sed etiam quia corporis habitum valdè diffabilem habent; diffatur autem magis quando vasa sanguine, & calore sunt detecta. Illud tamen est memoriæ mandandum, pinguedinem, & obæsitatem, quæ æqualiter perseverat, esse multò eligibiliorem, quàm sit immodica macies, eò quia vita nostra posita est in humido; & ubi humiditas hæc abundat, fugiuntur plurimæ noxæ, illæ scilicet, quæ ex coitu, ex laboribus, & aliis immensis euacuationibus contrahuntur. Refert autem multum, vt cognoscatur quæ corpora possint impinguari, & quæ non; nam medici sæpe laborant in pinguefaciendis corporibus, quæ ne Aesculapius quidem possit à macie liberare. Quare signa habenda, quibus hæc possint præcognosci; scribunt enim & Auicenna & Rasès ea corpora posse arte pinguefieri, quæ sunt humida, & mollem cutem habent; sunt enim corpora omnia mollia apta, & accom-

modata, vt in quamlibet dimensionem extendantur; ex aduerso quorum corpora arida sunt, quorum cutis dura, & aspera est, ea vix vnquam pinguescere possunt: præterea si cutis non solum sit arida, sed etiam ossibus ita adnexa, vt spasmata videatur, vel si neque manibus, neque vlla arte possit in longum extendi, nulla spes est pinguefactionis. Ex aduerso, si cutis sit ruffa, leuis, rugosa, ita vt protrahatur, & veluti ab ossibus separetur, spes est omnino hæc à macie liberata iri; & ratio impinguationis in his posita est primum vt causæ omnes, quæ maciem inducunt, arceantur, deinceps vt prouideatur, quò & copiosum alimentum, & idoneum non desideretur: postremò vt alimentum optimum genitum distribuatur per vniuersum corpus, apponatur, assimiletur, & vniatur. Sed quanquam hæc videantur esse communia tam pueris ipsis, quam aliis; nos tamen tantummodò rationem curationis in pueris docebimus, quæ posita est in duobus potissimum; tum in remediis puerorum lactentium, tum eorum, qui sunt adultiores. Lactentes enim cum solo lacte, quod exigua præparatione eget, alantur; remedia, quæ ipsis conueniunt, vel lac ipsum respiciunt, vel attractionem, & distributionem ipsius nutrimenti, vel correctionem membrorum interiorum. De lacte, quia vt dictum est, potest esse causa, vel quia deficit, vel quia vitiosum est, ad vtrumque horum nullum remedium est præstantius, quam statim nutricem mutare, atque eam eligere, quæ vel optima, vel melior sit. Notæ autem, quibus nosci possunt optimæ nutrices, vel habentur ex ipsius lactis probatione, vel ipso corpore nutricis. Ex lacte iam notas retuli, ex corpore autem hæc sunt, vt sit optimo corporis habitu; Aristot. 3. de hist. animal. vlt. laudabat in nutricibus colorem fuscum, magis quam albidum; sed his coloribus multò melior est ille, qui mistus est ex albo, & rubeo; quod quidem signum est, in corpore optimum sanguinem fieri, & consequenter lac accommodatù: præterea
debet

debet nutrix esse optimorum morum, non iunior viginti annorum, nec senior quadraginta; & si bis peperit, nec à partu absit plus duobus, vel tribus mensibus, optimum erit. Sic etiam debent esse lati pectoris, & mammas habere, quæ nec magnæ sint, nec parvæ, sed medias inter magnas, & parvas, quod si huiusmodi nutrix eligi non possit, ita ut non liceat mutare pravam, veluti sæpe magno infantium detrimeto contingit, studendum est, ut aliqua meliori ratione & copiosum, & optimum lac fiat; quare tota cura conuertenda est ad nutricem, ut scilicet teneatur in aere temperato, prouideatur quò dormiat; nam somnus, si quid aliud, magnopere conducit ad lactis prouentum. Sic studendum est, ne nutrices vel ira, vel mœrore afficiantur; vel amore, vel aliqua alia passione teneantur; quoniam, ut experientia quotidiana constat, huiusmodi affectus in ijs tantum possunt, ut magnopere lac corrumpant; sic etiam prouidendum, ut non utantur venere; hoc enim perniciosissimum est, quia sæpe gravidæ fiunt, & lac colostratum præbent, vel saltem ex coitu menses prouocantur, quò fit ut non possit copiosum alimentum fieri; debet autem nutrix moderatè exerceri ambulationibus. Laudo etiam quod laudat Aegineta, ut leuiter singulo mane ante cibum fricentur pectus, & mammarum. De potu mea est sententia, aut arcendas esse ex toto à vino, aut eo utendum esse, quod sit omnino pauciferum, quod caput minimè grauet; ne scilicet dum volumus lac copiosum facere, infantem epilepsia, vel conuulsionibus perdamus. Laudo etiam consilium Aeginetæ, ut si nutrices debent vino uti, utantur potius dulci, quàm alio, videlicet quod ad caput non efferatur, & consequenter illud non offendat. Debent cibi omnes esse optimi succi, & multi alimentati, quare omnes cibi acres, ut allia, capræ, omnes salsi & amari, sunt omnino arcendi à nutricibus; optimus sit panis, carnes vitulinæ; caponum, auium, oua forbilia, pisces nulli, forbitiones ex farre, ex amylo, ex oryza, atque omnes cum

lacte amygdalarum, vel nucleorum pini. Solent laudare laganoꝝum vsum ad conficiendum lac copiosum, quod ego quidem laudo, modo fiant talia, vt possint optime confici. Si infans emacietur, quod lac qualitate peccet, anre omnia prouidendum est, vt lactis prauitas corrigatur, idque melius fieri non potest, quam si nutrix ipsa curetur; quapropter vbi lac frigidum est & humidum, atque tenue, aer eligendus est calidus; prouidendum est vt dormiat, vt exerceatur corpore, vt potet vinum; vtque cibi omnes calefacientes suscipiantur; quo in casu vsus etiam aromatatum in cibis accommodatissimus erit; quare halica cum aromatibus, oua, & carnes optimi succi semper erunt nutritici prebende. Quod si constet eam abundare frigidis, & pituitosis humoribus, erit corpus eius preparandum, & expurgandum ijs medicamentis, quæ & preparare, & purgare pituita possunt. Sed dicet aliquis, est ne quo tempore sumit nutrix pharmacum, lac eius prebendum infanti? nam si verum est, quod alias docti ex Hippoc. lac animalis pharmacum capientis expurgare infantem, videtur rationi consentaneum, vt dum expurgatur nutrix, consequenter infantis aluus soluat, quod tamen est inimicum macici. Hoc sit perpetuum preceptum, vt quo tempore nutrix capit pharmacum, curetur vt biduum vel triduum infans alia vbera sugat. Sed si hoc non licet, non admodum sollicitandum, quia si medicamenta nutritici propinata non sint vehementia, nec impartiunt facultatem hanc; siquidem siue offeratur mel rosaceum solutiuum, siue manna, siue etiam rhabarbarum, aut serum; horum medicamentorum vis adeo exigua est, vt extinguatur, priusquam lacti communiatur; secus autem est, si medicamenta sint vehementia, vt scammonium, colocinthis, turbit. Et hoc esse verum ex eo intelligitur, quia Hippoc. 6. Epidem. dum hanc rem docet, exemplum dedit de elaterio, quod animalia, quæ capiunt illud, vel simile vehemens medicamentum, inficiant lac qualitate huius medicamenti.

Si

Si lac fuerit crassius quàm par sit, debet victus ratio nutriticis tota posita esse in vsu rerum attenuantium, & incidentium; propterea acetum & solum, & alijs mistum conuenit, hyssopus, satureia, mentha, scandix, raphanus, & alijs: hæc enim in frequenti vsu habita in nutritice, magnopere attenuant sanguinem, & consequenter lac. Laudat Aeginetá vomitum cum aceto multo factū, quod etiam ego nō damno; & forsā ad expurgandum stomachum nutriticis multo tutior est vsus vomitus, quàm medicamentorum. Si lac acre, & calidum extiterit, debet teneri nutritix in aere frigido, quiescendum est, balnea aquarum dulcium conferunt; abstinendum est ab omni vsu vini, aut si concedendum sit, debet omnino pauciferum esse. Cibi conueniunt ex hordeo, & zea, ex herbis refrigerantibus, præsertim verò lactucæ vsus, quippè quæ non solum sanguinem feruidū, & tenuem corrigit, sed etiam hac ratione copiam lactis mirificè auget. debet vitare omnia falsā, omnia acia: quæcumque aromata. atque hic est modus occurrendi; vbi macies, propter lactis vitium orta est. Quod si orta sit ob aliquod vitium externum, vel ventriculi, vel iecoris, vel alicuius visceris, studendum est vt occurraturijs medicamentis, quæ possunt intemperies in infantibus corrigere. Nam si purgandus erit infans, tota medici operatio debet esse circa nutriticem. Sed cum oritur macies ob sola vitia interna, debet quidem nutritix accuratè gubernari, sed potissimum studium necesse est, vt sit cūca corpus infantis. Quia autem hæc ætas non sustinet vehementes medicinas; immò verò ore ferè nullæ medicinæ conueniunt, studendum solum est externis remedijs occurrere; & iccirco si frigidus, & humidus ventriculus erit hoc fomento poterit foueri;

R. Foliorum origani,
Menthæ viridis, an. m. i.
Calami aromatici,
Florum rosarum rubearum an. p. s.
Aquæ calamenti lib. i.

Vini odorati vnc. 2.

Fiat decoctio, & cum spongiola, vel panno fiat fomentum ventriculo; post quod erit inungenda illa pars hoc vnguento:

R. Olei masticiini vnc. s.

Pulueris cinamomi,

Gariophil. an. drach. s.

Cerae parum,

Misce, fiat linimentum. Si ob intemperiem siccam ventriculi contingit macies, fons lactis ventriculo factus accommodatissimus est; accommodatissima etiam est hæc inunctio:

R. Butyri recentis,

Adipis gallinae an. vnc. s.

Croci grana 4.

Olei de absinthio vnc. 3.

Misce, & fiat linimentum. aduertendum verò in ventriculo nequaquam solis relaxantibus esse vtendū, sed semper addendum esse aliquid, quod possit constringere. Si ob incendium macies contingat, potest hæc fomentatio tepida adhiberi:

R. Aquæ cichorei,

Endiuiæ,

Nymphaeæ,

Absinthij an. vnc. 4.

Aceti vnc. 2.

Cum panno fiat fomentatio iecinori; postquam conuenit hæc inunctio:

R. Vnguenti sandalini vnc. s.

Succi cichorei,

Epatice an. vnc. 2.

Aceti rosati vnc. i s.

Misce, & fiat linimentum. Si emacietur infans propter alui fluxum, nutrix debet aliis cibis, qui possunt aluum adstringere, vt sunt citonia, mespila, granata, sorba, ius gallinae antiquum, quod dicebat Galenus adstringere, atque etiam pedum vitulorum. Præter victum nutricis

sunt

sunt etiam adhibenda remedia externa; inter cetera laudatur corallum collo infantis appensum; iaspis etiam lapis conducere putatur. aghæc conuenit huiusmodi linimentum:

R. Olei myrthini,

Citoniorum an. vnc. s.

Pulueris corallorum rubeorum vnc. 2.

Succi corticum nucum viridium, vel

Succi rubi vnc. 3.

Pulueris masticis,

Gallæ an. drach. s.

Misce. In his etiam casibus lintamina, quibus inuoluuntur infantes, fumo imbuere conuenit, atq; ad hoc commodus erit modus iste, vt accipiatur puluis, & proijciatur super carbones, deinde fasciæ, & alia lintamina eo fumo imbuantur: accommodatus autem puluis hic erit:

R. Florum rosarum rubearum,

Foliorum rubi,

Labruscæ an. m. s.

Nucum cupressi,

Gallarum immaturarum,

Nucleorum mespilorum an. vnc. s.

Corticum nucum maiorum nucleorû pini vnc. 1.

Contundantur omnia, & in pulucrem crassum redigantur. Quod si oriatur macies propter intemperiem siccam totius corporis, nullum præstantius remedium excogitari potest, quàm continuum balneum ex rebus humectantibus. Laudabat Auicennas balneum factum in lacte, sed hoc difficile est factu, præsertim apud quosuis; multò melius est parare balneum ex aqua fluuij, in quo decoquatur, caput castrati, malua, lapatium; post balneum inungatur corpus totum oleo amygdalarum dulcium, butyro recenti; nam & veteres utebātur butyro loco olei ad inungenda corpora, oleum etiā dulcissimum accommodatum est. Quod si præter siccitatem sit intemperies calida in toto corpore, balneo ad-

infant. 61.

denda sunt etiam quæ refrigerant, vt lactuca, endiuia
 nymphæa, papaueris capita; & linimento adhibendum
 oleum rosatum omphacinum. Quod si siccitati coniun-
 cta sit frigiditas, miscenda erunt & balneo, & linimen-
 to ea, quæ calefaciunt moderatè, vt sunt flores chamomeli,
 folia calamenti, oleum anethinum, chamomelinum;
 poterunt etiam in his casibus crebrò infundi cly-
 steres vel ex lacte, vel ex pane trito in brodio, vel ex vi-
 tellis ouorum parati. Dicit enim Arnoldus Villanovanus,
 & optime, facile esse, vt infantes possint nutrir
 per clystres, quia proximi sunt generationi, id est flatui,
 quem habuerunt in vtero, in quo nutriebantur per
 vmbilicum absque vlla ventriculi confectione, vel præ-
 paratione. Solent etiam adhiberi ad maciem curandam
 picationes, & dropacissimi; sed in hac ætate, in qua cor-
 pora sunt penè cerea, omnino debent hæc medicamen-
 ta vitari; suo enim intenso calore magis enervant, &
 absumunt infantium carnes. Si pueri effascinati putentur,
 inquit Serenus medicus antiquissimus, allium appen-
 sum collo maximè arcere omnes effascinationes. Sic
 etiam multa alia sunt, quæ existimantur appensa con-
 ferre, vt Carbunculus lapis, Saphyrus; Dioscorides
 multum laudat alyssum herbam, rhamnum Plin. Hæc
 enim, inquit Dioscorides, si appendantur in domo, vbi
 sunt infantes, arcere effascinationes omnes. Mulieres etiam
 suas habent medicinas, & inter ceteras solent vti
 suffumigationibus ex ciperò, garyophillis, cinamomo,
 ligno aloes, sed in frequentissimo omnium vsu habent
 thus. Sunt qui laudant anulum factum ex vngue onagri.
 laudant etiam præ ceteris vsu herbæ illius generis
 fatirij, quod dicitur orobis femina. Sed volo hic obiter
 quædam notare. puto enim veteres nostros sub
 nomine rei turpis, quam appendebant collo infantis,
 intellexisse hæc herbam; nam vt est apud Marcum Varro-
 nem, veteres habebant in vsu collo infantis appendere
 res turpes, vt verarent omnes effascinationes. Scio
 multos fuisse, qui existimarunt hanc rem turpem fuisse
 formam

formam membri virilis, sed nugæ sunt; puto enim à Varrone pro re turpi intellectam esse rem quamcunque turpem, non sine ratione; quia, vt docui, si vlla sit effascinatio in infantibus, secundum Medicos & Philosophos, ea est, quæ sit per oculos; quotiescumque scilicet mulieres, aut viri venenati, attentè intuentur ipsos infantes. Veteres ergo illi sapientissimi, vt auerterent oculos istorum ab adipiendis infantibus, iure voluerunt res turpes appendi collo ipsorum, vt hæc fœda & turpia spectra facerent, ne mulieres attentè adspicerent. Atque hæc est ratio curationis infantum lactentium, laborantium maciæ. Vbi puer non lacte, sed solido cibo nutritur, ratio curationis maciæ est illa, vt præ ceteris omnis causâ externa adimatur, vel si vnus morbus internus auctor sit gracilitatis, per sua remedia extinguatur, siue sit febris, siue alius morbus, siue intemperies interna. Post hæc Medici studium versari debet, vt optimam nutritionem prepararetur & præparatum vniuerso corpori distribuatur, vt distributum vniatur, & assimiletur. quapropter ad hæc omnia præstanda, vnica est ratio victus accommodatè instituenda. est enim aer humidus temperatus eligendus, siquidem calidus maximè perniciosus est; sic ignis, & sol fugiendus, & ante cetera cauendum, ne pueri emaciati indumentorum multitudine caleant; somnus semper optimus, atque etiam si longus sit. Animi omnes motus vitandi; præterquam quod si corpus fuerit frigidius, iram conferre compertum est; exercitationes corporum moderatæ esse debent, fuit enim sententia Hippoc. 6. de Diæta, & etiam Gal. 6. epid. com. 3. text. 2. tardas deambulationes pinguefacere, celeres verò extenuare; sicuti etiam notum est, quod scribit Arist. 6. problem. 1. videlicet calida corpora sedendo pinguescere, frigida verò pinguescere motu. Aluus moderatè lubrica esse debet, balnearum etiam vsus utilis est, modò opportunè adhibeatur. Vinum potandum est, sed tenue, odoratum, subdulce, non austerum, quod tamen perpetuo pauci-

scrum

ferum sit. Qua in re laudare nō possum Rāsem, & Auicē qui consulant potādum esse vinum crassum; hoc enim & per se obstruit, nec nutrimenti vehiculū esse potest. Cibi debent esse optimi succi, pinguiusculi, sapidi, non autem acidi, neque saliti, nisi tamen ad excitandum appetitum, qui necessarius est pro impinguatione; requirantur & salita, & acida; propter quod forsā Appollonius ille Herophili scētator ad impinguanda corpora vrebatur salitis, vt scilicet essent veluti vehicula, & appetitum excitarent. Quamquam scio apud Pliniū lib. 10. cap. 73. scriptum esse dari pecori sal, vt fitiat, & multum potando pinguescat. Cibi autem, qui conueniunt, sunt optimæ carnes gallinarum, caponum, phasianorum, gallorum Indorum, vituli, turdi; carnes castratorum, vitelli ouorum, testes gallorum, cerebellā hædi, vituli, suis; pultes ex farre, oryza, panis coctus in brodio, Oryza cocta in lacte. Laudatur etiam cicer in lacte maceratum. Inter fructus sunt amygdalæ, pistacæ, passulæ, quas dicit Auerroes pinguefacere; oleum, etiam, & butyrum; anellanæ nuges, de quibus dicit Plinius eas plus pinguefacere, quā sit verisimile; & hoc ostendunt Sciuri, qui hoc genere victus maxime pinguescunt. laudat etiam Hippoc. in lib. de veteri medicina caseum, quem dicit mirifice pinguefacere. Sed mea sententia Hippoc. eo in loco interpretandus est de recenti, non autem de vetusto. Hæc est victus ratio, circa quam oritur dubitatio, quandoquidem magnus Hippoc. in lib. de salubri diætā tradens rationem macrefaciendi corpora obæsa, dicit esse alenda cibus pinguibus, & adfert rationem, quia pingues cibi citissime saturant; propter quod saturantur quidem corpora, sed non replentur: subnectit etiam eo in loco, si crassifacere placet, contraria ratione mēdendum esse. Contra autem hanc sententiam est Rases, Auicennas, sunt fere omnes Græci, imo ipse Galenus, qui vnanimiter consulant, vt ad corpora pinguefacienda in vsu habeantur cibi pingues. Pro resolutione dicendum est, vsu ciborum pinguiū vel posse

posse esse moderatum, vel immoderatum, & cibos pingues vel esse parum, vel multum pingues. Vfus ciborum pinguium immoderatus, seu eorum, qui sunt admodum pingues planè multum abest, vt conferant ad pinguefaciendum, quia illud præcisè agunt, quod scribit Hippocrates. Ceterum cibi parum pingues, atque vfus horum moderatus confert planè ad corpora pinguefacienda; & de his interpretanda est sententia omnium Arabum, & Græcorum. Præter hæc sunt genera aliqua eduliorum, quæ proprietate manifesta, aliqua verò occulta qualitate pinguedini conferre putantur. Quæ conducunt manifesta qualitate id faciunt, vel quia opumam ciborum coctionem efficiunt, vel quia alimentum concoctum distribuunt, vel quia nutrimentum ipsum apponunt, & velut incumbant ipsis membris. Bonam coctionem efficiunt aromata ferè omnia, tum quia gratissima sunt ipsi stomacho, tum quia calorem natium quodam pacto augent, & conseruant, veluti sunt cinamo. garyophilli, nux myristica. Soleo ego in extenuatis corporibus vti hac iucunda confectione.

R. Pulpa caponum elixorum,

Perdicis an. vnc. s.

Nucleorum pini,

Pistaceorum in vino maluatico maceratorum vnc. s.

Amygdalarum dulcium vnc. i.

Cinanomi,

Garyophyllorum,

Nucis muscatæ an. vnc. i. s.

Sacchari fini quantum sufficit.

Fiat secundum artem vel torta, vel morselli; hi enim iucundissimi sunt, & maximè conferunt ad impinguanda emaciata corpora. Ad perducendum autem cibum ad membrum, conferunt omnia remedia diuretica, quæ & vias omnes maximè recludunt, & sunt veluti vehicula deferentia succos, & alimentum ad membrum. Sic etiam confert potus inter cibos factus, id est, inter prandium, & cœnam, vel cœnam & prandium. Et

f

qui indiscriminatim in corporibus emaciatis damnant omnino inter cibos potum, longe falluntur, quia & Galenus ipse in tabidis corporibus 7. Methodi laudabat, ut etiam à cibo biberetur. Et ferè hoc perpetuum est, ut qui inter cibos potare solent, obæsi sint. Ad affigendum autem cibum ipsis partibus, conferunt ea potissimum, quæ humectant humiditate quadam viscida & tenaci, in corporibus scilicet frigidis calida, in calidis, & siccis frigida. Et hæc est ratio, propter quam Rases, & Auicennas laudant ad impinguanda corpora papauer, hyosciamum, & alia multa, quæ impense refrigerant. Hæc etiam ratione dicit Lucretius capras pinguescere cicutis, quod scilicet hæc animalia sint calida & sicca, & propterea frigidis temperetur eorum calor, & siccitas, ita ut nutrimentum conficiant. Non enim existimandum est sola cicuta, aut capras, aut sturnos pinguescere, sed his præstatur via, & modus naturæ ad pinguefaciendum. Est autem illud aduertendum in pueris pinguefaciendis, etsi corpora eorum contingat esse calida, & sicca, nequaquam tamen usurpanda esse hæc adeo frigida; quoniam cum ipsorum robur vitale sit infirmum, facile collabatur usu adeo frigidorum. Inter ea, quæ proprietate quadam occulta existimantur conferre ad pinguefaciendum, à Dioscoride, & Auicenna proponitur sarcocolla; nunc apud mulieres est in usu nux Indica, cuius accepta interna medulla teritur quàm subtiliter potest, & vel vnc. 1 vel. 2 vel vnc. s. permiscetur modo brodio simplici, modo pani incocto in brodio, modò pultibus. Auicennas etiã proponit puluerem ad pinguefaciendū, quem nec ego improbo, sed eo etiam uti solco:

R. Farinæ Amyli,
Sarcocollæ an. lib. 1:

Fiat pasta cum butyro, & exsiccetur; deinde redigatur in puluerem, cuius accipiantur vnc. v. in aqua frigida. Et notandum multos esse, qui ad pinguefaciendum corpora

fit propter cerebrum, vt dicit Arist. 4. de partibus animal. 10. & 2. de generatione animal. 4. quibus in locis Auer. diligentissime disputat aduersus, Galenum; æquum fuit quemadmodum cerebrum multum, & magnum erat, sic etiam caput magnum fabricari. Causa verò propter quam indiguit homo in infantia cerebro multo, fuit propter instrumenta ipsa sensuum, & præsertim propter oculos, quorum tanta fuit necessitas in hac vita, vt etiam perfectos eos homini statim coacta fuerit parare. paratos autem esse perfectos ex eo intelligi potest, quia in tota vita oculi vel nihil, vel parum admodum crescunt. Quia verò instrumenta omnia sensuum, & præsertim oculi, originem ducunt ab ipso cerebro; immò verò conseruantur, & vt ita dicam, aluntur ab ipso, ea propter fuit necessarium, vt ipsum multum esset, quò scilicet posset sua amplitudine sufficere tum omnibus sensibus, tum potissimum ipsis oculis. Quòd si, quemadmodum dicit Arist. præ multitudine cerebri, & magnitudine capitis illud sustentare nõ possint, prouidit natura, vt beneficio parentum, & nutricum huic detrimento succurratur. Et hæc est ratio, propter quam Hippoc. 4. de morbis, & in Epistola ad Demetrium regem dicit, cerebrum radicem esse omnium morborum, atque ipsum esse omnium corporis partium morbosissimum. Capitis autem magnitudo, quam tractamus, nihil aliud est, quam tumor præter naturalis capitis in infantibus potissimum contingens. Appello tumorem præter naturam, quia etsi magnitudo immensa naturales vitiatas operationes faciat, veruntamen non est ita morbosa appellanda, vt auxilio medico indigeat; quandoquidem cum sit naturalis, fieri nequaquam potest, vt corrigatur. Dico capitis in vniuersum, quia fit huiusmodi tumor in tota capitis amplitudine. Scio & Actium, & Auicennam prodidisse hunc tumorem fieri quandoque in peculiari capitis parte; sed plerumque tamen fit in toto capite. Addidi postremo in infantibus potissimum.

tiffimùm, quia videtur hic morbus protinus eiusmodi ætatem, quæ proxima est generationi, infestare. Quamquam me non lateat etiam in adultioribus eum fieri, cum Hippoc. 2. de morbis mentionem faciat hydropis cerebri; sed quemadmodum dicebam, plerumque contingit in infantibus. Volo hic obiter dicere fuisse inter Theologos Theophylactum, & Eusebium, qui prodiderunt Iudam proditorem periisse hoc morbo, id est, hydropem ventris, & cerebri ita passum esse; vt caput eius instar dolij esset. Sed hæc obiter. Est ergo tumor hic morbus in magnitudine aucta, à quo læduntur operationes tum naturales, tum etiam animales. Et quia omnis magnitudo aucta fit vel propter solidorum incrementum, vel propter humoris alicuius additionem, vel propter flatum; hic tumor non fit ob incrementum partium solidarum, sed tum propter humores additos, tum maximè propter flatum. Si fiat propter humores, dicitur à Græcis communi nomine *ὕδρω κεφαλῆ*: Hippoc. 2. de morbis vocauit hydropem cerebri. Humor autem quia potest vel intra, vel extra cranium colligi, si colligitur intra cranium, Auicenna s. 1. 3. tract. 3. cap. 10. & 11. appellat aquam intra cranium; si vero colligatur extra illud, Auicennas & Arabes vocant aquam extra cranium. Sed si flatum colligantur, fit morbus, qui dicitur *ἰμφοσημο κεφαλῆς* à Paulo, nos dicere possumus capitis inflationem. De hydrocephalo, qui est capitis tumor aquosus in infantibus, tres potissimùm pulcerrimæ, & vtilissimæ speculationes à nobis sunt habendæ. Prima est, quæ nam propriè sit materia à qua fit hic tumor aquosus. Secunda, in quo loco propriè hæc materia colligatur. Tertia, quando huiusmodi humor in capite coaceruetur. Circa primam inter medicinarum scriptores inuenio nonnihil controuersiarum, auctor libro Defin. medicarum hanc habet sententiam, *ὕδρω κεφαλῆς* fieri vel ab aqua, vel à sanguine feculento. Actius libro sexto capite 1. scribit hunc tumorem fieri vel ab aqua pura, vel crassa, vel cruenta. Celsus

folius aquæ in huius morbi generatione meminisse videtur. Auicennas non solum ex aqua fieri, sed etiam ex alijs humoribus arbitratus est, ita ut facile sit cognoscere de materia hydrocephali, non esse constantem, & concordem sententiam medicorum. Ego autem in hac lite sum huius sententiæ, ex ea materia fieri hydrophem cerebri, ex qua etiam fit hydrops ventris. etenim hæc ægritudo nomen adepta est propter similitudinem quam habet cum hydrope. Iam vero hydrops fit quidem ab aqua, sed interdum crassiore; nam vidi in Patauino quodam aquam eiectam è corpore hydrophico, quæ non minus grauis erat, quam plumbum; interdum etiam ab aqua tenuiore, interdum cruenta; quapropter materia huius mali est semper materia aquosa. Quod cum videret Auicennas, dixit fieri ab humiditatibus aquosis, non ab aqua simpliciter, licet etiam dixerit fieri ab alijs humoribus. Sed intelligenda est eius sententia de ichoribus, seu de parte aquosa ipsorum humorum, non de ipsis humoribus. Sed quid dicemus ad auctorem libri definitionum? Dico illum fefellit, quia si naturam huius mali spectemus, vix fieri potest, ut in tam tenera ætate adeo sæculentus, & crassus sanguis exeat è venis, qui faciat hunc tumorem. Sed forsitan melius est, ut salva huius scriptoris auctoritate, dicamus textum illum deprauatum esse, quod facile cognosci potest ab ijs, qui græcam linguam callent. Quare paucissimis mutatis sententia illius scriptoris eadem erit cum Aetij sententia, qui enim volunt corrigere græcum textum, scribant ἀπὸ τοῦ ὑγροῦ ὑδατώδες ἢ αἰμυρώδες ἢ αἰσώδες, & ita in latinum reddant, vel ab humido aquoso, vel cruento, vel fœculento; ita enim correctus, contextus græcus, & latinus habebit eandem penè sententiam, quam habet Aetius. Immo ego existimo Aetium mutasse sententiam suam ab hoc libro. Sed dicet aliquis, cur ergo scribit hydrocephalem fieri ab humore lento? Hic est purus Cornarij error, & Montanus melius transtulit hunc locum; est enim senten-

sententia Aetij fieri non à lento humore, sed pigrè, & lentè, non acutè moueri. Circa secundam speculationem Paulus, & Auicennas in hoc conuenisse videntur, aquam colligi in hoc morbo tribus in locis. Primò intra cutem, & membranam cingentem craneum. Secundò inter membranam, & os ipsum cranei. Tertio inter craneum, & membranas vestientes cerebrum, quas aliqui vocarunt omenta cerebri. Aetius addit his tribus & alium locum, scilicet inter cutem, & musculos temporales; vt secundum ipsum quatuor in locis colligatur. Secundum Paulum verò, & Auicennam videatur tantum colligi in tribus. Sed circa hoc est grauiissima, & pulcherrima quæstio, quomodo fieri possit, vt aqua colligatur intra craneum, ità vt tumidum caput reddere possit; nam intra craneum, & membranam vestientem cerebrum non videtur id spatij esse, vt possit aqua eo in loco contineri, & tumorem parere; præterea os adest, quod nequaquam tumorem patitur, immò humores videntur hæc ossa coercere, & quasi in carcere continere. Tertio scimus omnes peculiare esse illis aquosis humoribus, vt relictis locis planis ad caua labantur. Cùm ergò in cerebro cauitates sint magnæ, & etiam ventriculi, multò æquius videtur esse, vt humores intra craneum præcipitentur in eas cauitates, & apoplexias inducant, priusquam fiat *ὑδρωτική*. Postremò hic morbus tentare solet pueros nuperrimè natos, ita vt dixerint nonnulli, hanc ægritudinem concipi in ytero. In ytero autem, vt sciunt omnes, nutriuntur fœtus per venas vmbilicales, quò fit vt videatur magis rationi consentaneum, hanc aquam colligi in ipso ventre, quàm in capite. Pro solutione huius quæstionis dubitandum non est aquam colligi posse in ipso cerebro; præterquam enim quod Hippoc. 2. de morbis manifestissimè hoc fieri docet, nulla etiam ratio verat, quin fieri possit, vt monstrabo. Cum enim primò dicitur huiusmodi aquam non colligi, quia non adfit spatium in-

ter membranas & craneum; verum quidem est, sed verum etiam est, aquam sibi spatium parare, videlicet comprimendo substantiam ipsius cerebri, & ipsas membranas. Quod porro dicitur os crani obstare, quod minus tumor fieri possit; respondeo illud in infantibus usque adeo tenerum esse, ut ceræ cuiuspiam instar possit in quamlibet dimensionem dilatari, præsertim verò circa commissuras. Dicit enim Arist. & benè 7. de Hist. animal. 10. cuncta animalia prodire in hanc lucem perfectis omnibus ossibus, verum hominem exire ijs imperfectis, præsertim pertinentibus ad caput, quod quidem fit non ob aliud, nisi propter immensam cerebri humiditatem. Ad tertium autem respondeo, verum quidem esse, quod aqua, quæ colligitur in cerebro, quædoque præcipitatur in ipsius cavitates, non tamen negandum esse, propter hoc, quin etiam possit colligi, ita ut non penetret in ipsius ventriculos; quædoquidem fieri potest, ut membrana illæ sua densitate cohibeat aquam, ne in cerebrum penetret. Ceterum illud verum est, aquam, quæ colligitur intra craneum, morbum esse maxime periculosum. Dicit enim Actius veteres prodidisse hanc speciem hydrocephalæ esse perniciosissimam, quem deinde sequuti sunt Auicennas, & Haly abbas; qui dicebant in hac specie mali non esse ingenium curationis. Ad postremum autem respondendum est, huiusmodi aquam colligi potius in utero, quam extra uterum & potius in capite, quam in alijs partibus ob quatuor causas. Prima est situs capitis intra uterum; scribit enim Hippocrates in lib. de genitura, & in lib. de natura pueri, homines in eo caput habere inclinatum ad os eius, quod fit, ut cum proprium sit ipsius aquæ petere semper deorsum, facile fiat ut à toto corpore fluat in ipsum caput, tanquam in infernam partem. Secunda causa est larga, & copiosa humiditas cerebri, qua fit, ut nequaquam absurdum videatur, in capite maxime pleno aquosis humoribus, colligi etiam posse aquam, & fieri tumorem. Esse verò humidissima infantum capita

ex eo patet, quia statim ac in lucem editi sunt, vt dicit Aristot. 4. de partibus animal. 10. & 7. de hist. animal. 3. caput ipsum nequaquam continere possunt. Tertia causa est multitudo, & copia vaporum. Vt enim videmus, vbi & calor, & humiditas est copiosa, copiosissimos etiam vapores eleuari, & in aquam conuerti. Pari pacto in corpore infantum calidissimo, & humidissimo verisimile est copiosissimos vapores fieri, qui ad caput sublati in aquam vertuntur. Quarta est capitis vasorum amplitudo, & consequenter potentissima vis attractoria. Scribit enim Hippoc. 4. de morbis, & in epistola ad Demetrium regem, a natura superpositum esse caput ventri tanquam cucurbitulam quandam, & propterea attrahere humores aquosos, & pituitosos a ventriculo, & ab omnibus partibus infernis. Colligitur autem hæc aqua in capite duplici modo, primo per vapores, quemadmodum dixi: secundo per exitum e venis, quem consuevit Hippoc. sæpe dicere, vomitum venarum. Fit enim vt quotiescunque venæ vel propter repletionem, vel propter compressionem, vel ob aliquam aliam rationem aperiuntur, vt inquam exeat ille humor, qui magis lubricus est, qualis est humor aqueus. Et iccirco cum intra, tum extra vterum contingit, vt vel propter errorem nutricis, aut obstetricis nimis comprimatur caput, vel in vtero casu aliquo nimis comprimente venæ coarctentur, ita vt effundant ex se ipsis humores illos aquosos; quo fit vt vehementer errauerit Gulielm^{us} ille Placentinus Chirurgus, qui existimauit fieri hunc morbum ex aqua sanguinis menstrualis. Dicemus autem nos fieri vt interdum huiusmodi morbus incipiat in vtero, & tamen post ortum per aliquot dies vix appareat. Iam enim dixi, cum tractarem de Variolis, non inconuenire, vt interdum morbi contracti in vtero, lateant per plures menses, & annos. Sed nunc hoc in loco dico summo cum errore fieri, vt hic morbus concipiatur in vtero, & deinde post exitum ab vtero appareat. Primum enim hoc facere possunt errores & obstetri-

cum, & nutricum, vt dixi, sed potest etiam fieri sine vllō errore & sponte, eo scilicet pacto, quo morbum epilepticum cōcipi iu vtero docet Hipp. scribens, quōd dum natura perficit membra intra vterum, expurgat, & euacuat quod necesse est, ita vt nihil nocui relinquatur, vnde capita augescunt sana sunt. Sed si aliquid in hac perfectione relinquatur, fit vt post exitum ab vtero ex illis reliquiis & epilepsia, & alij morbi suboriantur. Est ergo hydrocephalos aquosus tumor, qui fit tum extra, tum intra cranium. Intra cranium quidem fit, tum quia copia aquę os capitis tenerum flectit, & tumorem licet non insignem inducit; tum quia suturas capitis disiungit, quibus deinde disiunctis aqua effusa intra cranium tumorem parit. Pari pacto fit flatuosus tumor, qui à Græcis *ιμφορμα* dicitur, cuius materia eadem pene est, quæ & speciei illius hydropis, quæ dicitur Tympanitis. Sicut enim in Tympaniti flatus maxime ex parte est, qui facit tumorem, ita & in hac paucus adest humor. Quod spectat ad locum, vbi flatus colligitur, est sententia Aeginetæ libro 4. cap. 28. in iisdem locis colligi eum, in quibus colligitur aqua, scilicet inter membranas cerebri, & inter cranium, vbi flectere facit os, vel ipsas suturas dissipat, aut colligitur inter os cranei, & membranas, aut inter membranas & cutem, vel inter musculos temporales & cutem. Modus autem generationis huius tumoris est, quod à calore debili ipsius cerebri, cum non possit superari copia humoris, fit vt eius magna pars in flatum conuertatur, qui deinde ea in parte detentus, tumorem inducit. Vt verò detineatur flatus in capite, duo potissimum efficiunt, videlicet flatus ipsius crassities, & cutis capitis densitas; propter quam flatus alioquin crassi erumpere minime possunt. Illud hoc loco aduertendum, hunc tumorem flatuosum in fetu tam extra, quàm intra vterum, multò rarius contingere quàm hydrocephalon. Ratio est, quia plerunq; humores aquosi, qui in infantibus exuberant, tenues admodum sunt, ita vt flatus, qui ex ipsis
pro-

creantur, tenues admodum sint, & facile propterea dissoluantur. Sed alia etiam est causa, quia licet in infantibus, interdum cutis densa sit, plerumque tamen rara est; & indicium huius est, quoniam infantes tum in utero, tum extra eum, caput capillis plenum habere solent. Scribit enim Aristot. 2. Problem. 6. & 17. non sudare multum caput, neque sudorem illum admodum foetidum esse, quia foraminulentum est: ita ut vapores facile expirent, & dissoluantur; esse vero foraminulentum ex eo probat, quia in ipso oriuntur capilli. Quare hac Aristot. ratione compertum esse potest, rara esse infantium capita, propterea quod in utero, & extra uterum capillati sunt. Quamobrem ex hoc discursu conghans potest esse sententia, materiam coniunctam utriusque huius tumoris esse vel aquosum humorem, vel aquam, vel flatum; vel ut dicebat Avicenna. calidum aliquem humorem, cuius tumorem appellat aquas infantium. Causae horum tumorum antecedentes, variae sunt: in primis autem est facultas, & calor debilis cerebri infantium, merito cuius contingit, ut larga illa copia aquae, & flatus, nequaquam dissolui possit. Paulus addit etiam esse rarefactionem vasorum, propter quam aquosa materia ex iis refusa, dum colligitur, tumorem facit. Adhuc est inter causas, materni sanguinis aquositas; dixi enim fatum nutriri in utero optimo sanguine, quod fit ut consumpta crassa & meliori parte huius sanguinis, remaneat aquosa tantum: & consequenter tumor suboritur: sic etiam inter causas externas numerare possumus cibos quibus alitur praegnans. si enim utatur nimio aquae potu; siue fructibus, aut aliis cibus aquosis aut flatuosis, facile occasionem praestat generationi huius mali. Hinc scribitur apud Aristot. 7. de hist. animal. 4. saepe foetus extra uterum gestare esculenta matrum, non solum propter eam rationem, quam habet Albertus Magnus, scilicet propter calorem uteri attrahentis cibos incoctos, sed multo magis, quia ex huiusmodi edulis gignitur sanguis aquosus, vel talis.

qualia sunt alimenta à matre accepta. Adhæc causæ externæ sunt mimiæ prægnantium concussiones, præsertim circa os vteri; vnde fit, vt ad generationem huiusmodi morbi in infantibus maximè conferat importunus Veneris vsus, eo præsertim tempore, quo fetus in lucem proditurus est; Item obstetricis, aut nutricis imprudentia; nam vbi infans ab vtero progressus est, ab ipsa caput eius formatur manibus, propter quod contingit, vt sinistra compressione effundantur humiditates in vasis, & fiat hoc malum. Nutrices etiam interdum imprudenter tractât capita infantium, & huic malo occasionem præbent. Inter has causas recenset Actius plagas, percussiones, & contusiones, & alia. Cæterum non est difficile hoc malum cognoscere, quia ad sensum apparet esse vitium in aucta magnitudine, vt non opus sit versari diligenter in inquirendis vniuersalibus signis. Sed de signis materiæ, & loci magis solliciti esse debemus, quoniam si flatus tumorem fecerit, duobus his argumentis cognoscitur. Primò, quia vbi leniter pulsatur caput, instar tympani cuiusdam resonat. Secundò, si digito prematur tumor, aut nõ cedit, aut si cedat, illico ad pristinum statum redit. Si ab humore fiat, & ille sit extra cranium, cognoscitur in primis luciditate; videtur enim caput veluti splendere; si percutiatur, nullum sonum edit; si digito prematur, facile quidem cedit, sed difficulter deinde, & tardè ad pristinum statum reuertitur; sine dolore est, sine coloris mutatione; fletus tamen & vagitus inducit. Si sit intra cranium, inquit Auicennas, ægrum quidem grauitatem capitis percipere, cuius meritò fit, vt infantes plorent, & vagiant. In adultioribus autem fiunt vertigines, oculi lacrymantur, & ferè claudi non possunt; sed aperti manent, quasiq̃ in vnum semper intueri videntur. Verum video aliquem dicturum, quomodo fieri possit, vt in copiosissima capitis humiditate oculi nõ possint claudi. nam videtur potius contrariũ debere contingere, quia larga, & copiosa humiditate relaxan-

tur

tur membra, quibus relaxatis potius contingit, vt in se ipsa concidant; quare debet hoc idem contingere oculis, vt scilicet ipsorum palpebræ relaxatæ nequaquam subsistant, sed in se ipsas concidant. Dico rationem obquam non clauduntur, duplicem esse. Prima, quia dura mater valdè comprimitur à copia humiditatis, quæ compressa cum tendatur, tendas similiter palpebras facit, vt consequenter claudî nō possint. Secunda est, quia propter largam humiditatem, palpebræ vsque ad eò replentur, vt minimè claudî queant. Si ichores aliorum humorum, vt dixit Auicennas, malum faciant, ex colore potissimum internoscitur: quia si ab ichore bilioso, color erit subflauus; si à sanguine, rubeus: si à melancholia, liuidus. Externæ causæ cognoscuntur potissimum relatione, præterquam quod si ex percussione, vel ex contusione factum sit malum, adest & dolor, & color rubeus, aut liuidus. Si ex aqua intra cranium factus est tumor, vt dicit Aetius, malū lethale est, nec est ingenium curationis, vt ait Auicennas. Sed si sit extra cranium, minus quidem lethalis est, verum neq; id vacat periculo; quia omne capitis malum graue est; grauius autem in hac ætate, quæ neque malum, neque remedium ipsius sustinere potest. Scribit Auicennas, quod si in capitis inflatione alui fluxus succedat, ferè malum irremediabile esse. Scopus autem omnium remediorum præcipuus in hoc malo est, vt causâ coniuncta aboleatur, scilicet vt flatus omnis dissipetur, atque extenuetur; & aquosus humor omnis euacuetur. Euacuari autem potest, vel insensibiliter, vel sensibilibiter; & sensibilibiter quidè vel potest euacuari medicamentis hydragogis, vel chirurgica, & manuali operatione. Vtrū autem horū faciendum fuerit, necessaria omnino est recta victus ratio; quæ, si æger fuerit lactans, tota dirigi debet ad nutricem; si verò adultior sit, ad puerū ipsum conuertenda, & idcirco eligendus est aer calidus, & siccus, in quo & nutrix, & infans conferuetur. Si verò huiusmodi haberi non possit, præparandus est igne, sus-

fumigis ex lignis odoratis, & calidis. In infante lactente
 prouidendum est, vt nutrix potius vigilet, quàm
 dormiat; & pueris ab lactatis permittendus somnus, sed
 multò minor, quàm si sani essent; eò quia sicut vigilie
 ad exsicandum mirificè conferunt, sic somnus magis
 humectat quàm par sit. Exercendum corpus moderatè, & quod
 dicunt aliqui pectinanda esse capita infantium; permio-
 sissimus est error. Corpus moderatissime lauandum
 est; alius lubrica seruanda, & si non fluat, vel glande ex
 melle, vel ex sapone vtendum. A vino prorsus abstine-
 dum est, & in pueris, & in nutrice; loco cuius paradum
 est decoctum factum ex aqua cum coriandro, & anisi.
 Cibi omnes ij debent esse, qui possunt flatu discutere,
 humores dissipare; & propterea panis modico fursure,
 & coriandro confectus accommodatissimus est. Carnes
 omnes auicularum, præsertim montanarum, & assæ
 potius, quàm elixæ. Aromatum vsus moderatus maxi-
 mè utilis est; sic etiam vsus modicus salis utilissimus est;
 & inter fructus amygdalæ, pistacea, auellanæ conferunt.
 Utilia sunt coriandra saccharo condita; abstinentum
 ab omnibus herbis, & fructibus aqueis. Si infans, & la-
 ctens sit puer, videndum est nunquid nutrix sit puro
 corpore, an impuro. Si enim sit corpore puro, nequa-
 quam est sollicitanda medicamentis, ne scilicet lac tur-
 betur. Sed si prauis humoribus plena sit, diligenter ex-
 purganda erit pro qualitate, & natura eorum humo-
 rum, qui ipsam turbant. Infanti vero nulla alia reme-
 dia conueniunt, nisi auxilia externa. Et hoc est, quod
 dicit Rasus in libro experimentorum, solam nutricem
 esse purgandam hiera aliqua magna. Cæterum & si
 compertum sit remedia extra conuenire, illis tamen in
 hac ætate est vtendum prudentissimè, quia facile hæc
 ætas à quolibet importuno remedio offenditur. Si er-
 gò tumor sit flatuosus, tentandum est flatu discutere
 & fomentis, & inunctionibus; fomentum autem po-
 test huiusmodi parari:

R. Foliorum origani,

P. le-

Pulegij,

Satureiæ ana m. i.

Cimini,

Anisorum ana vnc. i.

Fiat decoctio secundum artem, qua spongia imbuta capiti apponatur. Post fomentū cōueniet etiam inunctio, & primò fat erit inungere oleo chamomelino salito; quod si non profecerit, potest addi oleum anethinum, & ipsis folis etiam addi modicum pulueris anisorum, aut fœniculi, aut vini, vt eò felicius cura succedere possit. Sunt etiam aliqua, quæ si nutrici exhibeantur, utilia sunt, vt est hæc confectio:

R. Conseruæ betonicæ,

Anthos ana vnc. i.

Pulueris coriandri,

Anisi ana vnc. i.

Misce, & capiat mane, & vesperi vnc. s. huiusmodi enim confectio potest lacti facultatem flatu discussoriam enlargiri. Quod dicunt aliqui conferre etiam gargarismata, & sternutatoria, potest quidem verum esse; sed hæc remedia penè extrinseca vt iuuare possunt nutrices malè affectas, sic infantibus ipsis nullum penè adiumentum adferunt, quia per hæc medicamenta lac multis qualitatibus afficitur; atq; sic tractandus est tumor flatuosus, qui si in adultioribus pueris erit, valentioribus etiam medicamentis tractabitur. Cæterum in tumore aquoso, & puero adulto, qui sustinere medicamenta valet, erit primò purgandum; quare ante alia sic lenietur aluus:

R. Mellis rosati solutiui vnc. 2. vel 3. pro captu,

Brodij parum

Misce. Lenita aluo sic præparantur humores.

R. Foliorum arthemisiæ,

Satureiæ,

Stœchados,

Chelidoniæ ana m. s.

Fiat decoctio secundum artem: deinde

R. Prædictæ decoctionis vnc. 2. s. vel vnc. 3.

Mellis rosati simplicis,

Syrupi de stœchados ana vnc. s.

Misce. præparati humores purgabuntur his pillulis.

R. Pillularum aurearum vnc. i. s.

Castorei grana 2.

Radici ireos subtiliter puluerizati drach. s.

Misce, & cum melle rosato solutio fiant pillulæ num. quinque, quod si puer abnuat pillulas deglutire, potest propinari huiusmodi medicamentum.

R. Radici ireos, (hæc enim euacuat aquam) vnc. i.

Passularum vnc. s.

Seminum fœniculi,

Coriandri,

Cinamomi ana drach. s.

Fiat decoctio secundum artem, deinde

R. dictæ decoctionis vnc. 2. s.

Agarici trociscati vnc. s.

Infundantur secund. art. deinde facta diligenti expressione, adde mellis rosati solutiui vnc. i. s. misce. Post quâ fuerit corpus pueri purgatum, ea confectio, quam iam nutriti proposui, accommodata erit; tum ad externa medicamenta veniendum est, quæ & lactenti puero; & non lactenti conueniunt. In horum vsu Auicennas præcipit vt diligenter aduertatur, nunquid aqua in capite pauca sit, an multa; & nunquid sit intra cranium, vel extra; Et si extra, vtrum illic collecta fuerit, an potius à partibus internis sit vehementer ad externas propulsa. Si enim sit ab internis ad externa propulsa, monet ipse, non esse curationem aggrediendam, eò quod res penè desperata sit. Sed dicit quis, nonne Rasès restatur se vidisse aliquos etiam curatos esse? nonne Aetius ponit huius rei rationem? Dico, hoc quidem verum esse, sed sciendum est, aquam ab internis ad externas partes effusam, posse esse vel copiosam, vel paucam. Si copiosa sit, ita vt premente digito refluat ad internas partes, actum est; sed si sit pauca, ita vt non refluat

fluat

fluat dum premitur, tunc curari potest; & iccirco Rasem, & Aetium huius curationem instituisse existimo. Si materia pauca sit, & collecta in partibus externis, conandum est omni studio, ut ea dissipetur; quod quidem fieri potest & fomentis, & intinctionibus. Si dabitur copia aquae sulphureae, aut marinae, praestabit in primis hoc auxilio uti, scilicet imbuere spongas leues hoc liquore, & capiti superimponere, sic etiam lixiuium utile est, quod si parretur cum rebus exsiccantibus, eò melius erit. Exempla gratia:

R. Cineris è ligno ficulneo lib. 2.
Aquaë marinae, vel communis lib. 20.
Fiat lixiuium secundum artem, quo percolato adde in petia

Coriandrorum,
Anisofum ana p.s.
Furfurum p.l.
Item Foliorum pulegij,
Origani,

Arthemisia ana m.l.s.
Bulliant omnia ad consumptionem partis quartae, deinde facta colatura in usum adhibeantur; sic etiam iuuat parare lixiuium cum sulphure. sulphur quoque per se tritum, & lana sicca capiti appositum magnopere prodest ad exsiccandum. Valentiora exsiccantia remedia valde formido, praesertim in illis pueris, qui sunt iuniores. Sic quoque fiunt emplastra ex herbis praedictis, quae coctae, atque tritae ad formam emplastri superponuntur capiti. Emplastrum etiam ex limacis tritis maxime prodest: Soleo ego ostreacea qualibet iubere ut conterantur, & cum aqua salita fiat emplastrum, quod & aquam capitis, & etiam ventris solet dissipare. Sic potest inungi caput oleo aliquo, ut:

R. Olei irini,
Chamomelini ana. vnc. 2.
Pulueris ircos,
Sulphuris ana vnc. 2.

Cerae parum.

Fiat linimentum. Sic quoque laudo, vt auribus infundatur oleum chamomelium cum modico iridis: potest etiam infundi oleum cum modico sulphuris, & fagapeni cum modico castorei. Laudat Rafes cerebrum lupi exsiccatum, & cum musco inpersum intra nares; nam quæ naribus, & auribus infunduntur remedia, facile virtutem suam cerebro communicant, & maxime iuant. sed si aqua copiosa sit extra craneum collecta, vanus solet esse vsus huiusmodi remediorum externorum, & internorum; quia sicut interna remedia valentia non conueniunt in hac ætate, sic vel mediocria, vel exigua nihil proficiunt; idem quoque est de externis. Quapropter nulla alia superest spes, nisi in sensibili humoris aquosi euacuatione. Fit autem hæc euacuatio per chirurgiam, id est, per sectionem; in qua peragenda illud obseruandum est in primis, quod Actius & Paulus docet, scilicet, vt si tumor magnum apicem habeat, vna sectione apex secetur. quod si maior sit, non vna sectione, sed duabus, atque tribus pertundendum est caput. Aliud quoque obseruari debet, vt semper fiat sectio in parte decliuore, eò quia facilius multò, & proutius euacuatio fit, vbi aqua locos decliues habet per quos labatur. Facta sectione laudant omnes, & iure, vt non semel, sed paullatim euacuetur aqua; quod si in hydrope ventris id faciendum est, multò magis in hydrope capitis debet fieri; quia sedes est spirituum animalium. Facta sectione, & paullatim aqua educta, imponenda sunt ea medicameta, quæ imponuntur vulnibus, vt sunt linrea oleo, & vino madefacta. Illud aduertendum est hoc in loco, quod Actius monet, si pueri sint robustiores, hæc medicamenta esse arctè deliganda; sed si sint teneriores, & debiliores, sat esse, leuiter locum pertusum tegere molli lana, aut pileo mollissimo, & leuissimo; & hoc modo intelligendus est sermo de ligatura apud Auicennam. Contingit interdum, vt educta aqua, & curato ipso vulnere, tamen caro supercreciscere

crefcere non poffit; quod quia contingit aliquo offis vitio, ideo blandiffime os ipfum radendum eft, vt fcilicet parte vitiofa sublata, facilius fupercrefcere poffit caro. Sed fi aqua fuerit collecta intra cutem, & mufculos temporales: aut inter mufculos & cutem, medicamenta nihil profunt; pertundere enim mufculos temporales lethale eft. quare Aetius ex fententia Leonidæ medici monet tantisper expectandum effe, donec aqua fubtus mufculos exiftens ad latera reftagnet; quo tempore deinde, inquit, in ipsis lateribus mufculorum faciendas effe fectiones; intactis tamen mufculis, atque deinde manubrio cultelli feqregandas effe partes illas ab offe, vel à cute, atque paulatim euacuandam effe aquam. In reliquis curandum eft vulnus, vt dixi; atque hæc eft curatio hydrocephali fecundum Græcos, & Arabes. Celfus autem lib. 4. cap. 2. aliam curationem videtur inftituiiffe, vbi fcribit, primùm vfque ad cutem tundendum effe caput, deinde apponendum effe aliquod medicamentum caufticū, illudque retinendum effe, quoufque locus vlceretur; quod fi vlcus parū profit, inquit, tū scalpello effe vtendum. Quem fectioni plerique chirurgi, in eam fententiam deueniunt, multò fatius effe curare hydrocephalum medicamentis caufticis, atque non vnum, fed plura vlcera capiti inurenda, quàm ad fectionem deueniendum: eo quod fi fectione periculofa eft in hydrope ventris, dicunt ifti, multò periculofiore effe in hydrope cerebri; & Gulielmus ille Placentinus magni nominis olim Chirurgus teftatur fe neminem vidiffe hac medicina curatum. Poffumus etiam & illud addere, Hippoc. 2. de morbis, antequam ad fectionem hydropis cerebri deueniat, prius tentare omnia alia auxilia; quali monere velit, non nifi in desperatis cafibus, & post tentata cætera auxilia deueniendum effe ad fectionem. Sed negari non poteft hanc medicationem periculofam effe, & propter ætatem, & propter affectus ipfius magnitudinem. Verum tamen alia eft ratio hydropis ventris, & alia hydropis

capitis; quandoquidem ubi aqua est extra cranium, potest multo facilius euacuari, quam aqua in ventre existens. Præterea non video, quomodo ulcerationes in capite toto penè aqueo non sint etiam periculosissimæ; quia sicut ulcera in partibus siccis facile sanescunt; sic in corporibus humidis aut nunquam, aut vix ad sanitatem perueniunt. Quapropter non sum ex iis, qui abhorrent hanc medicinam à veteribus propositam. Illud verum est, illam aquam esse paulatim vacuandam, neque faciendam sectionem in iis, qui nuperrimè sunt nati, sed in grandiusculis, in quibus non vsque adeo periculum magnum imminet. Si sit factus tumor ab ichoribus aliorum humorum, qui tumor Atlas ab Auenenna dicitur, monet ipse, vt nutritrix alatur rebus refrigerantibus, vt ptisana, & aqua hordei; vt capiti supponatur oleum violaceum, & vt caueat omnino à balneo, eò quòd balneum aquee calentis solet caput & alioquin calidum plus calefacere; quod si timeatur alui fluxus in hoc morbo, conuenit cibus factus ex hordeo torrefacto, spodio, semen portulacæ, aut plantaginis torrefactum. hæc enim deglutienda dantur pueris ad aluum ipsorum moderatè constringendum; atque hæc de curatione hydrocephali sufficiant. Ordo & institutum nostrum postulat, vt reliquos capitis morbos persequamur. Sed quoniam hæc tractatio aliàs à nobis copiosissimè habita est, cum morbos cutaneos tractauimus, existimo satius esse ad alios nondum tractatos propere aggrediar ergò tractatum cuiusdam morbi, qui in pueris frequentissimè oriri solet circa collum, & communiter struma dicitur. Esse verò hunc morbum puerilem & externum, clarissima habemus testimonia Hippocratis & Galeni. Hippocrates enim tertio Aphorism. vigesimosexto manifestissimè cum numerat inter morbos pueriles, quemadmodum & Galenus in Comment. Esse verò morbum externum i.

dem Galen. explicatissimè docuit

lib. I. de Differ.

De

De Struma. Cap. V.

EXTERNOS morbos plerosque tractavi inter cutaneos morbos. Nunc agam de frequentissimo pueris morbo, qui Struma dicitur; quam Hippoc. 3. Aphorif. 26. refert inter pueriles, & Galenus in Com. Est verò morbus externus, quoniam Gal. lib. 1. de Differentiis morborum 5. eum inter euidentes morbos numerat. miror ergo eos, qui de puerilibus morbis tractantes huc omittunt. Hic verò morbus, à Latinis dicitur Struma, à Græcis *scrophula* vocatur, Barbaris scrophula: Aetius lib. 15. cap. 5. Auic. 3. partic. tract. 2. cap. 9. nominis rationem ostendunt; vel quia hoc in morbo multæ fiunt in collo veluti propagines quædam, vel quòd sues quemadmodum scrophæ multos partus edunt feminae, quæ scrophæ dicuntur, eo solent vehementer tentari. Sed dubitari potest, si hic morbus est familiaris suis, cur Aristot. 8. de hist. animal. 21. tractans de morbis ipsorū nullam faciat mentionē de strumis? Respondeo, quia loquitur eo in loco de illis morbis, qui interficiunt sues; hæc autem ægritudo non est exitialis, ob id præteritur ab illo; verum in eo loco est error Gazæ: nam vbi Aristoteles scribit sues laborare cancro, & grabra, atque grabram dicit esse capitis grauitatem, & alui profluuium, hic transtulit grabram strumam, quemadmodum etiam fecit capite vigesimo tertio eiusdem libri. Verum toto cælo aberrauit; distant enim hi morbi ab inuicem. Deceptum verò puto Theodorum errore Plinij lib. 8. cap. 61. qui & ipse forsitan malè intelligens Aristotelem dixit sues laborare struma, & angina. cæterum struma nihil est aliud, nisi tumor præter naturam durus, nascens potissimum circa collum, & ceruicem, maximè puerorum. Dixit tumorem præter naturam durum, quia Galenus libro de Differentiis cap. quinto & lib. de tumoribus præter naturam, eum ita appellat, quemadmodum etiam facit Auerroes septimo collect. 33. quo

in loco dicebat strumas, seu scrophulas esse apostemata dura in carne molli. Dixi etiam hoc ad differentiam glandularum induratarum, quæ prout diuersæ sunt à strumis, in diuersis etiam locis tractatæ inueniuntur à medicis. Sed dicit aliquis, quomodo ergo auctor libri definitionum medicarum scribit, strumas esse carnem siccam, & solum difficilem? Præterea cur est, quod Aetius libro 15. capite quinto ex sententia Leonidæ medici definiens hunc morbum, dicebat esse carnes subalbas in folliculo contentas? Respondeo, nisi hi scriptores pro carne intellexerint materiam carni similem, aut, ut dicit Auicennas tertio quarto tractat. 2. capite nono, cum carne suspensam, magnoperè decepti sunt; quandoquidem materia, ex qua fiunt strumæ, valde diuersa est, ut videbitur suo loco, à materia, ex qua fit sanguis, & caro. Immo verò idem Aetius loco citato inquit, strumas interdum fieri ex carne, sed rarò, & ipsas glandulas interdum conuerti in strumas. Ex quo loco facile intelligi potest secundum ipsum longè diuersam esse materiam carnis à materia strumarum. Dixi in collo potissimum, quemadmodum & Celsus libro quinto, capite vigesimo octauo, & Paulus libro quarto, capite trigesimo tertio, & Galen. & Auic. locis citatis manifestissime dicunt, hoc morbi genus oriri potissimum in collo, seu ceruice; sed oriri etiam sub alis, & inguinibus, & in aliis locis. Immo verò idem Celsus ex sententia Megis Chirurgi antiquissimi, cuius etiam meminit Gal. 6. Methodi 7. scribit strumas oriri quoq; in mammis mulierum. Sed, ut dixi, licet in omnibus his locis oriantur, potissimum tamen, & maxime in collo. Quare ex his omnibus intelligi potest, strumas morbum esse in magnitudine. Nam teste Auicenna, & experientia, sæpe fit, ut ad immensam magnitudinem hi tumores excrescant. Lædit autem hic morbus actiones naturales, & animales, præsertim motricem: & lædit tum impedita facultate, tum etiam læsa ab intemperie frigida. Locus affectus, ut dixi, propriè est collum; atque hoc

hoc significatum habemus ab Hippocrate in libro de glandulis, vbi strumam dicit esse potissimum colli morbum. Sed quia modo dicebam etiam alijs in locis fieri hos morbos, melius est dicere locum affectum esse ipsos adenas in vniuersali; quod cum cognosceret & Paullus, Galenū imitatus 14. Methodi 11. dicebat strumas esse adenas *εκαλεσθημενους* induratas, quod etiam dixit Gal. 1. de locis affectis 3. Causa immediata, & materialis strumarum planè humor est: nunquam enim fit hic morbus à flatu; sed quis sit humor, à quo fiunt strumæ, non est certum inter medicos. Hippoc. libro de glandulis, & libro de affectionibus statuit causam materialem ipsarum esse fluxionem copiosam, glutinosam, & lentam; quem sequutus Gal. 3. Aphor. 36. dixit materiam strumarum esse pituitam frigidam; & nullo modo fieri ex materia calida. Cæterum Celsus loco citato scribit eas fieri ex materia subtus cutem cōcreta, commista ex pure, & sanguine. quam sententiam videtur quoque mutuatus Plutarchus 4. quæst. conuina. 2. vbi scribit strumas fieri à calore, & humore sanguineo. Videtur ergò cōtradictio inter Hippocratem, Galenum, & Celsum. Gulielmus Placentinus Chirurgus, Theodoricus, atque ferè omnes Barbari Chirurghi videntur hanc sententiam habuisse, quod strumæ fiant & ab humore pituitoso, & à melancholico. Verum hæc grauissimorum scriptorum dissensio videtur hoc pacto tolli posse, nempe ex natura ipsius rei perspecta. Diximus locum affectum esse glandulas, quæ cum sint veluti sedes excrementorum, non alia excrementa debent hos morbos efficere, nisi ea, quæ in iis locis colliguntur. Iam verò si nutrimentum glandium spectemus, est sanguis pituitosus, & frigidus. Si humores ad ipsos decumbentes, est materia pituitosa. Rationi ergò consentaneum videtur, excrementa, quæ colliguntur in his locis, non esse alia, quàm pituitosa. Hippocrates igitur & Galenus cum spectarent ipsius rei naturam, iure constituerunt fieri tantum hos morbos à pi-

tuita viscida, & lenta. Cæterum Celsus cùm respiceret materiam remotam, quæ sanguis est, eò quòd in sanguine continentur omnes humores, voluit ab ipso strumas fieri; quæ etiam quoniam sæpè in pus conuertuntur, non est mirum si puri sanguinem addidit. Alij verò chirurgi veluti indoctiores, & inelegantiores consueverunt appellare quemlibet humorem crassum, & terrestrem melancholiam, vt non sit mirum, si dixerint etiam fieri ex melancholia; quanquam minime negandum videtur, quin etiam interdum ipsi pituita copulari possit humor melancholicus. Sed hic oritur pulcherrimum problema, cur fiat, quod strumæ interdum folliculum habeant, interdum non? cui respondeo, primò sciendum esse folliculos nihil aliud esse, nisi vesiculas quasdam membranofas, in quibus varij humores solent reperiri, modò sebacei, modò gypsei, modò mellei, modò etiam alterius naturæ; membranæ verò hæc, vt habetur apud Hippoc. in lib. de carnibus, fiunt ex parte sanguinis sicciore, & magis glutinosa, à frigido cõgelata. Scribit enim ipse eo in loco membranæ omnes fieri à principio ortus, dum affata materia glutinosa à frigido cõgelatur. addit etiam ibidem, quòd si corpus hominis secetur, sanguinem, qui fluit, calidũ esse, & liquidum, vbi verò cõgelatur obduci veluti quadam pellicula, quæ si detrahatur, aliam iterũ nasci, & si hæc etiam auferatur, tertiam oriri; ita vt sit Hipp. sententia huiusmodi cuticulas membranofas fieri à frigido congelante partem humoris, seu sanguinis, glutinosam & frigidã. Igitur in strumis, vbi materia expers est viscositatis, & glutinis, licet concresecat, & congeletur, non tamen sit cutis hæc membranosa. Sed vbi in ea reperitur pars glutinosa, cùm congelatur à frigore partis seu glandis, fit circumcirca cutis, & consequenter vesica; in qua postea materia contenta pedetentim crassescit, scilicet parte subtiliore illius loci tempore absunta. Inter causas strumarum antecedentes primũ adfertur ætas puerilis & iuuenilis; addere etiam possumus ætatem
confi.

consistentiæ; quandoquidem, vt habet Hipp. in Coacis prænotionibus, à quadragesimo secundo anno ætatis, vsque ad sexagesimum tertium, neque struma, neque lapis renalis, neque destillationes dorsales, neque morbi renales gignuntur, nisi tamen antecedente ætate factæ sint, & deinde veluti continuentur. Temperatura etiam corporis frigida, & humida, habitus laxus, & in quo collum breue sit; quandoquidem, teste Auicenna 3. 4. tract. 2. cap. 9. qui habent collum ita constitutum, facile recipiunt strumas, eò quia à capite in eas partes humores facile labuntur, & lapsi tenaciter hærent. cæterum non est prætereundum hoc in loco quod scribitur lib. 1. veterinarie medicinæ cap. 20. vbi Absirtus, & Hierocles tradiderunt iumenta castrata non teneri hoc morbo, quod etiam in hominibus obseruari est plerumque cõtingere, vt scilicet qui carent testibus, hoc morbo non tententur. Causæ porro externe complures sunt, in primis verò regiones frigide, & humide, orium, potus aquarum crudarum, & crassarum, vsus casei, lentium, leguminum, & tandem omnium ciborum crassorum. Sed præ cæteris maximè confert ad generationem strumarum voracitas, propter quã & pueri, & infantes maximè laborant hoc morbo. Immo verò scriptum est ab Auicenna, & Rase 13. cõtinentis, non ob aliud hunc morbum maximè infestare sues, nisi propter voracitatem. Fiunt autem strumarum plurimæ differentiæ, quarum aliæ capiuntur à magnitudine, aliæ à materia, aliæ à constitutione, non autem ortu, vt interpretatur Cornarius, aliæ à loco, aliæ à copia, & vasorum complicatione. A magnitudine capiuntur, quia strumarum aliæ magnæ, aliæ paruæ, aliæ mediæ sunt. Rases enim in lib. de diuisionibus scribit eas interdum inchoare à magnitudine ciceris, & euadere vt melones. A natura differentiæ sumuntur, quia aliæ benignæ, aliæ malignæ sunt; benignæ quidem sine dolore, sine inflammatione, cum moderata duritie, mediæ scilicet inter scirrhos, & steatomata. Malignæ verò cum

dolore, cum inflammatione, & duritie insigni. A constitutione captæ differentia sunt, quia alia strumæ eleuata sunt, & huc, atque illuc mouentur; alia verò sunt veluti inserta, & penè immobiles. A loco capiuntur differentia, quandoquidem alia sunt in parte anteriore colli, alia in posteriore; veluti sunt cutanea quædam, atque profunda, & circa nobilia, & insignia vasa posita. A copia denique, quia vt Auicennas dixit, quandoque cumulantur in acruum, quandoque non; vt à vasorum etiam complicatione differant; quia interdum complicata sunt magnis venis, & arterijs, interdum verò minimè. Signa quibus strumæ cognoscuntur alia sumuntur à visu, quoniam circa collum, vel circa inguina, vel alas apparent tumores modò rotundiores, modò oblongi; modò eiusdem coloris cum superficie, modò rubicundiores; præterea duri, plerumq; sine dolore. Tactu autem sumuntur signa, quia si tractentur, duriores sunt, neque facilè huc, atque illuc mouentur. Dicebam superius magnam similitudinem intercedere inter strumas, & glandulas induratas; danda est ergò opera, vt possit cognosci, quando sint glandulæ induratae, & quando strumæ; similes enim sunt & loco, & materia. loco quidem, quia etiam strumæ fiunt in glandulis illis; materia verò, quia ex iisdem humoribus generantur. differunt tamen inter se, & primò, quia materia glandularum subtilior est, & tenuior; strumarum verò crassior, & viscidior, & magis contumax, & hinc est, quòd quotiescumque materia tenuis, & subtilis in crassatur, sicut ex glandulis strumæ. id quod intelligere voluit Galenus i. de locis affectis 3. quando dixit glandulas interdum transire in strumas; quam sententiam etiam mutuati sunt Aegineta, & Auicennas. Secundò, quia glandulæ induratae magis separatae sunt à carne vicina, ita vt liceat faciliter cognoscere ipsam tactu à glandulis; strumæ verò ita propagantur in carnem vicinam, vt per arduum sit dignoscere ipsam à glandibus. Tertio differunt inter se, quoniam hæ semper,

per, aut plerumque folliculum habent, illæ sunt semper folliculi expertes. Rogerius Chirurgus modum quendam proposuit ad distinguendas glandulas à strumis, & est, vt capiantur folia hederæ, atque citri, & simul pistata superponantur tumori; quòd si spacio triù dierum delitescat tumor, signum est glandulas esse, non strumas; sed si medicamento exacerbatur, ita vt rubeat, & doleat, signum est non glandulas, sed strumas esse. Celsus scribit strumas & ægros, & medicum maximè defatigare, quia quocumq; modo tractentur, exasperantur, & si curari videantur, tunc iterum reuertuntur. Non ergo est dubitandum morbum hunc difficillimum esse; nam strumæ infantium, & puerorum, vt dicit Auicennas, sunt faciliores curatu, atque etiam tractabiliores; iuuenum verò multò perniciosiores, & lethaliore, quia sæpe in caneros, & alia vlcera pessima mutantur. Paruæ strumæ superficialiæ & benignæ sunt magis salutare, faciliusque curantur. ex aduerso magnæ, profundæ, malignæ, exitiales sunt, immò penè irremediabiles habentur. Apud Actiũ inuenio vnum, quod magnam mihi difficultatem adfert, dum inquit loco citato, strumas, quæ fiunt in collo, facilius curari, quàm reliquas. quæ sententia mihi sanè placere nunquam potuit. Primò, quia nemo est, qui ignoret huiusmodi strumas difficillimè suppurari, & si suppurentur, quandoque tamen frequenter rēdire; vt taceam turpitudinem illam, quam videmus relinqui ab hoc morbi genere. Secundò est sententia ferè omnium Chirurgorum huiusmodi strumas difficillimas esse, & propterea neque medicamento acuto, neque ferro, vllò modo tractandas eò, quòd corrosio irremediabilis sæpè contingere soleat. Immò verò lib. i. medicinæ veterinæ, habetur etiam strumas in iumentis in collo non esse neque ferro; neque igne tractandas. Tertiò, quis non videt inguina, & alas locos esse multò ignobiliores, nec vasis insignibus scatere? Ex aduerso in collo sunt venæ iugulares, & carotidæ, propter quas sæpè fit.

vt etiã dicit Galenus i. de locis affectis, vt ex imperita curatione chirurgorum, denudatis arterijs, venis, & neruis vox ipsa amittatur. Quid ergo dicendum est ad sententiam Actij? sane non fallitur ipse, sed decipit nos interpret Cornarius, quandoquidem in textu græco manu scripto, quem ego habeo, nequaquam hoc reperitur, quod scilicet strumæ in collo facilius curentur. Immo verò plura sunt in eo capite errata eiusdem Cornarij, quæ non æquum est latere. nam græcus codex habet particulam imminere, si vel incidantur, vel auferantur strumæ in collo, ne denudentur nerui recurforij, atque ex illa denudatione vox vitietur, quæ, vt dicebam, fuit sententia Galeni i. de locis affectis cap. 6. Verumtamen in textu Cornarij latino longè diuersa sententia reperitur. Obseruandum postremo illud etiam est, quod strumæ etiã si exactissimè curentur, iterum atque iterum reuertuntur, mirum enim est de hoc morbo. Fuerunt aliqui ex istis bonis Chirurgis, qui existimarunt huiusmodi reditum attribuendum esse lunæ motui, quia vt videmus reliquos humores in plenilunio augeri & exacerbari; sic etiam par esse dicunt ob lunares motus strumas quæ sunt soboles humorum augeri debere. Neque inficior id aliquando posse fieri: verum vt hoc semper fiat, absolum est, quia interdum videbitur redire summæ post annum; post mensem, post biennium, vt non videatur hoc adscribendum motui lunæ. puto ergo huius euentus duas esse causas: prima est materiæ, ex qua efficiuntur, crassities, & visciditas, & contumacia: quia etsi omni diligentia, & studio nitamur euellere radices, & extirpare materiã strumarum; tamen tanta est sua contumacia, crassities, & visciditas, vt plerumque aliqua portio materiæ relinquatur; quæ cum sit veluti fomes quidam non solùm contaminat partis temperiem, sed etiam nutrimentum accedens partibus commaculat, & corrumpit, ita vt copiosum formentum suggeratur huic malo. Hoc enim est, perinde ac illud, quod memoriæ prodidit Gal. 3.

progn-

prognosticorum 37. vbi reddens rationem reditus februm, dicebat, in ipsis sæpe relinqui cineres quosdam, qui super calefacti corrumpunt proximos humores, & inflammant, atque ita febres fiunt. Secundò est folliculus, qui tenaciter infixus est, ita vt vix possit euelli; vnde relictus hic cum repleatur iterum materia, seu humore prauo, præbet occasionem nouæ generationi strumarum. Immo licet industria artificis hic euellatur folliculus; semper tamen remanent radices veluti ligamenta, ex quibus is denudò pullulat, & consequenter malum. Nam si, quemadmodum dicit Hippocrates, pellicula illa sanguine congelato obducta sæpe renascitur, etiamsi auferatur, quanto magis potest renasci folliculus, si aliqua radix, aut aliquis eius surculus remaneat? Curatio strumarum valde necessaria est propter turpitudinem fugiendam, tum magis propter perniciem, quæ hunc morbum sequi solet. Est autem in eo potissimum posita, vt materia quæ fluxa est, radicitus euellatur, & quæ est in fluxu, coerceatur ne fluat. Circa materiam fluxam diligentissimè cogitandum est, vtrum sit sola pituitosa, an etiam calida. Si misceatur materia calida, suppurationem tentandam esse confirmant omnes; sin autem tantum pituitosa sit, rursus cogitandum est, num ea sit maximè crassa, an mediocriter. Si maximè crassa, & viscida sit, non alia ratione sperari potest curatio, nisi putrefactione, ferro, & igne. Sed si mediocriter crassa fuerit, curatio in hoc posita est, vt emolliatur materia, dissoluatur, & dissipetur. Hos omnes scopos cum spectaret Auer. 7. collect. 31. dicebat sciophulas si fiant ex materia subtiliore, & tenuiore, curandas esse medicamentis emollientibus, atque incidentibus, & dissolutiuis. Sed si fiant à crassiore, & duriore, curandas esse medicamentis purgantibus, atque etiam ferro, & igne tractandas; sed hoc nequaquam agi debere, nisi cum timore, & prudentia. Hæc ergo est summa scoporum, quos ante oculos habere debemus in curandis strumis; qui vt perficiantur, ante omnia instituantur

20-02-18

recta victus ratio. aer sit siccus, & calidus, potius quam frigidus; & qui attenuare, & euacuare sua facultate possit: vitetur aer crassus, & humidus. Somnus parcissimus sit, neque dormiat supra fauces, & faciem, vbi strumæ sunt in collo. exerceatur moderatè corpus; vitandæ sunt omnes exercitationes, quæ sunt capite inclinato. Sic omnes frictiones partium superiorum, præsertim colli, sunt perniciosæ; frictiones, seu pectinationes circa collum, gestationes ponderum supra caput. Et tandem omnes hi labores vitari debent, qui & collum offendere, & materiam ad eam partem præcipitare possunt. Omnes animi perturbationes malæ sunt, præter iram, quæ si moderata sit, cum calefaciat caput, ad dissipandam materiam conferre potest; alius mollis seruari debet, aut clysteribus liquari; vina generosa, crassa, & turbida fugienda sunt, parcissimè autem est vinum bibendum, atque id aquosissimum, ac purissimū. Cibi, vt dicit Auicennas, omnes attenuatorii, & exsiccatorii esse debent; quare panis ex furfure, ex spelta commodus est, modicè salitus, vel aniso, aut coriandro conditus. Carnes pullorum, & auium omnium montanarum; atque illæ potius asæ, quam elixæ. pisces saxatiles, pisciculi parui saliti, cappares, pistacæ, passulæ. Inter herbas sareia, mentha, pulegium, maiorana. Sunt inter præciantes, qui etiam commendant aromata; Ego autem sum alterius sententiæ. nam si Hippocrates in mulieribus timebat aromata, quia caput tentant, multò magis timenda sunt in pueris, quorum capita facile repleantur. quare & illa vitari debent; & cibi omnes crassiores, viscosi, frigidi, vt carnes animalium magnorum, bubulcea omnia, lac, caseus, oua fixa, dura; castanæ, legumina omnia: ab his enim cum sint crassi succi, rationi consonum est augeri, & foueri strumas. & hæc est ratio, propter quam pueri pauperum magis tentantur illis, quam diuitum; quia ijs cibis vitantur, qui maximè ad generationem illarum conferunt. quod etiam contingit in illis regionibus, vbi habitato. es

bitatores hoc cibi genere vescuntur. Victu instituto, conuertendum est studium omne ad materiam ipsam & impediendam, & euacuandam; & quia materiae fomentum præstat corporis impuritas, ideo ante omnia corpus est purgandum; siquidem, vt iure dicit Auicennas, radix totius curationis est corporis purgatio. Et quia pueros tractam⁹, erit ipsis alu⁹ hoc modo lenienda:

R. Mellis rosati solutiui vnc. 3.

Decoctionis fruct. cum vnc. 1.

Foliorum fenæ vnc. 2 s.

Misce. Vt autem præparentur humores, hoc medicamento agendum est:

R. Foliorum scrophularia,

Plantaginis sicca,

Betonica,

Mentha an m. s.

Fiat decoctio secundum artem; deinde

R. Dictæ decoctionis vnc. 3.

Syrupi rosati recentis,

Oxymellis simplicis an. vnc. s.

Misce. præparati humores hoc medicamento purgabuntur:

R. Agarici trociscati drach. 2.

Squinanti gr. 2.

Infundantur in aqua betonica, deinde facta expressione adde

Mellis rosati solutiui vnc. 2.

Electuarij de psyllo vnc. 1.

Decoctionis cordialis cum vnc. 1. polipodij vnc. 2.

Misce. Aduertendum circa puerorum purgationem, cum ætas puerilis sit satis infirma, eam omnino blandissimis medicamentis esse tractandam, & potius iterum, atque iterum repetendas consulo purgationes leues, quam vt grauia medicamenta exhibeantur: sic enim ego curauim nobilissimum puerum à strumis, ideo qui laudant pillulas foetidas de euphorbio, & huiusmodi medicamenta, in pueris, non sunt audiendi; in

adulcio

adultioribus quidem fateor tolerari posse. De sectione
venę, neque ætas, neque morbus patitur vt loquamur;
nisi tamen strumę non simplices sint, sed cum materia
calida, & nisi æger adultus sit; quibus in casibus inter-
pretanda est Auicennę sententia, quando in curatione
strumarum laudat sectionem venę; non damno tamen
vsu cucurbitularum, quas licet Rasus 13. continentis,
scribat exasperare malum, & efficere vt reuertatur; eius
tamen sententia, vt ego puto, intelligenda est de cu-
curbitulis, quę applicantur ceruici, aut partibus cerui-
ci proximis; non autem de ijs, quę partibus longin-
quis adhibentur, cuiusmodi ego laudo. De vomitu di-
uersas inuenio sententias. Actius, quem sequutus est
Auicennas, laudat frequentem vomitum; sunt alij, qui
ex toto eum damnant. Inuenio nonnullos, qui media
via incedentes, dicunt illum ante purgationem non
conuenire, sed tantum post purgationem. Ego autem
in hac sum sententia, nullo pacto in strumis tentandum
esse vomitum, & adducor in hac sententiam hac ratio-
ne, quia etsi materia antecedens aliquo pacto vomitu
minuatur; impacta tamen materia tantum abest vt au-
feratur, vt potius magis exacerbetur; præterea certum
est vomitu maximè caput repleti, nam si videantur vo-
mientes, ijs venę iugulares extuberant, tumet, & cale-
cit totum caput; vt non sit dubitandum ex vomitu ca-
put magnopere repleti. quod cum intelligeret Hippoc:
in lib. de locis in homine, magnopere damnauit vomitum
in affectibus aurium, & oculorum. Vt quia ratione
non conuenit is in affectibus aurium, non etiam con-
ueniat in affectibus eorum locorum, qui sunt proximi
auribus. Peracta corporis purgatione, pergendum est
in materia, quę fluit, cohibenda. Pro cuius cohibiti-
one conueniunt frictions, cucurbitulę, vesicatoria ca-
piti adhibita; & ego, vbi aduerso in pueris tumores fie-
ri circa collum, nullū remedium magis præsentaneum
inuenio, quàm capitis cutem exulcerare; hæc enim est
diuersio accommodatissima, & deriuatio, & euacuatio;
sed

sed aduertendum est, ne in pueris cantharidibus exulcerentur capita, quia, ut ego saepissime obseruavi, causant in hac aetate & magnos cruciatus, & sanguineos mictus; melius est autem hoc facere vel sinapi, vel vrtica, vel flammula Iouis, cum moderantia tamen semper & prudentia. Est hoc in loco dubitatio, vtrum in cohibenda materia que fluit, vtile sit adhibere medicamenta adstringentia, & repellentia; & est dubitatio nec visa, nec animaduersa ab vllis, qui scripserunt. Galenus 2. ad Glauconem in calce alloquens ipsam Glauconem, ait, se ipsi aduersus strumas medicamenta dedisse adstringentia, & vt interpretatur Martinus Acacius, repellentia. Ex quo loco quisque colligere potest, adstringentium, & repellentium vsum conuenire posse in strumis. nec alia ratione, nisi inchoantibus ipsis; preterea apud Rasem lib. de apostematibus habetur ex sententia Alexandri; plantaginem maxime conuenire in strumarum curatione. iam vero plantago est medicamentum, quod adstringit, & repellit; quapropter videtur vsum horum medicamentorum conuenire in strumis curandis. Ex altera parte sunt & rationes, & auctoritates; rationes, quia siue materiam speudemus, siue locos patientes, multum abest, vt adstringentibus, & repellentibus vniquam vti debeamus; materia enim frigida, crassa, & impacta est; ideo nequaquam repelli potest. loci etiam ratione non conueniunt, quia si videamus materiam esse subtiliorem, & calidam, cum sit locus glandularum, atque proximus ipsi cerebro, nunquam materia ex his locis repellenda est, ne scilicet ex loco ignobiliori impellatur in cerebrum. quod cum cognosceret Galenus 3. de localibus medicamentis 2. dicit in parotidibus numquam esse vtendum medicamentis repellentibus. preterea auctoritate etiam hac confirmatur: Galenus enim 14. Methodi II. explicatissime docet, strumis non aliam curationem deberi, nisi eam, qua debetur scirrho, & tumoribus induratis; quomodo autem scirrho, & partes omnes indurate

in qomg

h

sint curandæ, docet Galenus in eodem lib. paullo supra antè; Vbi tantum emollientibus & dissoluentibus agendum esse monet, & hanc sanè viam sequuti sunt omnes medici, vt solum in strumis adhibeant medicamenta emollientia, & dissoluentia. Immo ait Aetius, inchoantes strumas in pueris esse molliendas, dissoluendas, & discutendas; vt nullus locus relinquatur etiam illis, qui putât in initio ipsarum posse conuenire vsu medicamentorum adstringentium. Grauißima videtur hæc contradictio, & eò magis quòd à nemine ipsam animaduersam video. Sed qui Galenum vident propria lingua loquentem; facile scrupulum hunc fugere possunt; nam interpretes omnes hoc in loco fecerunt. Vocem enim, qua vtitur *medici aetii* pessimè transtulerunt adstringere, quia hoc potius significat compescere, seu imminuere, aut complanare; vt sententia Galeni fit eo in loco, se medicamenta tradidisse, quæ compescant, & complanent ipsas strumas, & hoc verum esse, facile ex eo colligi potest, quia eodem in libro cap. 4. vtitur eadem voce; & interpretes eo in loco optimè transtulit. non est ergò existimandum oculatissimum Galenum in readeo manifesta fallere potuisse, vt adstringentia adhibuerit in strumis. Sed quid ad Rasem dicemus? Dico plantaginè posse adhiberi vel viridem, vel siccam; In viridi vis absterforia penè tota obscurata est ab humiditate; in sicca verò magna est; quod cum doceret nos Galenus 6. de Simplicibus medicamentis cap. de Arnoglossa, dicit folia, & radices plantaginis exsiccata valere ad obstructions iecoris, & renum aperendas; itaque quando laudat plantaginem Rases, laudat siccam, quia hæc abstergit, discutit, & dissoluit. Pro debellanda materia, quæ iam fluxa est, & tenaciter hæret, cogitandum est vtum ea sit viscida, & crassa & vtum mediocriter, an insigniter. Si enim sit mediocriter viscida, & crassa; scopus præcipuus hic esse debet, vt dissoluatur, & dissipetur, quod perfici potest tum internis, tum externis remedijs. Inter interna magno perè

gnoperè confert semen lentisci in puluerem redactum, ac vino albo subtili acceptum; hic etiam puluis accommodatissimus est.

R. Radicum pentaphylli,
Philipendulæ,
Agrimonie an. vnc. i.
Euphorbij drach. i.

Misce. dosis est huius medicamenti vnc. i. & sumitur cum vino subtili albo. Sed hoc aduertendum est in pueris minui posse dosim Euphorbij, atque etiam totius compositionis. Scribit Celsus experimentum fuisse rusticorum, quod si quis edat anguem, à strumis liberari. Aetius enim inter cætera hoc etiam celeberrimè laudat; si quis viperam comedat; & ego sequutus auctoritatem hanc scriptorum soleo feliciter vti trochiscis viperinis: atque etiam ipsa theriaca. hæc remedia intus sumuntur pro expurganda materia, quæ iam fluxa est. In vsu remediorum extrinsecorum hic præcipuè habendus est scopus, vt materia, quæ dura est, emolliatur. Deinde accommodatis præsijs emollita dissoluatur, & dissipetur. Pro emollienda conuenit diachylon cum gummis appellatum: Oesipus, & simplex, & cum oleo amygdalarum dulcium; radix iridis. Est etiam hoc vnguentum accommodatissimum;

R. Diachylonis vnc. 4.
Oesipi vnc. i.

Radicum iridis subtiliter puluerizatarum vnc. 4.
Misce & cum modico olei amygdalarum fiat vnguentum, quo vti poterimus pluribus diebus, pro vt visum fuerit, materiam emollitam esse; tum dimissa emolliatione tentanda est dissolutio remedijs accommodatis; inter quæ sunt tres gradus: quoniam alia sunt mitia, alia vehementia, alia vehementissima: mitè remedium est ficus arida pistata, & superposita strumis; sic etiam emplastrum factum ex melle, & oleo antiquo, radix cucumeris siluestris cocta, & cum oleo antiquo ad formam emplastri redacta, efficax est. Immo verò expe-

rientia compertum est oleum cucumeris afinini, si auri infilletur, qua parte est struma, maximè valere ad eam discutiendam, vel dissoluendam. Sic stercus vaccinum cum melle, mel & ammoniacum, vt docet Oribasius; lens cocta in aceto magnopere commendatur à Dioscoride. Sed dum Romæ ego medicinam facerem, scio quendam Germanum medicum feliciter curasse strumas hoc solo medicamento: grossuli, id est fructus caprifici etiam ad hoc valent. cinis ostrearum vna cum melle mirificè facit ad dissipandas strumas. Laudat Galenus adianthum, verum hoc tenuissimum est. Valerius medicamentum est illud, quod proponitur ab eodem 3. de Localibus medicamentis 2. & componitur ex farina lupinorum in melle cocta cum modico calcis virtutis cinis caulium melle confectus maximè etiam facit ad dissipandas strumas. fimus columbinus, caprinus, si melli commisceantur, ad idem quoque valent. hoc etiam mirificè conducere solet:

R. Staphisagriae,

Nitri an. vnc. 2.

Eruca vnc. 4. cum resina quantum sufficit.

Fiat emplastrum. puluis serpentis cuiuslibet vsti cum aceto etiam exsiccatur conferre. Valentissimum omnium est, quod fit ex calce, & nitro pari pondere vna cum adipe porcino. Sed aduertendum in tractandis pueris maxima prudentia opus esse. Primò vt semper mitiora adhibeantur. Secundò, vt valentissima medicamenta fugiantur, quia periculum est, ne & febres accendantur, & carnes ipsorum teneriores valde lædantur. Si materia sit valde viscida, & contumax, dictum est nullam aliam spem esse nisi in igne, & ferro, & putrefactione. scribit Avicennas strumas neque ferro neque vilo graui medicamento esse tractandas. Et hoc est perpetuum, vt quotiescumque strumæ vel colli, vel mammarum, vel inguinum his remedijs tractantur, semper in caneros exitialissimos conuertantur. Illud etiam aduertendum est, quod idem monet, non esse neque

neque ferro, neque igne strumas tractandas, quæ sunt propè arterias, aut neruos præcipuos. Addo ego in pueris omnino fugiendum esse hoc genus medicamenti, & præsertim circa collum. nam vt præclare monuit Galenus l. de locis affectis 6. & hunc sequutus Aetius, sapè contingit, vt dum ferro, aut igne tractantur strumæ colli, nerui illi reuersiui aut tangantur, aut denudentur, aut aliquo alio pacto tendantur; vnde fit, vt ex toto vox aboleatur, aut vitietur. Vbi sectio est faciendâ, ferè omnes chirurgi docent modum, sed fufissimè, & explicatissimè Aetius; Quare cum sit opus hoc chirurgicum, de eo nihil tractabo. Id tantum addendum, vbi cumque ferro excindendæ sunt strumæ, semper fatagendum esse vt folliculus euellatur, quia nisi eius radices fuerint euulsæ, facîle malum reuertitur; multò verò tutior est ea medicatio, quæ fit medicamentis putrefacièntibus; nam caustica, & putrefacièntia adhibentur vsque quò fiat penetratio ad locum materiæ, quæ postmodum paulatim educitur, & vbi educita est, atque ex toto consumtus folliculus, ad cicatricem perducitur. pro qua re laudat Auicennas vnguentum Christianorum, seu Apostolorum. Sunt & quædam, quæ à proprietate existimantur strumas curare; & inter cetera est mira illa facultas regum Gallorum. est enim apud omnes quasi compertum ipsos hac facultate esse donatos diuinitus, vt si signo crucis tangât strumas, ipsas curent, quod vtrum verum sit ignoro. Deus benedictus potest hoc, & plura facere.

De scissuris, seu fissuris labiorum in pueris. Caput VI.



SOLENT pueri præter strumas sustinere etiam quosdam alios morbos externos, & inter alios, quosdam scissuras labiorum patiuntur, quæ non solum dolorem faciunt &

cruciatu, sed etiam impediunt, quo minus lac sugere possint, atque græcè appellantur *παράδης*, vel *παράδης τῶν γαλῶν*, nostri vocant scissuras labiorum : Albucasis pilos, seu situlas ut etiam vulgus muliercularum appellare consuevit, & est hic morbus nihil aliud, quam diuisiones quædam labiorum cum pustulis, aliquando etiam sine pustulis. quò fit ut communis sit & similibus, & instrumentarijs partibus, quia est solutio continui. Actiones læsæ ab hoc morbo sunt plures; sed potissimum tactoria propter dolorem, & actio sugendi lac. nam Gal. 10. de vsu partium dicit, quòd natura in construendis labijs spectauit quidem & decorem, & pulcritudinem, sed simul etiam vsus, & actiones, quæ admodum in reliquis partibus constituendis fecisse cæ certum est. nam Arist. de partibus animalium 16. docens vsus, & commoditates labiorum, scribit in brutis ea facta esse propter oris, & dentium tutelam : In homine verò & propter hoc, & propter sermonem. eodem vsus refert Auicennas 8. 3. cap. 81. Aristotelem secutus de labiorum functione nihil dicens. quare auctoritate horum viroꝝ non videntur labia affecta posse incommodare, sed tantum functionem fieri opera linguæ. In hac difficultate dicendum est, Aristotelem in tradendis vsibus labiorum mancum fuisse; eò quòd inter alios vsus habeat etiam hunc, ut neque edere, neque etiam commodè bibere animalia sine ipsis possint. Id testatur etiam Galenus 4. de Administr. anat. 1. & Celsus lib. 7. cap. 9. vnde Auer. in com. illius loci, Aristotelem vidēs ipsum mancum fuisse, addit labia inter cæteros vsus hunc habere, ut actionem potandi sigillent. Hippocrates etiam, & Galenus 1. de articulis, textu 25. & 26. adferentes rationem, propter quam Homerus dixit boues hieme emaciari, inter alias hæc referunt, quòd cum animalia cornigera careat altero ordine dentium, atque crassa labia habeant, non possunt hieme humiles herbas rodere, & depascere, quòd faciunt oues, propter labiorum tenuitatem. Ex quo loco colligendum A-

rifo-

ristotelem defecisse, & à nobis rectè dictum esse, scissuram labiorum impedire actionem fugendi. Fiunt autem à multis causis, quarum alię immediate sunt, alię mediata; immediata sunt intemperies calida & sicca, & frigida & sicca. Sunt etiam intemperies cum humoribus coniunctæ; & præter has etiam humores acres, falsi, biliosi; nec non vapores tum acres, tum mordaces. Loci autem, à quibus ad labia percurrunt humores, & vapores, sunt in primis totum corpus, ut in febribus caput, stomachus, iecur, pulmo, & ut vno verbo dicam, omnia penè viscera corporis. Sed video multos efflagitare, quæ sit causa, cur in pueris potissimum & vapores, & humores in labijs ita firmentur, ut eas scissuras, & ulcera faciant. Sunt profectò huiusmodi causæ plures: in primis motus cutis, quæ frequenter mouetur; vnde fit, ut à corpore ad os & humores, & vapores trahat. altera causa est, quia labia sunt ventriculo, & partibus spiritalibus superposita, & ipsi capiti supposita; quò fit ut sine labore multo & vapores, & humores in hanc partem ruant. postrema est, mollities huius partis, siquidem mollities partes omnes præparat ad recipiendum facile: vnde fit, ut ob teneritudinem labiorum puerorum facile recipiantur & vapores, & humores irruentes; propter has causas fit, ut elephantiasis laborantibus labia semper crassissima fiât, ut est apud Galenum 1. de Symptomatum causis 7. Scribit Aristoteles 2. problem. 6. & 7. metuentibus omnibus & iratis, præsertim pueris, pendere, & tremere labium inferius. propterea quòd huiusmodi pars mobilis est, minime sanguinea, & ob hoc refrigeratur, quò fit, ut cum destituta sit à calore sustentante pondera facile tremat. Externæ causæ mediatae sunt potissimum frigiditas, & siccitas aeris. dico potissimum esse frigiditatem, & siccitatem; quia tamen à calore quoque aeris exsiccantur labia, ita ut possint exulcerari, non tamen ad eò facile, & frequenter, ut à frigiditate, & siccitate; ratio est, quia calor scindit consumendo humidum, frigus

h 4

verò comprimendo, & repellendo; iam multò difficilius est humidum repellere & exprimere, quam ipsum annihilare, & consumere; & hoc multò difficilius est in partibus mollibus, ad quas continuò manant humores, vt sunt labia. iure ergo dictum est potissimum fieri hoc malum in pueris à frígido, siccò aere. His causis adnumeratur vsus rerum calidarum, vt caparum, alliorum, sinapis; præsertim vsus lactis ficuum. Sic quoque recenseri possunt quædam venena, à quibus labia scinduntur, vt dicit Nicander in alexipharmacis. de cantharidibus, de toxico, & ephemero colchico. Signa manifestà sunt; nam ad sunt vlcuscula, & apertura in labijs, adest dolor, & pruritus, & ploratus puerorum; atque sic cognoscere facile est causas externas. Si fiat à vaporibus, vel inflammationes adsunt, vel febres magnæ; si ab humoribus, adsunt destillationes; vlcera manant succo aliquo, vt etiam intemperies cognoscatur suis proprijs signis. Ceterum hoc malum non fit exitiale, nisi incuria aut medici, aut aliorum fiant inde vlcera serpentina, & praua. ea autem, quæ fiunt in febribus, aut post, non modò praua sunt, immò salutis signa esse solent, vt habetur in canôn. Auicennæ. Curatio vero in duobus posita est, in instauratione humidi continuatiui, & in agglutinatione, seu vnione partium diuisarum. Sed quia neque humidum continuatiuum restaurari potest, neque partes vniri, nisi prouideatur, ne materia noua ad eas partes fluat, videtur esse maxime necessarium, vt corpus purum reddatur; & pro hoc scopo adimplendo, si puer lactens sit, optimum est, nisi cutis capitis aperta sit, aliqua ratione blandè aperire cum vitice, vel sinapi, deinde superponendo maluam; nam vt docet Hippocrates lib. de Sacro morbo, quoties in pueris capita manant aliquo humore ex vlcere, semper retrahitur fluxus ab alijs partibus quæ consequenter incolumes remanent. Si pueri sint adultiores, erunt blandissimè purgandi, nam purgatio conflu-

xum

xum humorum colibere potest. modus autem purgandi eos, sæpius traditus est, vt non sit repetendum, sic si sanguis exuberet, vtile erit per cucurbitulas spatulis, & dorso affixas humores ad labia fluentes reuocare. Pro humido continuatiuo restituendo, & vniendis partibus ferè interna remedia parum profunt; sola victus ratio est, quæ humorem illum reficit, propterea nutricei, vel ipsis pueris præscribatur victus talis, ex quo boni succi, & nulla excrementa gignantur. Externa remedia erunt primò, quæ sint prædita aliquo lentore, merito cuius possunt parti adherere. Secundo modica adfrictione, & exsiccatione sine vlla asperitate, teste Auicenna. quare in causa calida conueniet

Oleum rosatum omphacinum,

Tragacanthum,

Succus gallæ,

Granatorum,

Adeps gallinæ antiquus,

Butyrum,

Medulla vitulina. vt exempli gratia:

R. Adipis gallinæ antiqui vnc. 1.

Olei rosati omphacini vnc. s.

Succi granatorum vnc. 3.

Carnis pomi acidi vnc. v.

Misce, fiat linimentum, quo inungantur dormituri, seu cubitum euntes. In causa frigida conueniunt

Mel rosatum,

Tragacanthum,

Gummi Arabici,

Mastix,

Thus,

Mirra.

quæ omnia possunt misceri vel cum succo granatorum, aut rosarum, vel

R. Dragaganthi vnc. 3.

Masticis vnc. 2.

Mirrhæ vnc. 1.

Cum succo granatorum quantum sufficit, fiat molle linimentum. Accidit verò sæpe in pueris, & aliis corporibus tenerioribus, vt hæc blandiora nihil profint, accedendum ergo ad ea, quæ magis siccant, sed tamen in illis cauendum est à valdè siccantibus. Laudat Aegine-ta therebintinam cum melle, & adipe anserino æquali portione mistam; quæ compositio est probata à Galeno lib. de remedijs facile parabilibus, propositis non conferentibus, addantur paullo magis siccantia, vt cerussa lotæ vnc.s. vel lythargirij plus minusue, prout res postulare videbitur. Si dolor, vt fit, maximè infestet, poterit vnum, atque alterum granum opij modico lactis mulieris misceri, & illiniri, nec hic timeatur vsus opij, quia extrinsecus tantum adhibetur. Celsus lib. 7. capite nono & decimo scribit, si cætera non proficiant, & malum serpere videatur, deueniendū esse ad ignem, quod laudo propter Hippocratem, qui dicit, quæ medicamentis sanari non possunt, ferro, & igne &c. nam videmus in actu practico, pueros vix natos sæpe igne curari. Rases lib. de decoct. proponit quoddam remedium ad scissuras labiorum, tanquam mirabile, sed potius deridendum. Scribit enim, si bombix acceptus mergatur in oleo, & puero dormienti super vmbilicū ponatur, mirabiliter curare scissuras; cæterum causam non intelligo.

De Tumore Vmbilici. Cap. VII.



NT ER morbos pueriles, qui sensibus apparent, est tumor, qui solet vmbilicū obfide-re, qui duplex est, alter cum inflammatione, alter sine inflammatione. Qui cum inflammatione est, nihil aliud est, nisi magnitudo aucta, seu tumor durus calidus cum dolore & pulsu. Et vt intelligatur natura & generatio huius mali, sciendum est omnia animalia dum in vtero sunt, nutriri non ore, vt quidam malè putarunt, quos redarguit Galen. lib. de fetus formatione, sed per vmbilicū; & ob hoc natu-
iam

ram alligasse foetum vteri venis, vt per illas tanquam per canales duceretur alimentum ad ipsum; hæc quidem vasa omnia animalia habent, sed iure differunt ab homine. primo, quod bruta secundum Aristot. 10. Problem. 48. in hæc lucem oriuntur perfecta, quod cognoscitur, quia statim ambulant, & sua sponte sese gubernant. Secundo quia dum adhuc in vtero sunt, vasa, quibus alligantur vtero, sponte rumpantur, & exilia euadant, ita vt postmodum orta umbilicum paruum, & minime morbosum habeant: secus autem est in homine, qui cum ab vtero imperfectus exeat, quippe qui neque ambulet, neque seipsum gubernare possit, necessario fit, vt in exitu vasa illa penè adhuc integra rumpantur, per quam fractionem fit, vt magna cura & diligentia opus sit in abscindendo, & concinnando umbilico. ob quam rem, cum adhuc sanguinolentus penè ille sit, fit vt facile inflammationem, & tumorem incurrat; vt non immerito tumor hic inflammatorius, morbus infantilis dici debeat. Alter autem tumor, qui occupare solet umbilicum, est sine inflammatione, absque duritie, & pulsu. Et vt in priore triplex est genus morbi, intemperies scilicet aucta, magnitudo, & solutio continui; sic in hoc nullus penè morb. reperitur, sed magna ex parte symptoma est in genere præter naturam affectuum. Differt vterque hic in tribus, in nomine, in materia, & in generatione. In nomine, quia prior à Græcis dicitur *φλεγμονή* vnde *φλεγμονώδης όγκος*, à Latinis modò inflammatio, modò tumor inflammatorius. Postremus verò dicitur à Gal. lib. de humoribus præter naturam 16. *εξόμφαλος*, quam vocem & Dioscorides, & Aetius, & Paulus vsurparunt. Celsus appellat umbilicum prominentem. Plinius umbilicum prociduum. Barbari ferè omnes dicere consueuerunt, emipientiam umbilici; Chirurghi etiam aliqui vocant herniam umbilicalem. Differunt porrò in materia; quia in tumore inflammatorio tota materia penè sanguinea est, nec modò sanguinea, sed etiam feruens; in *εξόμφαλο*, seu in hernia

umbilicali ea multiplex est, interdum aqua, interdum flatus, interdum intestina, interdum omentum, aliquando caro, aliquando sanguis. Hernia, quæ fit ab aqua, à Barbaris medicis dicitur, hernia aquosa; quæ fit à flatu, flatuosa; quæ ab omento, zirrhalis; quæ ab intestinis, intestinalis; quæ à carne, carnofa: quam dicit Celsus lib. 7. cap. 14. ex sententia Softrati Chirurgi, esse modò carnem integram, modò carcinomati similem. Quæ verò fit à sanguine, quum sit instar aneurismatis, dicitur indecoro quodam nomine, à Chirurgis hernia emborismalis. Habent autem omnes hi tumores illud commune, vt dicit Celsus, quod indecore faciunt umbilicum prominere. Tertio differunt generatione, quia tumor inflammatorius ea ratione generatur, qua plerisque in locis dicit Galenus generari inflammationem, scilicet vt dum pars umbilici dolore afficitur, eo trahantur, & ducatur sanguis, qui in angusto loco coarctatus, dum feruet, inflammationem facit; propter quam Arist. 7. de Histor. animal. 10. monebat, vt diligentia adhibeatur, dum ab obstetrice præscinditur umbilicus, ne aliquid peccati committatur. *ἰξομφάλου* autem generatio diuersa est, quia fit vel ob relaxationem, vel propter fractionem peritonæi circa umbilicum. Vtro verò modo afficiatur ea pars, semper aliqua materia de prædictis eo propulsa, impellit pellem ad partes externas, & ita tumorem facit. Multis verò de causis rumpi, & relaxari peritonæum consuevit, sed illæ potissimum sunt in pueris, fletus, vociferationes, risus, cantus, cursus, saltus, equitatio, eleuatio ponderis, & vsus ciborum flatuoforum; ab his enim omnibus solet aut rumpi, aut relaxari peritonæum, vt facile deinde suboriatum tumor; quemadmodum his causis, & etiam casu, & percussione, non modò tumores gignuntur; sed & aneurismata; quando arteriæ aut relaxatæ, aut ruptæ in parte umbilici, tumore, & hoc morbo laborare solent. Qui autem fit à carne, hanc generationem habet, quod vbi male præscinduntur, & concinantur umbilici, vel caro supercrefcit,

crefcit, vel malè curata inflammatione oritur caro, quæ modo integra eſt, modo cancroſa; prout bonis, vel malis ſuccis repletur. Cognofcuntur hi tumores propriis ſuis indiis, nam qui fit cum inflammatione, rubet, calet, cum dolore eſt, cum pulſu; reliqui ſine dolore ſunt, ſine pulſu. Sed quia vt dixi, pleræque ſunt ſpecies tumoris non inflammatorij, oportet etiam vt vniuſcuſque ſpeciei propria habeantur ſigna. In qua re, quia Græci ſcriptores, & Celfus inter ſe varij videntur, primo docebo ſigna ſecundum Celfum. quare ſi tumor fiat ab inteſtinis, tumor ille neque durus, neque mollis eſt, ſed quodammodo medius; frigore minuitur, calore & ſpiritus retentione augetur, interdum ſonat; & vbi ægotantes reſupini iacent, tumor ſerè totus conſidet, vt nihil appareat, quia inteſtina in propriam ſedem labuntur. Si ſi omentum faciat zirbalen, omnia ſigna in ipſa apparent, quæ etiam conſpiciuntur in inteſtinali. Sed habet & hic tumor nonnulla particularia indiicia; primum mollior eſt ab vna parte, & latus, in vertice autem magis anguſtus; & ſi quis manibus tumorem apprehendere nitatur, facile elabirur. Quod ſi tumor fiat & ab inteſtinis, & ab omento, indiicia miſta erunt. Qui fit à carne cognofcitur, quoniam tumor multo durior eſt, & ſiue æger ſupinus iaceat, ſiue reſupinus, ſiue ambulet, ſemper tumor apparet, & prementi digito nullo modo cedit, cum & inteſtinalis, & zirbalis aliquo modo cedat. & hæc ſunt ſigna carnis integre faciētis tumorem. Si vitioſa ſit caro, cognofcitur illis indiis, quibus cæcer, colore ſcilicet nigro, brachiis nigricantibus, & ſeparatis, & aliis ſignis quæ manifeſtant cancos. Porro ſtatuoſa hernia cognofcitur, quia tumor prorsus cedit, ſed ſtatim etiam recurrit, corpore reſupinato tumor in eadem figura manet, vbi vero ab humore fit, dum premitur, humor ſub digitis circumfluit. Et hæc ſunt ſigna horum tumorum tradita à Celfo. Paullus, & Arabes diligentiores, diuerſa quodammodo ſigna attulerunt. dicunt enim ſiue fiat ab omen-

sum

to tumor, siue ab intestinis, siue à flatu, colorem cutis nihilo diuertam esse in ea parte à colore reliqui corporis. Differunt verò huiusmodi omnes tumores, à tumore factò ab humore, quoniam in tumore humoralì maior quædam albedo, & transparentia apparet, quæ tunc magis conspicitur, & manifestatur, quando candela, aut lumen apponitur. In factò à sanguine, id est, in aneurismate, dicit doctè Paulus, colorem paulò vergere aut ad rubedinem, aut ad nigredinem. Præterea reliqui omnes tumores si tangantur, leues quodammodo videntur, etsi alij magis, alij minus. Facta autem à flatu hernia, dura est, remittens, & si digito pulsatur, instar tympani resonare videtur. adhæc tumores facti ab omentis, & intestinis, vbi tanguntur, diuersitatem quandam elationis, & demissionis, necnon leuitatis habere videntur in toto tumore, in reliquis tumor penè est æqualis. Amplius qui fit ex omento, prorsus est sine dolore, & sine multa rotunditate, alij dolorem aliquem obscurum facere videntur, & figuram rotundiorum præ se ferunt. Iterum tumores facti ab intestinis & omento, dum egri balneo se lauant, vel fricantur, vel rebus emollientibus tractantur, vel corpora motu vehementi mouent, incrementum insigne suscipiunt, reliqui non ita augentur. Accedit postremò, quod qui fit tumor ab omento, prorsus digito absconditur, & cedit facillè sine rugitu. Factus verò ab intestinis, & flatu, cedit quidem, sed redit cum rugitu, & intestinalis præsertim rugitum facit, cum intestina vel plena sunt flatu, vel scæcibus; reliquæ herniæ si premantur, nullo pacto absconduntur. Tumorumbilici alij sunt faciles curatu, alij difficiliore. Inflammatio, seu tumor inflammatorius in pueris non modò est morbosus, sed & periculosus; tum quia febres graues semper iunctas habet, tum maximè quia hæc tenera ætas dolores, & cruciatus difficillimè potest sustinere; Flatuosam herniam dicit Celsus medicinam non admittere: in qua re non mihi satisfecit eius sententia, quoniam si spectemus

mus

mus huius rei materiam, cum sit flatus, medicamentis dissoluitur, & dissipatur. Si spectemus etiam locum affectum, siue fiat relaxatione, siue fractura, non est ita impossibile ipsum per sanare, quare, ut dixi, suspectum mihi est Celsi iudicium. at ipsum laudo, cum scribit cancrasas hernias non sine magno periculo tractari. Parua hernia recens in corpore tenero puerili, facile curatur. Sic & leues tumores, maiores vero periculosi sunt, & etiam difficulter curantur; magna aliqua hernia in corpore duro, difficile curatur. Vbi facta est per fracturam, in pueris quidem ob corporis teneritudinem, potest per medicamenta curari. Sed vbi est in corporibus adultioribus, nequaquam potest curari, nisi manuum opera, nam ut dicit Hippocrates, peritonæum discissum non coalescit; quod intelligendum est in corporibus non mollibus, sed potius durioribus. Ceterum tumoris umbilicalis, si sit inflammatorius, curatio tota penè posita est in dolore auferendo, eo præsertim quod, ut dictum est, malum hoc peculiare sit pueris nuperimè natis: quia verò dolor ab intemperie, & à materia originem ducit, ratio postulat, ut intemperies corrigatur, & materia à loco affecto auferatur. Sed quia corpora patientia, tenerrima sunt, omnia blandè sunt tractanda. Quare quod ad victum spectat, studendum erit, ut nutrix tanto tempore victu vtatur refrigerante, & humectante; puero autem patienti intrinsicè adhibenda sunt, quæ & dolorem lenire, & materiam depellere possunt, cuiusmodi est oleum rosaceum lumbricatum, quo vtendum erit supra umbilicum, vsque quò initium inflammationis prætereat. Vbi desinit inflammatio, addendum est oleum chamomelinum, rosarum, & quanto magis recedit initium inflammationis, eo magis vtendum discutientibus; ita tamen, ut ad eam arcendam non transeat oleum anethinum, aut chamomelinum lumbricatum. Pro suppuratione facerit vel vti pane cū lacte, vel maluis lacti incoctis. nā que vehementius suppurant, magis etiam pueros excru-

ciant. Si tumor ab alia fiat materia, quęcunque sit, semi-
 per duo scopi sunt ante oculos habendi. Vnus, vt mate-
 ria à loco affecto tollatur; alter vt peritonæum circi
 umbilicum, si sit relaxatum, constringatur; & confir-
 metur; si fractum, vniatur, & consolidetur. ac primò re-
 sta vitæ ratio instituenda est ita, vt fugiantur omnes
 aeris intemperies, præsertim venti, & omnia tempora
 humidiora. Fugiendus est motus omnis, cursus, saltus,
 eleuatio ponderum, præsertim fletus, & etiam cantus,
 & vociferationes. nam cum pueri sint, qui plerunque
 hoc morbo laborant; debent matres omnia facere, vt
 ploratus omnis inhibeat; quādoquidē sicut à plo-
 ratu malum efficitur, ita quoque factum conseruatur,
 & augetur. Balnea etiam fugienda; quæ peritonæum
 maximè relaxant; præ ceteris vigilandum est, vt aluus
 pueri sit liquida; quoniam vbi laborant in egerendis
 fecibus, mirificè morbum hunc augere solent. Erunt
 ex vsu, si aluus non fluat, huiusmodi inter clysteres:

R. Foliorum consolidæ,

Maluæ,

Plantaginis, ana m. s.

Fiat decoctio secundum artem, deinde

R. Dictæ decoctionis vnc. iō.

Olei chamomelini vnc. 3.

Butyri,

Sacchari rubei ana vnc. i.

Misce. Pro potu vtendum est vino subadstringente, vel
 aqua, cui incoctum sit aliquid aromatnm, præsertim si
 à flatu fiat, incoquatur aquæ vel anisum, vel fœnicu-
 lum. à cibis abstinendum humidis, frigidis, flatuosis, &
 ventosis: quare legumina, pisces, fructus, & herbae om-
 nino debent vitari. A lacte abstinendum, à caseo, & vt
 vno verbo dicam, siccopotius, & aliquo modo atte-
 nuante victu vtendum, quàm humidiorē, & crassiorē.
 Instituta victus ratione, ad remedia transeundum est,
 quæ & intrinseca, & extrinseca sunt; sed quia non expe-
 dit, vllum adhibere remediū, nisi corpus expurgatum
 sit

fit ab excrementis, ideo erit leuiter purgandum; sed
primò ita præparabuntur humores:

R. Chamedreos,

Serpilli montani,

Chelidonia,

Menthæ ana p.s.

Fiat decoctio secundum artem; huius decoctionis

R. vnc. 3. Syrupi de artemisia,

De Beronica ana vncs.

Misce. Pro expurgatione in his casibus præfertur om-
nibus aliis medicamentis electuarium Indum, & quod
diacatholicon dicitur, optimum est: poterimus ita in-
stituere:

R. Diacatholiconis drach. s.

Electuarij indi drach. 2.

Misce. quòd si puer potum nolit admittère, ita poterit
ordinari:

R. Foliorum consolida,

Melissæ ana m. s.

Sebesten. num. 6.

Myrobolanorum Indorum drach. i.

Fiat decoctio secundum artem; huius

R. vnc. 3. Electuarij Indi drach. 3.

Misce, fiat potus: Expurgato corpore, quoniam totum
studium conuertendum est ad ipsum peritonæum con-
firmadum, vel vniendum, ad quos scopos implendos
semper vtilissimum erit materiam ipsam, quæcunque
sit, diuertere ligaturis, frictionibus, cucurbitulis siccis;
Immò verò si ætas ferat, conducent etiam cucurbitulæ
scarificatæ. Quæ autem conueniunt in hoc morbo re-
media interna, complura apud scriptores reperiuntur,
quæ modò in puluere, modò in decocto, modò in vi-
no vsurpantur. Ego semper magis laudo, vt potius in
puluere cū vino sumantur, quàm cum aqua, cuiusmo-
di est serpillum montanum, rubus caninus, coralli rubei,
sumach, bursa pastoris, buccina; præ cæteris probatur
mumia, & mastix. Soleo ego his in casib. vti his pillulis:

- R. Limaturæ ferri ꝑnc. 1.
- Nucum cupressi drach. 3.
- Sanguinis draconis,
- Thuris,
- Corallorum rubeorum ana drach. 1.

Conficiantur cum melle; & harum pillularum & mane, & vesperi pro captu puero tradantur vel scrupulæ duæ vel drachmæ semis. Post quas poterit etiam exhiberi statim modicum vini subadstringentis; ad similitudinem hanc sunt etiam electuaria, & quæ pueris suaviora videntur quàm pulueres. poterit ergo hoc electuarium parari:

- R. Radicum consolidæ maioris,
 - Caudæ æquiuæ,
 - Bursæ pastoris,
 - Rubi canini ana m. 1.
- Decoquantur optimè in vino adstringente, & diligenter deinde pistentur, post adde
- Masticis, Corallorum rubeorum,
 - Boli armeni,
 - Nucum cupressi ana drach. 1. s.
 - Cinamomi scrup. 1.

Cum melle optimè depurato fiat electuarium; cuius potest qualibet vice dimidium parui cochlearis sumi, atque hæc intrinsecus sunt administranda. Extrinsecus verò multa quoque in usu esse possunt, sed duo sunt in usu horum remediorum obseruanda. Primum est, vt priusquam exhibeatur vllum remedium externum, semper prouideatur, vt vel intestina, vel omentum, si ab his malum fiat, ad sua loca manibus impellatur. Alterum est, vt curetur ægros resupinos iacere, quousque hæc remedia administrantur. quæ verò extra adhibentur, sunt:

- Mumia,
- Mastix,
- Galla immatura,
- Nux cupressi,

Schenan-

Schenanthum,
Rubus,
Bulus armenus,
Lapis hamatites,
Sanguis draconis,
Folia cicuta torrefacta,
Gumi Arabici,
Aracia,
Spodium.

Hæc enim sola, vel miscentur, vel applicatur instar emplastri, sed magis adhæret & profunt cerata, quam emplastra, propterea ceratū de pelle arietina vtilissimū est. Si particulare ceratū optetur haberi, hoc fieri poterit:

R. Gummi Arabici,
Tragaganthi,
Masticis,
Boli armeni,
Sanguinis draconis,
Collæ piscium,
Collæ de corio bouis ana drach. 2.
Thuris,
Mannæ ana drach. 3.
Picis græcæ drach. 1.
Picis naualis drach. 2.

Liquefiant primò ad ignem pices, deinde liquefactis addantur collæ; tùm vbi fuerint omnia incorporata, auferatur ab igne, & inspergatur pulueres, & fiat magdaleon; hæc enim est ars componendi cerata. Vfus autem erit, vt corium rotundum capiatur, & super extendatur ceratum, & supra ymbilicum apponatur; ita vt non modo complectatur partem affectam, sed vicinas etiam. hæc remedia si contulerint, optimum est; si non conferant, deueniendum est, vel ad incisionem, vel ad vstionem. Circa incisionem, modus serè uniformis traditur à Celso, à Paulo, ab Albucasi, & omnibus medicis; quò fit vt non sit tempus terendum in hæc explicanda. Illud memoria tenendum, quod docuit Celsus, ne

quaquam incidendos esse infantes lactentes, sed pueros adultiores. aliud etiam obseruandum est, non omnia corpora puerorum idonea esse incisioni, sed ea, quæ sunt boni habitus, quæ sine papulis, & omne impetigine sunt; nam corpora mali & malorum succorum si incidantur, difficulter coalescunt, immò periclitantur, ne ad gangrenam perueniant. Præterea obseruandum est, non quodlibet tempus idoneum esse incisioni, sed tantum vernum; non autumnale, non hiemale, nec etiam æstiuum. Vstio autem, quæ in his casibus conuenit, potest dupliciter administrari, vel igne viuo, vel caustico. Modus vtendi igne viuo traditur ab Albucasi, & summa hæc est; vt peractis purgationibus & omnibus aliis necessariis, æger supinus ponatur; deinde impulsis vel intestinis, vel omento ad loca interna, inueniatur locus ruptus, qui vbi inuentus est; atramento signetur, & signatus vratur vno, vel duobus, vel etiam tribus locis. Vbi vsta est pars, inungatur butyro vsque quò crusta cadat, & deinde curetur, quemadmodum alia vlcera; facit enim huiusmodi vstio cicatricem in loco affecto ita duram, & solidam, vt à se in posterum repellat & intestina, & omnem aliam materiam. Modus verò vtendi caustico idem planè est; nam inuenitur locus fractus, vel relaxatus, & signatur, atq; signato superponitur causticum; deinde succurritur cū butyro, vsque quò crusta cadat, ac curatur vt ad vnionem veniat. Quòd si caro sit causa, hic modus curandi est, vt vel putrefactorio, vel caustico ea materia auferatur; & si sit aneurisma, curatur vt cætera aneurismata.

De tumore Scroti, id est, Ramice.

Cap. VIII.



PATIUNTUR pueri similem affectum circa scrotum, in quo debellando sæpe laborant medici, namque pueri, qui nulla ratione vitæ vtuntur, & motu, & aliis rebus sese fatigant,

fatigant, sæpe hos scroti tumores incurrunt, qui à Latinis dicuntur ramices, vel, vt dicit Celsus, indecoro nomine herniæ. Græci variis nominibus vsi sunt, secundum varietatem materiæ, vel loci affecti. nam si fiat malū in inguinibus, βουβωνοκήλη à Græcis dicitur, si autem in scroto, atque hoc fiat ab omento, vt est apud Gal. in lib. de Tumor. præ.natur. c.16. dicitur ἐπιστομάλη; si ab intestinis ἰντεροκήλη; si ab aqua υδροκήλη; si à carne σαρκικήλη; si à flatu ἐμφύσησις, vel inflammatio. Locus affectus, vt inquit Galenus est peritonæum, vel musculi. Fiunt autem omnia hæc mala ab iisdem causis, à quibus hernia ymbilicalis; præterea à vociferatione, à motu, ab eleuatione ponderis, à quibus modo peritonæum frangitur, modo relaxatur. Cognoscuntur differentiæ singulæ facillimè, & curantur eodem modo, vt hernia ymbilicalis. Sed aduertendum, licet facilis sit curatio, præsertim in pueris; tamen non est inueterandum malum, nec etiam facile permittendum erit, quòd facere amant isti Chirurghi, vt testes auferantur; quia præterquam quòd ablati testes generationi incommodant, dicit Auenzoar, perdere etiam intellectum; vt castrati homines sapientissimi, penè dimidium intellectus habeant.

*De imperforatione, id est, de clausura
meatuum vrinae, & fecum.*

Cap. IX.

QVANDO QVE pueri vel meatus vrinae, vel fecū ita habent clausos, vt nequaquam excrementa reddere possint, aut si reddunt, vel debiliter, vel per alienas vias id fit: sicut hoc tēpore in hac vrbe reperitur puella Hebræi, Theutonici dicti, quæ fæces per vuluam emittit. Laborantes hac ægritudine appellat Aristoteles quarto de generatione animal. 4. ἐπιτόμιες, id est orbatos, atque inter

monstra recenset. medici appellant attritos, id est, imperforatos, Michael Ephelius, vt narrat Sueffanus, in prædicto loco Aristot. tradidit hanc affectionem dici à medicis marmoream. Sed hic notandum est, hanc clausuram, seu imperforationem meatuum differre ab ea, quæ *Φίμωσις* & *Φίμωσις* dicitur, & cuius meminit Galenus 2. secundum loca 6. & 2. de officina medica vltimo; quoniam hæc imperforatio naturalis est. *Φίμωσις* autem & *Φίμωσις* est potius accidentaria, vel ob cicatrices, vel ob tumores, vel ob carnem ab vlcere derelictam; sicui potest intelligi ex Paulo lib. 7. cap. 73. quanquam Celsus lib. 7. cap. 25. nullam differentiam videatur fecisse, inter imperforationem, & phimosis. Sed sciendum in loco Galeni de officina medica textu vltimo corruptam esse lecturam, quia scribitur *χρησίωνσις*, cum scribi deberet *Φίμωσις*, quem literæ Galeni errorem, neque etiam Vidius doctissimus cognouit. Dubitatur hic quomodo fieri possit, vt qui hos meatus habent clausos superuivere possint; nã certum est naturam salutis nostre sollicitam necessariò has vias fabricasse, vt possint excrementa quotidie excerni; quare si hæc non excernuntur, qui fieri potest, vt reperiantur aliqui vixisse imperforati? Respondeo hoc verissimum esse, quod & exemplum hoc hodiernum puellæ Hebrææ demonstrat; præterquàm quod Albertus Magnus, & Sueffanus narrant se huiusmodi viuos homines vidisse. Immo Aristoteles quarto de Generatione animalium quarto, refert vaccam fuisse Perinthi, quæ non solum vixit cum hac imperforatione, verumetiam quoties ope medici aperiebatur, toties iterum claudebatur. Causa verò, propter quam potest in hoc infortunio vita protrahi, potest eadem esse, quam assignat Aristoteles loco citato, quia scilicet natura excrementa sicca extenuas, euacuat ea per vesicam; addo ego etiam euacuari per sudorem, ac insensibilem trãspirationem. Sic vbi clausa est via excrementi humidi, potest natura ea conuertere ad intestina, sicut conuertit sicca ad loca vesicæ. est autem

tem hic affectus morbus instrumentarius, & in viâ; quia quæ deberent esse apertæ viæ, clausæ sunt. actio verò quæ offenditur in hoc morbo, est facultatis expultricis, quæ frustratur à suo fine, quia impeditur, nõ autem essentialiter læditur. Causa nulla alia est, nisi error facultatis formatricis, qui contingit ab aliqua materiæ turpitudine, vel propter motum, vel propter alium casum. Neque adeo arduum est hoc malum cognoscere, vt valde difficile est illud curare. primũ quidem quia nulla alia curationis detur via, nisi per nouam perforationem, & incisionem; incisio verò periculosa est, quoniam periculum imminet, ne dum perforatur anus, lædatur musculus sphincter, atque ita nouum malum oriatur. Præterea etsi absque læsione musculi fiat perforatio, adhuc tamen periculum imminet, ne iterum coalescat, atque vanus sit omnis labor; & hoc est, quod dicit Aristoteles loco citato; periculum maximum imminere, vbi virgines non perforatæ curantur. Curandi ratio in hoc solum posita est, vt quia impedita est facultas expultrix à suo munere, ex toto huiusmodi impedimentum auferatur, quod quidem non medicamentis fieri potest, sed solum operatione chirurgica, quæ nequãquam timenda est; propterea quòd sit citra periculum, cum magna pars orbis circumcidat pueros teneros. Sed dicit aliquis: cur ergo Galenus nõno secundum loca sexto, proponit remedia ad eos, qui non sunt perforati? Si enim solo opere chirurgico hoc fieri potest, cur hæc proponit? Dico perforationem, ad quam proponit medicamenta Galenus non esse hanc naturalem, de qua agimus, sed esse adscititiam, & phimosin, quæ sicuti facta est casu, & morbo, ita medicamentis tolli potest. Vt autem modicum huius curationis tradamus, primũ de meatu primario clauso loquemur, qui in viris dupliciter contingere potest; vel quia præputium coaluerit, vel quia glandis foramen sit occlusum. Vbi morbus fit propter præputium, ante cætera purgandum est corpus blandissi-

mè ; & præ cæteris , dicit Celsus , abstinendum ab ambulacione . & hoc sit perpetuum , ne videamur medicum circumforanei , vt semper ante quamcunq; operationem chirurgicam corpus purgetur , & si opus est , sanguis mittatur . nam ad euitandam inflammationem nihil magis necessarium est , quàm purgatio , vel sanguinis missio . Vbi autem purgatum est corpus , primo tentanda est facilior curatio , vt scilicet præputium ferro perforetur . Circa quam perforationem debent duo notari . Primum , vt ferrum sit rotundum ; secundum , vt sit ignitum ; quia ferrum rotundum facit vulnus rotundum , atq; vulnera rotunda , vt dicit Cassius medicus , & Alexander . i . Problem . difficillimè coalescunt , quod optatur in hoc casu . Præterea vbi ferro ignito fit vulnus , duo bona fiunt . primo fluxio sanguinis inhibetur , secundo vulnus dum sanatur , duriozem callum contrahit , vt non facile iterum coalescat , & hæc albo lapillo sunt notanda , quia non sunt vulgaria . Vbi sic facta fuerit perforatio , habenda est cånula plumbea , quæ in foramine tam diu est detinenda , donec sanatum sit vulnus , & callum contraxerit . Sed si hæc ars non iuuat , vt mihi Romæ non profuit in nobili iuvene , quid agendum est ? nihil aliud , nisi vt incidatur præputium ferro ignito , vt fit in verpis , & in circumcisis . Vbi autem error est in ipsa glande , similiter glans ipsa perforanda ferro rotundo ignito , atque detinenda est ibi cannula vel argentea , vel plumbea , quæ extrahatur vbi mingendum est , & iterum reponatur vbi nulla fit mictio ; atque hæc est ratio , quæ ab Albucasi Chirurgo data fuit . Cæterum Cel . lib . 7 . cap . 25 . præter hanc rationem demonstrat & aliam , sed potius cõuenientem phimosi , quàm imperforationi . solent autem etiam puellæ hoc foramen clausum habere , ita vt etsi mingant , non possint tamen concumbere , quas , vt dixi , vocant velatas . Sed ratio curandi has cum transcendat tractatum morborum puerilium ; ad nos non pertinet , nisi forsan etiam à principio natiuitatis hic morbus sese ostendat ;

dat; quo in casu non aliter agendum est, quàm quo modo dixi etiam in masculis. nam fuit sententia Albucasis debere obstetrices statim natos pueros accuratissime perspicere, & si foramen clausum habeant, digito blandissime, vel ferro aperire; & deinde lanam vino, & oleo perfusam superponere, tum unguentis curare, ac prædictam cannulam plumbeam immittere, & retinere; Quod dico de meatu urinario clauso, idem dicendum est de ano. & primo diligenter notandum, numquid possit anus perforari citra periculum sphincteris; quia si forte fortuna coaluerit totus musculus, atque facta sit via à natura ad ipsam vuluam, ut in puella prædicta vidimus, non est tentanda perforatio, quoniam certissime musculus læderetur, & ex vno malo aliud deterius sequeretur. Sed si appareat aliqua ratione tantum pellem supra musculum esse obductam, tunc signato loco diligentissime, est ferrum rotundum immittendum: & ut in alijs dixi, sic etiam hic agendum est medicamentis, & cannulis.

De ani proidentia. Cap. X.

IN pueris etiam accidit malum à Gal. 9. secundum loca *αἰσίωνος* vocatum, à Latinis ani proidentia; quæ est exitus foras recti intestini vnà cum musculo sphinctere; estque morbus instrumentalis, scilicet in situ, quia intestinum rectum, quod deberet intus perpetuo latere, foras progreditur, in qua egressione non modò læditur expulsio, sed etiam ambulatio, & interdum sensus tactus propter dolorem, qui excitatur. Causa huius est intemperies humida cum materia pituitosa, & biliosa, ut dicit Hippocrates in libro de fistulis. Locus affectus est potissimum musculus ille, qui à natura fabricatus est ad retinendum intestinum rectum intus. hic enim ubi intemperie humida relaxatur. si quâdo feces cum impetu egerantur, nequaquam retinet intestinum, sed

permittit vt exeat, neque amplius reuertatur, quamquam etiam interdum sponte redeat, vbi relaxatio musculi non est insignis; hæc ergo est causa coniuncta huius mali, quò fit, vt inter causas antecedentes iure ponatur ætas puerilis, & infantilis, quia huiusmodi corpora vbiq; humida, & laxa sunt, vt faciliter etiam musculos prædictos languidiore, & laxiores habeant. Venes verò abundant & ipsi humiditate excrementitia circa omnes partes, sed ita habent intestina, & musculos illos exsiccatos, vt ab hac humiditate excrementitia circa omnes partes irrigentur, sed non relaxentur. Humiditas porro, quæ relaxationem facit ipsius musculi, multas causas habere potest & internas & externas. Inter internas primò sunt abscessus, & inflammationes, propter quas cum materiæ humidæ, & copiosæ à toto corpore fluunt ad partes internas inflammatas, iure accidit vt musculi imbibant hanc humiditatem, & ita relaxentur. Externæ sunt humiditas, & frigiditas ani, quò fit, vt pueri sedentes supra saxa, seu super locum humidum, huiusmodi ægritudine tententur. Sic etiam violenti nixus in egerendo fæces, solent hunc morbum efficere, propter quod fit, vt post fluxus alui graues, & longos, solèant huiusmodi nixus consequi, & consequenter egressiones ani, quæ satis ex sese manifestæ fiunt, quia oculis conspiciuntur; apparet intestinum rubrum, est anus modò paruæ, modò magnæ longitudinis, & vidi ego exisse longitudine palmæ vnius. Causa verò externa ex relatione adstantium, vel ægri habetur. Quòd si fiat ab inflammatione, & aliquo abscessu, cognoscitur dolore, rubore, calore, & tumore; vt si neque causa vlla externa accesserit, neque adsit vlla inflammatio, signum certissimum fit fieri malum à sola intemperie, & ab humoribus humectantibus. est verò malum hoc difficillimum curatum ratione propria, eum communi; propria, quia est ab humiditate, quæ solet difficile à pueris tolli; ratione communi, quia vt dicit Galenus nono secundum loca, omnia vitia ani
difficiliter

difficulter curantur. Atque id multis de causis. Primò, quia pars illa excellenti sensu prædita est, quò sit ut au-
stera, & exasperantia medicamenta non sustineat. Sec-
cundò accedit, quòd est via, per quam continuò tran-
eunt stercora, vel fæces aridiores, quæ suo transitu lo-
cum affectum magis irritant, & exasperant. Præterea
medicamenta huic loco ægrè adhiberi possunt, & si ad-
hibeantur, difficilimè detinentur, neque tempore de-
bito retineri possunt, cum sæpè propter fæces egeren-
das, auferri medicamenta necessarium sit. Vltimò lo-
cus ille calidus, & humidus est, & ratione huius postu-
lat remedia refrigerantia, & exsiccantia, quæ cum exal-
perant, & irritent, difficillimè ab ægris sustineri pos-
sunt. Dicit tamen Aetius lib. 14. cap. 16. partem illam
extremam intestinorum, quæ prolabitur, admodum
ignobilem esse, ac dum secatur, aut vritur, vel nullum,
vel exiguum periculum inferre. Est autem omnibus fa-
cilius curatu ea ani egressio, quæ est sine vlla inflamma-
tione, quæ non inueterata, sed recens est, ut dicit Auic.
17. tertij tract. primo, cap. 17. Curatio tota posita est in
retractione ani ad propriam sedem, & in retentione,
quia verò hoc fieri nequit, nisi & intemperies, & mate-
ria tollatur, ea propter in primis necessarium est & in-
flammationem, & omnes humores, à quibus fit ma-
lum, delere: quapropter si sit puer lactens, curetur nu-
trix in primis; si adultior, est instituenda ante omnia
victus ratio, atque eligendus aer siccus, & calidus, po-
tius quàm frigidus, & siccus. Si hic non habeatur, pa-
retur suffumigijs ex rosa, cypero, lentisco, cupressu;
quæ omnia possunt eum, & siccum, & calidiorum pa-
rare. Dormiendum est, & curandum ut pueri semper
tecti maneat: & si fieri potest, vel supini dormiant,
vel saltem cruribus, & coxis eleuatis, ac reliquo corpore
supiniore. Abstinedum omnino est ab usu balnearum,
quia relaxando malum augent. Hippoc. in lib. de Fistu-
lis laudat vinum dulce; Aetius aquosum; sed utrum
adhibeatur, conuenit, siue aquosum, siue dulce. Opta-

num est etiam abstinere à vino, & eius loco vti aqua, cui ferrum candens sit immerſum. Cibus ſit ſiccus, extenuans; & omnino abſtinendum eſt à fructibus, ab herbis, carnibus humidioribus, & ab his, quæ ſolent aluum humectare, & laxare. Inſtituto victu diligenter videndum an pars prolapſa ſit inflammata, an muco aliquo obducta. Si ſit inflammata, inquit Hippocrates, & iure nutriendum eſſe agrum cibus tenuibus, & leuibus, quia puer eſt, nec opus habet ſectiōne venæ; loco cuius vtendum cucurbitulis, præſertim dorſo adhibitis, & etiam frictiōibus. Quòd ſi fuerit grandior natu, poſſunt ſcarificari cucurbitulæ. præter hæc erit blandiſſimè puer purgandus, exempli gratia, præparabuntur hoc modo humores:

R. Foliorum ſonchi,

Endiuia,

Polygoni an. m. i.

Fiat decoctio ſecundum artem, deinde

R. Huius decoctionis vnc. ʒ.

Syrupi ex roſis ſiccis vnc. i.

Miſce. hæc potio utilis erit ad præparandum humores, & refrigerandum. De purgatione quid agendum? Si purgans exhibeamus, proculdubio inflammatio magis incitabitur in exitu ſæcū. In hoc ergo caſu, vt aluus fluat, blandiſſimè eſt prouidendum, & per vrinam potius eſt purgandum corpus, quàm per aluum, itaque pro purgatione laudo vt capiatur lib. i. s. feri caprini optimè depurati, vel bubuli, & miſceatur vnc. i. s. ſucci ſeminum melonum; hoc enim medicamentum purgabit maximè per vrinam, & ſi etiam aluum mouerit, id aget blandiſſimè, & ſine vlla mordicatione. Interim danda eſt opera, vt quàm citiſſimè, & blandiſſimè dolor leniatur, quod fieri poteſt & inſeſſibus, & inunctiōibus accommodatis. Inſeſſio fiat ex aqua fluuiali, in qua bullerit roſa, ſlos camomeli, meliloti, capita papaueris, althæa; nympha præ ceteris laudat Aui-cennas, & aduertendum huiuſmodi inſeſſum non admodum

modum calidum esse debere, sed medium omnino, sic ut neque calore, neque frigore noceat. Vnctio fit ex oleo rosato omphacino lumbriato, ex oleo anethino lumbriato. Capitur etiã vesica, & impletur aqua, & deinde ano prolapsio apponitur: vel accipitur etiam ouum, & in vino aliquo odorato coctum apponitur loco dolenti. Sic fieri potest emplastrum ex oleo rosato lumbriato, modico vino, & semine lini. Vbi sedata est inflammatio, conandum est digitis blandè pellere anum in suam sedem, & hoc fit, si supinus colloctetur puer, & paullulum coxis eleuetur: & quia nolunt hanc operationem perpeti, detineantur a nutrice. Sed si intestinum minimè sit inflammatum, verum mucos obductum fuerit, curandū est, ut ille mucus omnino eluatur; pro quo agendo laudat muriam Celsus, quam & ego laudo, si sustineri possit, ac maiores cruciatus non inducat; potest fieri aqua huiusmodi:

R. Aquæ communis lib. 10.

Salis vnc. 1. s.

Verbenæ,

Malicorij ana p. 1. s.

Bulliant omnia, deinde spongia immaceretur, & intestino apponatur. Vbi certum est iam omnem mucum esse ablatum, intropellendus est anus digitis, & remedijs accommodatis, efficiendumque, ut detineatur sub musculis; ad retinendum anum parantur & lauacra, & inunctiones, & pulueres; lauacrum fit huiusmodi:

R. Aquæ communis lib. 10.

Rosarum,

Foliorum rubi,

Lentisci ana m. 1.

Corticum granatorum,

Acaciæ,

Lentium ana vnc. 2.

Nucum cupressi,

Myrtillorum ana vnc. 1.

Bulliant simul ad quartas, deinde spongia rhaceretur, & in loco affecto detineatur. Possunt etiam fieri suffumigia, veluti est suffumigium ex cortice pineæ, ex cortice granatorum, folijs rubi, vel

R. Seminum hyosciami vnc.s.

Balaustij,

Nutum cupressi ana drach.ij.

Corticum pineæ vnc.3.

Terantur omnia crasso modo, deinde prunis superponantur ardentibus, & fiat suffumigium. Fiunt pulueres, & olea, vt

R. Olei myrthini, &

Olei rosati omphacini, & hoc anus illinatur, deinde aspargatur modicum huius pulueris:

R. Cerusæ,

Antimonij,

Gallarum,

Aluminis an. drach. 3.

Puluerizentur, & adhibeantur. Laudatur hic puluis à Rase, & ego expertus sum esse efficacissimum. Sed aduertendum est, quod admonuit Aetius, in infantibus, & in pteris tractandis tenerioribus minimè vtendum esse istis pulueribus, maximè adstringentibus, & efficacioribus; propterea quod magnopere exasperant, & dolores pariunt. quare nisi puer sit adultus, prædicto puluere vti erit inutile. Habentur nono secundum loca, multa medicamenta vehementiora, quàm conueniant pueris tenerioribus, ideò magis laudo consilium Gal. 3. de facili parabilibus, scilicet, vt vtamur aqua fabrorum, & puluere cochlearum vstarum. Scribit idem Galenus 2. de Simpl. medic. à multis scriptum esse torpedinem appositam ano prolapsa vtilissimam esse, sed subdit, sese hoc remedium incassum esse expertum. puluis quoque ex spolio serpentum maximè prodesse solet. Quòd si remedia hæc ex toto malum non auferant, Arabum sectatores commendant, vt fiant duo cauteria in fine spinæ, id est prope caudam; vnum ex vna, alterum ex altera

altera parte, quod tamen remedium in pueris tantum
adultioribus vsurpandum consulo, & vbi cætera non
conferant.

De intertrigine. Cap. XII.

SUPER SVNT inter morbos externos pue-
rorum duos, qui eos frequentissimè exercēt
intertrigo, & pernio, seu bugantia. Intertri-
gines à Galeno, Paulo, & alijs dici consue-
runt paratrimata, & fortè sunt eadem cum ijs, quæ à
Theophrasto lib. de sudoribus dicuntur enodia. Pli-
nius modò appellat attrita, modò confricata membra.
Vocat communi nomine Auic. excoriationes. Sunt au-
tem hi affectus vlcera quædam cutanea, seu excoriatio-
nes quædam, quæ infantibus inter femora contingūt;
adultioribus verò pueris, & etiam viris non modò in
coxis inter femora, sed etiam in pedibus, quandoque
oboriuntur. Patet ergo hunc affectum esse morbum, &
solutionem vnitatis, atque etiam morbum in intem-
perie; quandoquidem plerunque huiusmodi exulce-
rationes iunguntur intemperiei calidiori. Lædit verò
hic morbus non modò actiones naturales, scilicet co-
ctricem, & alteratricem facultatem, sed etiam impedi-
animales, præsertim motricem, & senstricem; cum e-
tiam dolor, & cruciatus ab eo insignis fiat. Causa exul-
cerationis & intemperiei duplex est, alia interna; alia
externa. externa est lotium, fæces acres, & biliosæ, for-
dities inuolucrorum; ab his enim omnibus tenerorum
puerorum coxæ exulcerantur, & ad intemperiem du-
cuntur. Intrinsicæ verò causa est humor acris, & mor-
dax, qui vel in ea parte generatur, vel à toto in eas par-
tes fluit. Causæ antecedentes sunt vitiosum lac nutri-
cis in lactentibus, in adultioribus victus prauus, præser-
tim ex cibis calidis, dulcioribus, acris, & mordacibus.
Sic etiam inter causas externas huius mali est obambig-
latio, calceamenta stricte, panni asperi, sed præsertim.

est motus importunus. Nam, vt scriptum est à Theophrasto lib. de sudoribus, vbi corpus est impurum, à motu facile vlcera inducuntur, eo quia vel humores acres, & mordaces à toto corpore ad cutem trahuntur; vel quia excrementa, quæ in ipsa cute sunt, motus, & caloris vehementia aciora redduntur, & mordacia; ita vt cum nec perspirare, nec diffiliari possint, necessario cutem exulcerent; & non modò has excoriaciones, sed etiam impetiginēs, scabies, & lepram inducunt. Et hæc mala est facile cognoscere, quia oculis apparent, adhæc si partes manu, vel panno tractentur, statim dolent pueri, ac gemunt. Si malum vitio lactis contingat, cognoscitur his signis, quibus cognosci lac nutricis docui, pariter si fiat ab vrina, vel à facibus, cognoscitur, quia facies ipsæ biliosæ & ardentes videntur, atque panni, quibus inuoluuntur pueri, vrina colorantur. adhæc si & diligentia adhibeatur in emundandis pannis, in auferendis facibus, aut malum auferatur, aut saltem lenitur. Sic cognoscuntur cæteræ causæ relatu vel agri, vel assidentium; quando scilicet ob vrinam, vel ob pânos malum euenit. Estque hoc malum facile curatu, propterea quòd si diligentia statim adhibeatur, omnino sanescere solet citrà periculum. dicit Galenus 2. de Artic. 36. & Paullus lib. 4. cap. 14. quòd si huiusmodi vitia oriuntur ex immodica frictione; ita vt vlcera profundiora, & rebelliora sint reddita, difficilius curantur, quàm cæteræ aliæ intertrigines. nam præterquam quòd huiusmodi mala faciunt inflammationem, accedit quòd vlcera praua redduntur. Quare studendum est, vt partes solutæ ad pristinam vnionem reducantur; quòd quia fieri nequit, nisi humiditates, & aliæ causæ auferantur, danda opera est, vt in primis omnes causæ externæ remoueantur. Et si puer lactens sit, protidendum est, vt mulier optimo victu utatur, & abstineat à motu, à vigilijs, ab ira, à vino, & cibis omnibus salis, acris, & mordacibus: & si nutrix cacochymica, & impura sit, purganda est. Sic etiam danda erit opera,

vt sepe pueri abluantur, ac mündentur à facibus, & ex-
tremis; & panni omnes mundi sint, & minime af-
peri. Quòd si adultior sit, neque lacte amplius vesca-
tur, sic & ipse nutriendus est, vt de nutrice dixi, & pur-
gandus; atque possunt præparari humores hoc modo:

R. Foliorum scabiosæ,

Epaticæ;

Cichorij;

Lapatij an. m. i. s.

Fiat decoctio secundum artem;

R. Dictæ decoctionis vnc. 3.

Syrupi de fumaría,

Dé cichorio an. vnc. s.

Præparati humores hoc modo purgabuntur:

R. Rhabbari infusi, & expressi secundum artem

scrup. 2. s.

Syrupi rosati solutiui vnc. 2.

Seri caprini vnc. 4.

Misce. Purgato corpore nihil aliud agendum; nisi vt me-
dicamentis externis pars excoriata curetur. Balneum
optimum erit ex aqua fluuiiali, in qua decocta sit scabio-
sa, lapatium; iridis radix, & ordeum. Proponuntur
multæ inunctiones à Paulo, & alijs, sed ex omnibus
magis laudo eas, quæ sunt cum lythargirio, quod di-
cit Gal. 4. de Simpl. medic. valere ad intertrigines, vt;

R. Medullæ ceruinæ drach. 3.

Cerussæ lotæ drach. 2. s.

Butyri recentis,

Aqua rosacea abluti drach. 2.

Lythargirij abluti drach. 4.

Mirrheæ drach. 1.

Cum modico therebinthinæ lotæ fiat linimentum. Item

R. Vnguenti de lythargirio vnc. 1.

Olei rosati omphacini drach. i.

Misce, fiat linimentum. Est etiam puluis, qui ad inter-
triginem maximè valet, & fit ex rosis, myrrha, malico-
tio, cypéro, scabiosa, & lupini farina. Galenus 8. Sim-

plcium, laudat etiam piceæ corticis puluerem: & 2. simpl. scribit coriorum vetustorum cineres excellenter intertrigines sanare.

De pernione. Cap. XIII.

HIS similem, & alium pueri pati solent affectum, non modo circa pedes, sed etiam circa manus. Qui circa pedes oriuntur affectus, Galenus lib. de facili parabilibus, appellat intertrigines pedum, Barbari medici vocant bugantias, Latini perniones, maior pars Græcorum, vt etiam Aristoteles appellat maligna chymetla; quamquam si visum huius vocis apud Græcos spectemus, videatur his tantum accommodata, quæ fiunt à frigore externo; quæ etiam Celsus lib. 1. cap. 28. appellat vlcera à frigore; Latini proprio nomine vocant ambusta, quod frigus instar ignis adurat. Est verò hic affectus vlcus siccum in pedibus, & manibus puerorum potissimum nascens. Appello vlcus siccum, quia tametsi præcedere soleat quidem tumor, cum tamen materia, à qua fit malum, sit sicca, acris, & mordax, rodit, aperit, & vlcus facit, quod plerumq; nulla humiditate solet manare; quamquam etiam Celsus dicat interdum exire materiam, quæ videtur aut pus, aut saniem referre. Dixi potissimum in pueris; hi enim cum læsionem frigoris externi minimè sentiant, fit vt has partes nullo modo defendant; iccirco passim, & frequentissimè aère frigido externo læduntur. Est hic morbus solutio continui, & intemperies frigida, & sicca, quæ coniuncta est cum materia frigida, & sicca, aut saltem sicca; nam etsi tumor quàm sæpissimè huic malo iungatur, est tamen is symptoma potius, quàm morbus; quia à tumore, vt tumor est, vix læditur vlla actio in hoc morbo. Læditur autem facultas naturalis ab intemperie, quia & altera trix, & attractrix læsæ sunt. impeditur verò facultas animalis,

malis, cum & ambulario læsa sit, & sensus tactus, propter dolorem, & pruriturum, quem inducit hic morbus, intemperies verò hæc, & etiam solutio continui fit potissimum à frigore aeris externi, propter quod populi omnes Septentrionales magnoperè solent huius generis affectu infestari. Sed cupiet quis intelligere qui fieri possit, ut potius manus, & pedes hoc genere mali infestentur, & non aliæ partes? Dico complures huius rei esse causas. in primis est, quoniam huiusmodi partes longinquæ sunt à caloris fonte, quamquam caput etiam recedat à simili fonte: illud tamen hoc habet, quòd cum positum sit in parte superiori, calor suæ naturæ impetu facile in caput attollitur, quod non contingit neque manibus, neque pedibus. præterea manus, & pedes sunt excarnes, propterea nullo munimine defenduntur ab externis iniurijs; ad hæc multis nervis, & ossibus scatent, ob quod non modò, ut dicit Hippocrates lib. de Affectibus podagricis. dolor maximus euenit. verum etiam sua natura redduntur torpidi, & frigidi; propter quam etiam rationem Aristoteles 6. problem. 6. dicit nos maximè torpere secundum manus, & pedes, propterea quòd hæ partes excarnes sunt, ossibus, & nervis multis præditæ. Neque verò solùm magis torpemus secundum pedes, quàm secundum alias partes, sed etiam sepe fit ut pedes à frigore profus corrumpantur, & putrescant. quemadmodum refert Xenophon 4. lib. expeditionis Cyri euenisse militibus ambulanti per niuem: quare potissima causa huius mali est frigus externum aeris. Sed præter hanc causam sunt etiam calceamenta, quando vel adstrictiora, vel asperiora sunt, quàm conueniat. Sed oritur dubitatio hoc loco, quomodo dictum sit à me oriri huiusmodi morbum ab intemperie sicca; nam omnino dubium est, quomodo dixerit Aristoteles 1. problem. 55. & 56. quærens cur perniones æquè curentur à frigida, ut à calida aqua, & cur æque sanentur, & fiant à frigido. Respondeo ex eo esse, quia hoc malum oritur

ex immodica humiditate, quæ & à frigore exprimitur, & à calore dissipatur. Si ergo Aristoteles scribit fieri à nimia humiditate, quomodo verum est, oriri à sicca intemperie, & sicco humore? Dicendum est humorem vel concretum esse posse, vel fufum; periones autem non fiunt ab humore fuso, sed concreto. quem intelligens Aristoteles dixit fieri à nimia humiditate, nec inconuenit huiusmodi humorem concretum appellare siccum, quia re ipsa patet hiberno tempore terram grauidam humore ita à frigore cogi, & concrefcere, vt siccissima appareat, cum tamen sit plena humiditate; & non modo appareat siccissima, sed etiam findatur, & quodammodo exulceretur; vt hac ratione etiam contingat partibus his externis, quibus humores à summo frigore concreto ad similitudinem terræ siccitatem faciunt, & vlcera sicca. Cæterum non difficulter hoc malum cognoscitur, quia, vt dicit Celsus, rubor adest cum inflammatione modo mediocri, modò paullo maiore, interdum pustulæ oriuntur, deinde exulceratio; modicus est dolor, sed prurit⁹ multò maior; exit ichor, vel tabus quidam, qui vel saniem, vel pus referre videtur. Malum hoc minimè periculosum est, nisi penitus negligatur; quia si negligatur, aut fortè ob necessitatem curari nequeat, potest & mortificationem pedù in summo frigore, & mortem inducere. Curatio non admodum diuersa ab ea est, quam proposui in intertrigine, id solùm videtur habere quasi peculiare, vt maiore præseruatione opus habeat, quam intertrigo; quia sunt aliqui & pueri, & adulti, qui vsque adeo sunt obnoxij huic malo, vt nisi magna diligentia sese tueantur, singulis annis tententur. Quamobrem, quemadmodum dixi, cum potissima causa sit mali aeris externi frigus, aut calceamentorum asperitas, vel strictura, ante cætera curandum est; vt qui his malis facillè tentantur, latioribus calceamentis semper vtantur, & quantum potest fieri, sese ab externo aere defendant. Laudat Actius pro præseruatione ab hoc malo salem cum melle

melle mistum, & affricatum pedibus, quod etiam utile est in principio, vbi tumor tantum apparet, quem maxime quoque iuuat abluere aqua vel marina, vel falsa; vel decocto radicis betæ, vel cyclaminis. Laudat Dioscorides ad hunc usum decoctum serpentariæ. Celsus inter alia remedia, quæ proponit pro hoc malo vincendo, illud etiam habet, vt æs, quàm calidissimum suffineri potest, ipsi parti affectæ apponatur. quod consilium puto captum esse ab Hippocrate lib. 5. & 7. epid. vbi consulit vt perniones magna calefactione, & igne tractentur, & iuuentur. cuius rei rationem adferens Aristoteles problem. citato, & etiam problem. 50. scribit à calore summo curari perniones, quia humor concretus dissoluitur, & dissolutus dissipatur, & euacuat. In qua re maxime videtur discrepare ab Hippocrate & medicis, quia scribit etiam curari perniones à frigore, quod vt fieri possit, neque rationem, neque experientiam adhuc vidi. Sicuti puto etiam errasse Petrum Aponensem, qui ea loca exponens, pro pernionibus intellexit tumores quosdam valde ab his diuersos, vt morbillos, ignem persicum, & alios affectus. Decoctum raparum etiam maxime valet ad perniones, nec non rapæ coctæ, & in emplastri formam applicatæ. Aetius lib. 14. laudat oleum rosatum in rapa magna excavata positum, & ad feruentem cinerem adhibitum. Sic fufur in vino decoctum maxime valet. Inuenio Galenum 3. de facile parabilibus laudare sâlem, cyminum, & oleum; quod remedium potius, vbi tumor adest, valet. item rubrica synapis, terra cymolia, succus eaprisici confert. iuuat etiam abluere pedes decocto ex althea, chamomelo, scœnu græco; ita tamen, vt postquam exsiccati sunt pedes, inungantur, vel oleo amygdalarum dulcium, vel oleo vitelli oui; & deinde optime testis pannis, aut lana sordida teneantur. hoc etiam vnguentum optimum est ad præseruandum:

R. Ammoniaci drach. 1.

Resinæ drach. 2.

k 3

Dissoluantur ad ignem, adde
 Olei communis drach. s.
 Cerae communis drach. 6.
 Cera dissoluta fiat colatura, deinde adde
 Farinae foenu graeci,
 Thuris,
 Mastice an. drach. 2.

Misce. & haec videtur esse praeservatio, & curatio tumoris. Vbi factum est vlcus perpendendum est, an id sit sordidum, vel purum. Si sit valde sordidum, omnino est emundandum, ad quod maxime valet unguentum apostolorum; vbi mundatum est, ita vt in ipso nulla sordities relinquatur, studendum est ad cicatricem perducere. Celsus laudat alumen aequa portione cum thure, vino adiecto. Laudat etiam vinum, in quo malicorium sit decoctum; haec enim exsiccant, & adstringunt; ita vt cicatricem inducere queant. Est apud Galenum 3. per genera. 4. medicamentum illud praestantissimum, quod dicitur diacaltheos; hoc quoque, vbi caetera non profunt, poterit quis feliciter vti. puluis etiam hic maxime valet, vbi mundatum sit vlcus:

R. Myrrhae,
 Mastice,
 Thuris an. drach. 4.

Misce, omnia trita inspergantur vlceri, & deinde superponatur stappa in vino adstringente macerata. Cancri fluuiatiles in caetrem redacti, & cum melle appositi valent. Refert Galenus 2. Simpl. puluerem ex unguibus asinorum maxime etiam conferre ad haec vlcera sananda. Sed non est praeterendum illud experimentum, quod narrat Clarus Olaus in secundo libro rerum Septentrionalium, vbi scribit populos eos, qui frequentissime ob frigus aeris hoc malum experiuntur, sese non alio remedio sanare, quam puluere pellis leporinae; nam & hoc experimentum rationem habet, quia

vt

vt notum est, pili leporini maximè valent ad vnienda vulnèra. Hic est finis morborum puerilium exteriorum.



HIERONYMI

MERCVRIALIS

DE INTERNIS

PVERORVM

MORBIS

LIBER II

De febre Puerorum in genere.

Cap. I.



VENIO ad internos puerorum morbos, sed quia hi multi, atque multorum generum sunt, vt possim præclarissimum hunc tractatum perficere, deliberavi insigniores, & frequentiores edocere; & erit hæc tractatio vtilissima, si quæ vnquam fuit, quoniam difficilior est interiorum, quàm exteriorum cognitio. Sunt autem morbi puerorum interni, alij vniuersales, alij verò particulares; particularium rursus, alij pertinent ad superiorem ventrem, alij ad mediũ, alij verò ad inferiorem; sic enim yete-

✠ 4

res medicos partes nostras distinxisse, clarum esse potest. Vniuersalis morbus internus, quoniam vnicus est, primo loco à me tractabitur, atque hic est febris ipsa, quæ, quia in pueris accidens solet esse dentitionis, vt habetur apud Hippocratem libro tertio, Aphorism. vigesimo quinto: alia verò est febris non accidens; de febre accidentali non est vt hoc tempore loquar, quia cum sequatur dentitionem, tunc loqui poterimus, quando copiosè de hoc affectu verba faciemus. Loquamur itaque de ea febre, quæ sponte in pueris oritur. Solet autem febris puerorum esse omnium generum, & quartana, & tertiana, & quotidiana; sed quæ maxime propria huic ætati videtur, est febris synochos, siue sit cum putredine, siue sine putredine. Sed illud memoria reuocandum, cum de pueris loquor, me loqui de ea ætate, quæ vsque ad decimum quartum annum pertingit. Ratio, propter quam pueri hoc generis febris tentantur, ea est, quia eiusmodi febris fit potissimum in corporibus calidis, humidis, & sanguineis. Jam verò nemo est inter Medicos, & Philosophos, qui nesciat pueros maxime calidos, & humidos esse, vnde Galenus libro tertio prognostic. trigesimo dicebat, eorum temperamentum esse verè, & ex natura sanguineum; & possumus etiam huic rationi aliam adijcere, scilicet puerorum corpora admodum densa esse; quò fit, vt præ densitate cum non possit calor liberè expirare, cohibitus augeatur, & febrem inducat.

Esse verò illa huiusmodi, testimonium est Aristotelis decima sectione problematum, problemate quarto, vbi scribit pueros viriligni minime subijci, propterea quòd præ densitate carniū vapores ad cutem penetrare non possint. Sed video dubitari posse, quomodo dictum sit à me, omnibus febribus hanc ætatem esse obnoxiam; quandoquidem si quartanæ generationem, & mores spectemus, ab ea omnino videtur aliena, nam fit, vt notum est, ab humore melancholico, quem in temperamento sanguineo, vel corporibus

bus humidis, & calidis reperiri, admodum difficile est. Accedit Hippocratem in fine lib. de Natura humana dixisse, quartana febre fieri ab ætate viginti quinque annorum, usque ad quadragintaquinque; ut his rationibus comprobatum esse videatur, pueros à quartana febre non debere tentari. Respondeo quantum est ex temperamento ipsorum, proculdubio hanc ætatem immunem esse ab hoc genere mali; sed si res externas, atque etiam internas consideremus, potest fieri, quemadmodum experientia docet, ut etiam quartana tententur. Primum enim pueri materno sanguine creantur, & aluntur, qui cum possit esse melancholicus, rationi consentaneum est, in eorum corporibus hunc humorem ita posse congregari, ut quartanae occasio præbeatur. His accedunt externæ causæ, importuni motus, usus ciborum crassorum, & melancholicorum; ex quibus omnibus cum in pueris colligatur copia insignis crudorum humorum: consequenter etiam fiunt humores melancholici, dum scilicet humores crudi in iecinore non conficiuntur, sed ex ipsis sæx copiosissima resultat. Illud tamen verissimum est, quod scribit Hippocrates in loco citato, scilicet febres quartanas illis ætatibus extra vigesimum quintum, & quadagesimum quintum annum admodum breues esse, nisi errorum copia, & frequentia diuturnæ reddantur. quamobrem clarissimum est, pueros omnes febres experiri, quarum causæ aliæ sunt internæ, aliæ externæ. Internæ ipsissimi humores sunt, & pituita, & bilis, & sanguis, & melancholia: Externæ vero complures sunt, inter quas primum locum habet aer; de quo loquens Hippocrates in libro de aere, locis, & aquis, dicebat: Si hiems borealis, & sicca fuerit, ver autem austrinum & humidum, pueris in æstate fieri febres. cuius sententiæ reddens causam Aristot. 1. Problematum sect. 19. dicebat, iccirco pueris fieri febres sub his constitutionibus, quoniam humor collectus in corporibus eorum calidis, cum æstate refrigerari non possit, flagrat, incendi-

tur, & conſequenter febres inducit, cui etiam adiicitur
 aeris æſtus, qui tanquam ignis igni additus, vt dicebat
 4. ſect. Problem. 29. efficit, vt in æſtate corpora puerorū
 ſemper gracilia, & tenuia reddantur. Præter aerem,
 cauſa febrium puerorum eſt importuna, & immodica
 corporis exercitatio; pueri enim omni tempore, & ſa-
 turi, & ieiuni exercentur, vt non ſit mirum humores ip-
 ſorum incendi poſſe, & febrem induci. Sed præ cæte-
 ris in ipſis faciunt febrem cibi, & immodici, & prau-
 ſumti, ex quibus non ſolūm crudi humores colligun-
 tur, verum ij collecti obſtructiones, & putredines inſi-
 gnes producunt. Cæterū ſunt penè omnes febres in
 pueris ſalutares, & iure, quia cum febris, vt dictum eſt,
 maximè frangat, & lædat actiones naturales, in pueris
 huiusmodi facultas vſque ad eò vegeta, & robuſta eſt, vt
 maximè omnium reſiſtere poſſit cauſis lædentibus,
 & febriculofis. Id vnum ex febribus ſolet periculum
 impendere pueris, ne magnitudine earum, neue diffi-
 cultate eos gubernandi conuertantur febres in heſti-
 cas; vt propter hoc potiffimum, & propter alia debeat à
 medico cura haberi febrium ipſorum puerorum; qui,
 quo tempore lacte nutriuntur, duo curationum gene-
 ra requirunt; alterum in ipſis nutricibus, alterum in ip-
 ſiſmet pueris; Nutrices enim quo tempore pueri fe-
 bricitant, maxima diligentia cuſtodiendæ & curandæ;
 & quo ad diligentiam ſpectat, pro ratione febrium, in
 victu tractandæ ſunt; vt ſi infans laboret quotidiana,
 victus nutricis ſit quotidiana accommodatus; pari pa-
 cto ſi bilioſa, aut alio genere. In omnibus autem ſem-
 per debent nutrices à vino abſtinere, quia pueris lac-
 tentibus nihil eſt, quod magis obelle poſſit ipſo vino.
 quod Galenus octauo & nono Methodi dicebat febres
 in quibusuis augere. Sed ne tempus inutiliter conte-
 ram; debent curare nutrices, & alterantibus, & pur-
 gantibus medicamentis, prout febris puerorum requi-
 rere videbitur. Cæterū de pueris ipſis lactentibus du-
 bium eſt poſſe, vtrum, cum febricitant, aliqua ratio-
 ne ſan-

ne sanguis mitti possit. Rases in lib. de peste capite 4. post quintum ætatis mensē posse pueris cucurbitulas apponi, & sanguinem extrahi, manifestè testatus est. Ex aduerso Auicennas 4. i. doctr. 5. cap. 21. cauet ne pueris ante annum cucurbitulæ apponantur. Verùm in virorum horum dissensione tutior pars mihi esse videtur, vt consilium Auicennæ sequamur, scilicet ne cucurbitulæ apponantur pueris, priusquam annum sint transgressi, eo quia hæc ætas maxime vinci solet à doloribus, & molestiis, vt iure dixerit Diuus Plato, duos esse maximos Tyrannos, quibus trahuntur pueri, voluptate, & dolore; iam manifestissimum est cucurbitulas insignes dolores etiam grandioribus inducere, vt propter hoc maxime abstinendum sit ab hoc remedio. Post annum me vsum fuisse fateor, & feliciter, modo obseruentur duæ, vel tres conditiones. Vna, vt iis potissimum pueris adhibeantur, qui maxime sanguinei, & robusti videntur. Altera, vt non partibus superioribus sed duntaxat cruribus applicentur; ratio est, quia ab ea parte sanguis missus non ita viribus incommodat, neque ita spiritus exhaurit, quemadmodum in partibus superioribus. Tertia est, vt nunquam vncia, vel altera transeat. Præter hoc genus remedij sunt quædam alia, quæ huic ætati à Medicis proponuntur, quæ & intus, & extra administrari possunt. Intus pro febricitantibus ab Auic. laudatur succus granatorum cum oxymelle, succus citrinorū; poterit autem hoc pacto fieri.

R. Succus granatorum vnc. i.

Oxymellis simplicis vnc. s.

Misce, cum cochleari indatur in os pueri vna, vel altera drachma, vsque ad vnc. s. & aduertendum me minorem præscripsisse oxymellis dosim, quia hæc ætas omne genus neruorum maxime infirmum habet; acetum autem, & proinde oxymel neruis obesse, vtiq; & Hippoc. & Galen. docuit. Sin autem pueri alium adstrictam habeant, quid agendum? medicamentis purgantibus vti valde periculosum est; quia cum sint sitapte natura

calida corpora, & à febre magis calefacta, addere etiam calorem medicamentorū periculosum est; quare multo fatius est uti vel clysteribus, vel glandibus. Clyster pro puero febriente hic erit:

R. Seri qualiscunque lib. s.

Mellis vnc. i.

Salis drach. s.

Misce. Glandes autem multæ sunt, quæ pueris accommodantur, præsertim verò ex sapone, ex carne, & lardo porcino, glans etiam, quæ communis vocatur; nam aliis grauioribus uti in febre puerorum, inutile est. Extrinsecus autem alia sunt, quæ conueniunt, ut sudorem prouocent; alia verò ut incendium remittant. Prouocare sudorem in pueris laudarunt Auicennas & Aetius, & iure; quia corpora hæc, cum, ut dixi, satis densa, & adstricta sint, si per sudorem aperiri possint, non est dubitandum facile præberi aditum, & egressum ipsis vaporibus, & putridis exhalationibus. Ad prouocandum sudorem laudatur succus radicum arundinum plantis pedum, & vertici inspersus; nam vehementioribus uti valde inutile est. Ad aitemperandum autem feruorem conuenit applicare pectori subtilissimos pannos lineos madefactos vel aqua endiuia, vel rosarum, vel citrulli; quæ propter hoc ab Auicenna iure commendantur. Renibus verò & dorso utile est aliqua applicare, quæ possint eius partis incendium remittere, ut esset istud:

R. Olei rosati vnc. s.

Succi endiuia drach. ʒ.

Aquæ rosarum drach. ʒ.

Aceri modicum, & ceræ.

Fiat linimentum. Præ cæteris verò in febrientibus pueris maxima cura habenda est, ut ventriculus, & iecur possint concoquere. Quod enim Galenus vndecimo Methodi decimo quinto dicebat, scilicet perspiciendum esse in omni febre, ut ventriculus, & iecur concoquat, eò magis studendum est in febrientibus pueris, quo hæc corpora, quæ continuo augentur, & calida sunt,

sunt, alimentum commodum, & sufficiens habeant, quo nutrirı possint: ea propter cum corroborantia iecur, ventriculū adstrictiorem habere debeant, iurē meritō Galenus in his casibus utendum esse adstringentibus docuit; ut malē videantur agere illi, qui in febris extrinseca remedia adstringentia pro ventriculo, & iecinore abhorrent. Itaque hoc vsurpari poterit:

R. Olei masticiני vnc.s.

Pulueris corallorum rubeorum,

Sandalorum,

Rubi ana scrup.s.

Ceræ parū,

Misce fiat linimentum. Si puer, qui febre laborat, ætatis fuerit inter septimum, & decimum quartum annum, alia ratione tractandus erit, quā de quā sum ante loquutus; & quia omni febrium genere tentari poterit, ne nostra valetur oratio, proponam exemplum alicuius febris, ut in ea exercitati, possint deinceps eadem methodo ceteras curare.

De febre Syncho. Cap. II.

SI itaque puer in hac ætate constitutus laboret febre syncho cum putredine. (huiusmodi enim febre sæpè pueros laborare certum est.) Cum ortum ducat ex obstructionibus factis à crassis humoribus, atque in corporibus calidis, & humidis, & sanguineis, sitque putredo vel in vasis omnibus, vel in maioribus, videtur rationi consentaneum, fieri propterea quod tota sanguinis massa putrescat saltem secundum ichores. Ratio itaque curationis posita in eo est, ut totum studium conuertamus ad tollendas obstructions, & simul ad tollendum feruorem febrem; quamobrem inuenienda sunt remedia particularia: & ut primum à viuendi ratione incipiamus, erit puer detinendus in aere frigido, omnes motus animi, & corporis vitandi; Si alius non fluat,

excitanda clystere, vel glande. Potus sit aqua simplex, & aqua hordei. Victu, in simili febre Galenus 9. Methodi cap. 4. satis tenui utebatur; nam præter mulsam, & cremorem ptissanæ nihil ferè dabat vsque ad perfectam morbi inclinationem. Similiter ergo etiam vbi dabitur hæc febris, prouidebitur sustinere ægrum ptissana facta saltem in brodio pulli; & quia durum est temporibus nostris apud populum sustinere ægros hoc solo victu, poterunt indulgeri & alia, vt pannis cum brodio, interdum vitellum oui, modò hoc obseruetur, ne nimium nutriatur; quia vt dicebat Hippocrates & Galenus sæpè simul nutriuntur & vires, & morbus. Hora cibandi erit, quæ est consueta tempore sanitatis ipsi ægro. Instituto victu, inter remedia videnda sunt primum chirurgica, nunquid conueniant, & de sanguinis missione habetur à Gal. lib. de Curatione per sanguinis missionem cap. 13. & 10. Methodi cap. 14. vbi scribit in pueris ante decimum quartum annum nunquam esse secandam venam, eò quòd, id quod deberet facere sanguinis missio, sponte natura ipsa facit, quæ scilicet quotidie multam puerilium corporum substantiam consumit; quare periculosum illud est consilium; quod videtur reliquisse Auëzoar, qui vt dicit Auer. 7. collect. 3. scripsit, se filiolo suo trium annorum venam incidisse; loco autem sectionis venæ, quia in his febribus præstantissimum remedium est sanguinis euacuatio, licet vel cucurbitulis, vel hirudinibus uti; nam hirudines cum osculo subtilissimo venam rumpant, non ita easulam præbent, vt spiritus vitales exhalent; potest autem hirudo applicari cruribus, & melius erit & tutius; vel etiam ipsis brachiis. Sunt præter hirudines cucurbitulæ, quibus in hac ætate in febre nunquam erit vtendum in partibus superioribus, sed inferioribus, quia possent attrahere materiam à toto corpore & ad cor, & ad locos, vbi est posita putredo, quare multò satius erit & lumbis, & natibus; aut etiam ipsis cruribus eas applicare; atque si Galenus post decimum quartum annum

non

non concedit, vt sanguinis plus quam libra extrahatur, multo minus senaper extrahendum erit infra decimum quartum annum, vt nunquam plus extrahatur, vel semilibra, vel vnc. 4. aut 5. Vnum memoria dignum adnotari debet, quod scriptum est & ab Hippoc. in lib. de Medicina, & ab Oribasio, scilicet cucurbitularum formam debere esse oblongam, nec admodum ventricosam, atque posse habere vel os strictum, vel amplum. Cucurbitulae, quae habent os strictum, vt ego obseruaui apud Erronem in libro de Spiritalibus, vocabantur apud Medicos oua medica, eò quia referebant veluti ouorum formam; atque his monet Hippoc. vtendum esse, quotiescunque medicus optat attrahere à partibus profundis. Quae verò habent os latius, vsurpandae sunt, vt monet ipse, quotiescunq; attrahendum à partibus vicinis, atque remotis, secundum latitudinem; & hoc possit esse documentum, vt quotiescunque applicantur cucurbitulae cruribus, debeant habere os latum, & amplum, vt possint à remotiorib; attrahere, quemadmodum vbi applicantur & lumbis, & aatibus, debent esse ore strictiore. Vbi itaque constitutum erit vel cucurbitulas, & hirudines applicandas esse, primo videndum est, an alius sit adstricta, an verò soluta. Si soluta sit, statim deueniendum ad sanguinis euacuationem. Si autem sit adstricta, lib. I. tract. 8. cap. 18. Auenzoar iubet prius soluendam eam esse, hoc est, faeces ab intestinis esse ducendas. Misso sanguine deinceps incumbendum est deobstructioni, quae fit medicamentis & internis, & externis, incidentibus, & detergentibus, citra tamen insignem caliditatem. Intus poterunt humores attenuari, & incidi hoc pacto:

R. Hordei p. s.

Foliorum hyssopi m. s.

Fiat decoctio secundum artem; deinde

R. Decoctionis vnc. 2. s.

Oxymellis simplicis drach. 5.

Misce, & fiat potus. Vbi erunt preparati humores, ex

purgabuntur; & cauendum est in ea aetate à vehemētibus medicamentis omnibus; ea propter non erit pertranscundum hoc:

R. Sebestēni num. 10.

Passularum drach. 2.

Foliorum hyssopi,

Florum boraginis ana. p. 1.

Fiat decoctio secundum artem, deinde

R. Distæ decoctionis vnc. 3.

Mannæ electæ,

Mellis rosati solutiui ana vnc. 1. s.

Misce. Poterunt verò augeri, vel minui medicamenta lenientia, prout corpus aegri persuadebit. Extrinsecus autem conueniunt, quæ possunt deobstruere, sed mita, vt est farina hordei affricata cuti, atque mulla tepida. Pectori autem applicari ea poterunt, quæ possunt humectare, & refrigerare; vt aqua hordei, cui mistum sit modicum olei amygdalarum dulcium; nam huiusmodi oleum & aqua simul mista prouident, ne partes pectoris alioquin exsiccatae accendantur magis. Poterimus etiam, vbi malum inclinare videtur, vt balneo aquarum dulcium; quia si quod est corpus, cui balnea huiusmodi conueniant, planè est corpus pueri; atque modus hic, quem demonstravi, poterit etiam obseruari habita ratione humoris peccantis; & in febre tertiana, & quartana.

De Epilepsia. Cap. III.



SVPEREST, vt dimisso vniuersali interno puerorum morbo, aggrediamur particulares, qui scilicet & contemplatione, & ipsa magnopere praxi iuuabit. & quia dixi morbos internos particulares vel pertinere ad superiorem ventrem, vel medium, vel inferum. ordo postulat, vt ordiamur à morbis ventris superioris; sed quoniam versamur circa actiones
capitis;

capitis, cuius actiones vel sunt animales, vel naturales primum de morbis animalium loquar, cuius tria sunt genera; aliae enim actiones sunt sensuum, aliae motricis facultatis, aliae rationatricis. Vicia facultatis rationatricis in pueris, & praecipue ante septimum aetatis annum, neque medici tractarunt, neque forsitan nouerunt; nam neque de insania puerorum, neque de phrenitide; & praesertim de lactentibus quidquam tractarunt. Ratio clarissima est, quoniam, ut dicebat Aristot. 8. de historia animal. cap. 1. anima pueri nihil differt ab anima belluae; dum enim infantes sumus, brutalem vitam omnes degimus; propterea quod ratio veluti obruta, & ebria multo humore, non potest operari. Quare, nulla quoque fuerit circa ipsam vicia; fiunt autem quo tempore facultas rationatrix emergens ex humore, incipit operari. Itaque dimissis his vitiis tractabo illa, quae pertinent ad motricem facultatem; quae trium generum sunt, prout tribus modis haec actio vitatur; nam vel motus ex toto deperditus est, ut in apoplexia; vel deprauatus, ut in epilepsia, & in spasmo; vel diminutus, ut in corpore; in balbutie, quemadmodum sigillatim docebo. Incipiamus a motu deprauato, qui in pueris frequentissime contingit, atque appellatur & conuulsio, & epilepsia. Epilepsia in pueris multa nomina apud medicos habet; vocata est enim primo morbus puerilis. Aristot. 30. Sect. Problematum. Problem. 1. appellat ecstasim puerilem. Magnus Hippoc. 6. Epid. Comment. primo text. 5. videtur appellasse faigorem. Arabes medici non solum appellarunt morbum puerilem, verum etiam barbaro nomine nuncuparunt matrem puerorum. Ratio propter quam vocatur morbus puerilis, nulla alia est, quam ea, quam proposuit Hippoc. lib. de sacro morbo, & multi alij, scilicet, quia pueri frequentissime hoc morbo capiuntur, & interimuntur. Sed quae est ratio, propter quam haec aetas hoc morbo corripitur? Gal. 6. Epid. Com. 1. tex. 5. & Auiacen. lib. 3. exipite de epilepsia, scribunt pueros maxime tentari huc

agritudine tùm propter frigidam intemperiem cerebri, tùm potissimum propter largam humiditatem. Vocatus est hic morbus etiam in pueris à nonnullis morbus sacer, quemadmodum Hippocrates testatur libro de aere, aquis, & locis, cap. 2. Inuenio etiã vocatum esse lunaticum; nã, si licet sacra profanis miscere, habetur apud Mathæum Euangelistam cap. 26. parentem quendam præsentasse Christo puerum lunaticum, qui, vt suo loco demonstrabo suis signis, erat epilepticus. Cur autem epileptici vocati sint lunatici, ratio habetur apud Serenum medicum in lib. de Medicina; vbi scribit, quòd qui oriuntur, seu concipiuntur in interluniis, quando luna in coitu est cum Sole sine lumine, fiunt epileptici. Est verò hic morbus nihil aliud, quàm contractio, & retractio omnium musculorum, & neruorum interpolata præter naturam, & præter voluntatem. Dico contractionem, & retractionem, quoniam, vt scriptum est à Galeno 3. de Locis affectis, capite sexto, quemadmodum in motu voluntario musculus contrahuntur, & retrahuntur versus propriam originem; ita quoque in conuulsionibus ipsis accidit. Dixi musculorum; quandoquidem si rem ipsam omni auctoritate postposita expendamus, nerui non mouent partes, sed sunt musculi; nerui autem sunt veluti canales, per quos facultas mouet ipsos musculos; siue enim per spiritus, siue instar luminis hoc fiat, non est locus disputandi. Non esse autem neruos, qui moueant, hac vna demonstratione conuinci potest, quòd si capiantur nerui statim atque mortua sunt animalia, nerui inquam musculis implantati, facillimè discinduntur, vt non sit rationi consentaneum in motibus vehementibus animalium posse eos tanta vi conuelli, & cõmoueri. Sunt itaque musculi, qui verè contrahuntur & retrahuntur. Dixi omnium, propterea quòd in hoc morbo omnes musculi mouentur, & conuellantur, eo quia, vt dicit Galenus quinto de Locis affectis, capite septimo, principium neruorum toum se ipsum quatit, vt sit necessarium.

farium sese quatiente cerebro, hoc est, principio neruorum, omnes musculos moueri, & conuelli. Dixi præter naturam, & voluntatem, quia à natura comparatum est, ut muscoli obediant voluntati; qui ubi præter voluntatis imperium mouentur, non solum hoc fit præter voluntatem, sed etiam contra naturam. Addidi interpolata, quemadmodum addit Galenus, & Auicennas, quandoquidem hoc conuulsionis genus interpolatum est; cæteræ conuulsiones continuæ sunt, & magis permanent. Patet igitur morbum hunc puerilem esse symptoma in genere morus deprauati, & quia actio deprauata animalis est iuxta regulam Gal. I. de Locis affectis in fine, læditur huiusmodi actio, vel læsa parte, vel læso principio; cum autem actiones naturales semper lædantur, læsa prius parte, in hoc morbo non læduntur partes motæ; itaque læditur principium. est autem illud ipsum cerebrum, quod cum lædatur, lædi potest vel per essentiam, vel per consensum; vtro modo lædatur, læditur à morbo instrumentali, hoc est, ab obstructione, ut dicunt omnes; addo ego, & à solutione continui, quia molestia illa quæ impedit facultatem ad motum, nihil aliud est, nisi vel morsus quidam, vel diuisio partis, quemadmodum etiam est in singultu, cui comparat epilepsiam Galenus. Sed cum constet apud omnes ad hunc motum efficiendum concurrere facultatem expultricem, quæ irritata à morbo noxam depellere quærit; hoc tamen incertum est inter veteres, nunquid etiam præter expulsiuam ad hunc motum edendum concurrat facultas motrix. Ex vnâ parte sunt Galeni auctoritates, in quibus videtur demonstrare ad hunc motum edendum nihil conferre motricem. Primum enim Gal. 3. Aphor. 39. demonstrâs differentiam inter apoplexiam, & epilepsiam; inquit in apoplexia penitus desinere motum ipsum, in epilepsia motum esse, sed præter voluntatem. Immo verò ponens differentiam inter motum voluntarium, & conuulsionem, inquit, motum voluntarium fieri quidem

eo pacto, quo fit motus conuulsionis, sed voluntarium fieri à facultate ciente: conuulsionem autem fieri sine facultate ciente. Hanc eandem sententiam videtur habere 3. de Locis affectis cap. 6. sed clarius 2. de Symptomatum causis, cap. 1. dum scribit conuulsionem esse solius morbi opus; quam eandem sententiam videtur sequitur Auisic. in cap. de Epilepsia, & Auer. 3. Collect. cap. 41. quasi velint omnes hi, huiusmodi motus conuulsionis à nulla alia vi effici, præter quàm ab expultrice naturali. Ex altera parte sunt testimonia, & rationes; ea in primis ratio est, quòd, vt præclarissimè docuit Galenus in lib. de motu musculorum, musculi non mouentur nisi à facultate volūtaria; hæc enim instrumenta, vt fuse docet ipse, ad id sunt à natura parata, vt secundum voluntatis imperium corpora nostra moueant. Iam verò in epilepsia mouentur musculi omnes, & eo pacto, vt dixi, quo mouentur à voluntate; igitur si mouentur eo pacto, quo scilicet naturaliter corpora mouentur, rationi consentaneum videtur, à nulla alia facultate fieri, quàm à motrice. Præter hanc est Galeni auctoritas, qui secundo Aphorismo quadragesimo quinto, ponens differentiam inter apoplexiam, & epilepsiam, inquit eundem locum esse affectum in utrisque, & eandem materiam; differre autem, quoniam in apoplexia perfecta est actionum facultas deperdita; in epilepsia motus deprauatus, scilicet facultatis; id enim necessariò vult phrasis Galeni, & ita ab Interprete translatum est; quasi velit dicere, differre apoplexiam ab epilepsia, quia in hac facultas nihil operatur, in illa deprauatè mouet. Quid igitur dicendum est? Dicam breuiter quid statuendum censeam. Duplex est conuulsio; alia cum motu euidenti & manifesto; alia sine motu manifesto. Cum motu manifesto & euidenti est epilepsia, quando scilicet principium motus est affectum; Sine motu euidenti est, quando pars aliqua contrahitur insensibiliter ob tumorem aliquem, aut inflammationem in musculis obortam. Hanc postremam

nam conuulsionem, seu contractionem, fateor quidem fieri absque vlla facultate motrice, quia cum propter partis morbum secundum latitudinem augeantur muscoli, & simul nervi insensibiliter contrahuntur, quia insensibiliter diminuitur longitudo; & de hoc genere conuulsionis loquebatur Galenus secundo de Symptomat. causis, cum diceret, conuulsionem esse solius morbi. Quæ verò cum móru manifesto sit, epilepsia est, in qua tria tempora consideranda sunt. Vnum, quando ægri in terram cadunt: aliud, quando iam in terram prostrati huc atque illuc membra iactant, & spumam ex ore emittunt. Tertiam, quando iam sedatis omnibus motibus, remanent quieti, & veluti immoti. Primo tempore, & postremo feiatur prorsus facultas motrix; nã si operaretur in principio, in terram non caderent; quia ad hanc pertinet non modò mouere corpora, verum etiam erecta sustinere. Dum verò membra iactantur, sum huius opinionis, omnino cum virtute expultrice etiam operari facultatem motricem; atque ita intelligendum esse Galenum, quando inquit, epilepsiam fieri propter deprauatum motum facultatis mouentis. Sed cum dicantur motus præter voluntatem, cur est quòd ægri non sentiunt hunc motum? Dicitur præter voluntatem, quia licet fiat à facultate mouente voluntaria, fit ab ea coacta, non naturaliter operante. dõ exemplum. Nonne sæpe aliquem contingit risu detineri etiam præter voluntatem, iste motus fit à voluntate, sed coacta ab obiecto risibili, vt fiat præter voluntatem. Pari pacto non est mirum huiusmodi motum nõ animaduerti, quia in somno plerique mouentur motu voluntario sine vlla animaduersione, & sine vlllo sensu. dicebat enim Galenus libro de Motu musculorum, se interdum dormientem, & nihil animaduertentem ambulasse per duo stadia, vsque quo tandem excitatus à somno se ipsum animaduertisset. Quare, vt hanc rem breuiter definiam, morbus puerilis fit non solum à facultate expultrice, verum etiam à

motrice; quæ irritata à re la dente, simul cum facultate expultrice mouet principium ne uorum, & cōsequenter totum corpus. Causa uero huius mali alia est interna, alia externa. Inter internas, aliæ sunt mediatae, alia immediata. De causis mediatis constat apud omnes eam epilepsiam, quæ fit per consensum, fieri uel propter vapores à parte aliqua inferna in caput elatos; uel, ut dicebat Pelops præceptor Galeni, propter malam aliquam qualitatem ab infernis partibus usque ad cerebrum propagatam. Sed de causa immediata epilepsiae, quæ fit per essentiam in cerebro, quandam inter veteres inuenio dissensionem. Auctor enim libri de flatibus sub nomine Hippocrat. eius fuit sententia, causam materialem epilepsiae esse unum flatum. Maximus etiam Aristoteles in libro de Somno, & uigilia hanc penè sententiam sequutus, putauit eo pacto fieri epilepsiam, quo fit somnus; & sicuti fit somnus à vaporibus sursum ad caput elatis, pari pacto fieri epilepsiam: propterea dicebat pueros maximè tentari hac ægritudine, quia cum habeant partes supernas respectu aliarum ualidissimas, ad eas necessariò natura continuo insignem copiam vaporum halibilium transmittit, ut propter hoc etiam pueri sint ualde somnolenti, & consequenter epilepsiae obnoxij. Auerroes tertio libro Collectaneorum capite quadragesimo placita præceptoris sui sequutus, nõ contentus fuit docere fieri hunc morbum à solo flatu, sed ex proposito contra Galenum disputans, probat non posse fieri uilla alia ratione, neq; ab alia causa, nisi ab ipso uapore; hac potissimum ratione usus, quòd cum cito fiat hic morbus, & cito soluitur, necessarium est fieri à materia, quæ cito abeat, cito dissoluatur, & redeat, cuiusmodi est uapor; nam non posse humore cito dissolui probat Auerroes, quia dissolutio fit per quandam coctionem: coctio autem fit tempore, non autem subito. Galenus ex Aduerso tertio de Locis affectis capite septimo & 2. Aphor. 45. & aliis in locis, quem etiam sequuti uidentur ferè omnes scriptores

ptores Græci, dicit, non posse fieri epilepsiam ab vlla alia causa, q̄ ab humore frigido, & crasso; & quemadmodum Auerrões probat fieri non posse nisi à vapore, quia cito fit, & cito dissoluitur, sic ille inquit necessarîo fieri ab humore frigido, & crasso, quia cito fit, & cito soluitur. Et ne videatur rationem attulisse incongruâ, fundata est in hoc, quod oriatur hic morbus ob repletionem ventriculorum cerebri; qui vt omnia loca caua citius replentur à corporibus grauib; quàm à leuib; eo quia sicuti humores suo pondere illico præcipitantur in loca caua, ita quoque ex locis spatiosis ab impulsore citò educuntur. Fauere videtur auctoritati Galeni in primis auctor ille de sacro morbo, qui cum scribat oues tentari hoc genere ægritudinis, ac multas perire, inquit, ex dissectione apparere ventriculos cerebri repletos muco, & pituita; vt ex hac vna demonstratione videatur necessarium fieri hunc morbum ab humore. Fauet etiam eidem Auicennas, qui in capite de epilepsia ferè eadem verba eius transferens, inquit fieri hunc morbum ab humoribus frigidis, & crassis, interdum quiescentibus, & obstruentibus, interdum verò motis. & addit, non solum humores frigidos, & crassos, verum etiam & sanguinem, & bilem, & omnem humorem obstruentem, facere epilepsiam. In hoc dissidio breuiter dicendum, epilepsiam, quæ fit per essentiam in cerebro, fieri obstructis non integrè vel aliquibus, vel omnibus cerebri ventriculis; obstrui autem hos ventriculos plerunque ab humore frigido, & crasso, cui permistus est flatus, qui & generari potest in toto cerebro, & quemadmodum dicit Auicen. ex ebullitione, & motu humorum in ventriculis; qui flatus, & humores cum, quemadmodum dixi, non integrè obstruantur, mouentur in spatii illis huc, atque illuc; in quo motu cum percitantur parietes ventriculorum, fit veluti quædam diuulsio, & quidam motus; quos percipiens facultas expultrix, & motrix, excitantur, & excitatæ quatiunt totum cerebrum, præfertim autem

principium neruorum, vnde sequitur motus. Et hoc licet tēporibus posteriorib. & Auic. & alij cognouerint; cognouit tamen Plato in Timæo, ybi scribit, pituitam albam flauam plenam, si per superficiem diffundatur, vitiginem parere. Si humor melancholico permista ingrediatur cauernas cerebri, facere morbum facrum, hoc est, epilepsiam. Inter causas morbi puerilis internas immediatas primum locum habet corporis puerorum habitus; de quo loquens Aristoteles septimo de Histor. animal. 12. dicebat pueros *ὀυπόδοος*, id est, bene nutritos, & obesos maxime conuulsionibus tentari. Secundum locum habet temperatura corporis frigida, & humida. dicebat enim Galenus 6. Epid. Comment. 1. tex. 3. intemperiem cerebri maxime omnium hunc morbum generare, & ratio est, quia ab hac pituitosus, & viscidus humor generatur, à quo fit hoc malum. Tertio loco sunt partes corporis affecti; seriprum enim est ab eodem Galen. 3. de Locis affectis 3. fieri hunc morbum interdum per consensum ab aliqua parte interna affecta. Sed, vt ait ipse, huiusmodi epilepsia rarissime fit. Quare notandum est, si vera est hec Galeni sententia, plerunque decipi medicos, qui epilepticos serè omnes existimant ægrotare propter alicuius partis consensum. Vt loco est paterna, & hereditaria dispositio, Hipp. enim 2. Proreth. multos esse dicit morbos, qui paterna hereditate ingenerantur, inter quos epilepsiam enumeat. Sed dicer quis, quare est ratio, propter quam epilepsia quasi per hereditatem acquiritur? Explicat rationem Hipp. in lib. de sacro morbo, ybi scribit, Phthisicos fieri à phthisicis, spleniticos à spleniticis, epilepticos, ab epilepticis; propterea quod semen ab vniuerso corpore secedit, sanū a partib. sanis, & morbidū à morbidis; & in toto. Vt intelligatur, sciendū totā vim dispositionis hereditariæ nō modo in hoc positā esse, verū etiā in eo, quod magna pars feminis à cerebro deriuat, nō solum vt dixit Hipp. verū etiam, vt apparet ipsa experientia: quia quæ immodica venere vtūtur dicebat

Aristot.

Arist. 4. sectione problematum, & citò caluescunt, & oculis laborant. Hoc, nisi fallor, cognouit etiam verum esse Timæus Locrensis, qui in lib. de anima mundi scribit, medullam spinalem suppositam fuisse cerebro, vt per ipsam tanquam per primum aluëum deriuaret materia sufficiens & ad semen, & ad generationē, quod cum ita sit, facile est videre, cur ij maxime capite laborent, qui à parentibus capite laborantibus oriuntur. Signa morbi puerilis alia Diagnostica, alia Prognostica sunt. Diagnosticorum alia demonstrant morbum futurum, alia præsentem. Inter ea, quæ demonstrant futuram accessionem, primum locum habet, ortum esse à parentibus epilepticis. Notandum verò quod scribit Plutarchus de fera numinis vindicta, scilicet eos, qui oriuntur ex parentibus epilepticis, statim debere curari; quasi certum sit indicium filios etiam futuros epilepticos; præterea in adultioribus futuræ accessionis præludia sunt, dolor colli, spondilium, cordis; paures in somno, motus inordinati in somno, exspuitions frequentes; his omnibus signis potest iure colligi futuram esse accessionem. Signa, quæ demonstrant præsentem paroxysmum, illa ipsa sunt, quæ infelix, ille patet apud Matthæum cap. 17. proposuit Christo pro puero suo epileptico, neq; medici alia signa proponunt. Nam, inquit ille bonus pater, Filius meus stridet, clamat, cadit in ignem, spumam emittit ex ore, sine sensu est. hæc sunt propriissima signa huius mali, & vt obiter dicam, dubitauit studiosissimus auditor meus hac in re, nunquid scilicet ille puer fuerit epilepticus, an dæmoniacus; quia habetur ipsum fuisse à Christo curatum, cuncto dæmonio. Breuiter dico, duplici modo posse responderi. primò quemadmodum respondet Caietanus, scilicet puerum illum fuisse epilepticum lunaticum, atq; etiam dæmoniacum; vel vt Origenes; fuisse epilepticum, sed morbum factum in ipso à malo dæmonio. Ad rem redeo, vt dixi, fit spuma in epilepsia, quoniam, vt scribit Galenus 2. Aphor. 43. spiritus, & halitus, qui

elcuanur ex pulmonibus, permiscetur faliva, & pituita defluenti à capite; qui halitus, & pituita simul permisti, deinde motu agitati, & contracti, euadunt in spumam, haud aliter atque contingit aquam maris spumescere, quando à multis ventis agitata frangitur. Stridor qui fit in epilepticis, non est dubitandum quin sit species quædam vocis. Vox autem à nulla alia fit facultate, quam à motrice, & voluntaria. igitur adijciatur hoc argumentum alijs, quod cum epileptici aliqui in ipso paroxysmo strideant, signum esse hunc motum deprauatum fieri etiam à facultate ipsa motrice læsa. Morbus hic puerilis acutissimus est, quemadmodum ex Auicennæ sententia docet; & cum sit acutissimus, etiam exitialis est. Causa verò propter quam hæc ægritudo in pueris exitialis est, explicatur ab Hippoc. lib. de Sacro morbo, vbi scribit, pueros facile perire propter epilepsiam, eò quia venas angustas, seu, vt dicit Auicennas strictas habent; propter quam angustiam, cum pituita alioquin crassa ab ipsis non recipiatur, permanens in cerebro, huic vitio originem præbet. Sed multo melior, & verior huius rei ratio est, quod cum pueri valde abundant humiditate secundum cerebrum, simulque facultatem motricem, & nervos ipsos imbecillos habeant, non potest humor semel in ventriculo motus, atque copiosius à facultate expultrice, & motrice aut dissolui, aut longè propelli. Ceterum, dicit Hippoc. eodem in loco, eos pueros, qui semel ab epilepsia sunt curati, non amplius eo morbo tentari, si aliquam partem eo morbo deprauatam habeant. Cuius rei ea est ratio, quia vbi ab epilepsia deprauatur aliqua pars, ex eo fit, quia materia morbifica à natura, & à facultate in eam partem semel detrusa est, vbi semel facultas viam inuenit, qua res noxias deponat, & à sese expellat, in posterum eandem viam seruat, ita vt non sinat amplius humores offendentes vel colligi, vel collectos in cerebri ventriculos præcipitari. Occurrit hoc in loco dubitatio; à nemine etiam proposita, quia Hippocrates 2. lib. Pro-
 recth.

reth. enumerans quatuor morbos, qui videntur fieri hæreditate paterna, inquit eos, si sint congeni, hoc est, si à principio sint congeniti, esse difficiliter mobiles, & iure; quia quæcumque fiunt cum ipso animali, omnia ferè sempiterna esse solent. inter hos autem morbos enumerat ipsam epilepsiam; quasi hæc hæreditaria sit difficilis curatu. Ex altera parte idem Hippocrates 6. Epid. com. l. tex. 5. inquit, fulgores in pueris ætatis mutatione tolli; quod oraculum cum Galenus interpretaretur, multa pulcherrima docuit, inter quæ alia illud vnum respondendum esse, epilepsiam duplicem generationem habere; alteram ab ortu; alteram verò propter vitæ errata. Eam, quæ fit propter vitæ errata, inquit, opus habere medicis auxilijs. Eam verò, quæ fit ab ortu, sponte ætatis mutatione curari, & non facessere negotium medicis. Ex quibus duobus locis videtur apprens quædam contradictio, quod in vno dicatur epilepsiam congenitam difficilem esse curatu; in alio verò sponte curari, & medicis non facessere negotium. Cuius solutio posita tota est in intellectu verborum Galeni, quæ male sunt expressa ab Interprete, vt videre fit quanti referat auctores nostros legere propria lingua loquentes. hoc verum est, morbos omnes congenitos, ne dum epilepticos, esse difficiles curatu. Neque huic sententiæ contradicit Galenus, si eum rectè intelligamus; nam mens ipsius est, epilepsiam, quæ fit propter errores in victu, spontè nunquam curari, sed beneficio medicinæ, & iurè; quia sicuti error fuit, qui fecit morbum, pariter necessarium est, vt diligentia, & studium medici curet eum. Cæterum ea, quæ fit ab ortu, inquit Galenus, etiam sponte curatur sine medici auxilio. Ex quibus verbis non negat difficultatem curationis, sed solummodo hoc asserit, quod sicuti alia opus habet medici auxilio semper, ita hæc curari potest sine auxilio medici, sed sola mutatione ætatis. Verum dicet quis, quæ est ratio, propter quam mutatione ætatis potissimum curatur hic morbus; & cur post muta-

tionem ætatis. scilicet vigesimum quintum annum contingat, vt difficillimus, & impossibilis sit curatu; Respondeo, curari morbum puerilem cum mutatione ætatis duplici de causa. Vna est, quia larga illa humiditas, quæ causa est huius morbi congeniti, ætatis mutatione mirum in modum diminuitur. Alia est, quia facultas motrix, & omnis facultas animalis mutatione ætatis robustior multò euadit, quo fit, vt diminuta materia, & crescente robore facillè morbus superetur. Ad secundum autem breuiter dicam, difficilem esse curationem, & impossibilem epilepsiæ post mutationem ætatis, propterea quòd cum eo tempore facultates animales sint robustæ, cum etiam sit diminuta humiditas congenita, signum est, si morbus hic sit, fieri eum à potentissima causa; quæ sicut apta fuit præter naturam quodammodo morbum inducere, ita quoque potens est morbum ipsum fouere, & conseruare, quòd quidem propterea est, quia humores illi, qui faciunt epilepsiam hanc, sunt melancholici, & sicci, vt non solum per se sint difficiles sublatu, sed etiam quia in dies magis, ac magis propter ipsam ætatem augentur. Cæterum pueri, qui hoc morbo exercentur, vel lactentes sunt, vel adultiores; quamobrem alia est curationis ratio, quæ debetur lactentibus; alia, quæ adultioribus. Et quia lactentes, vt aliàs dixi, gubernantur medicatione nutrimenti, ea propter vna propè est ratio victus in hoc morbo curando, quæ debetur & lactentibus, & adultioribus: ac posita est in moderandis, & superandis causis externis; Inter quas primò occurrit aer, qui debet eligi, & parari calidus, atque siccus. nam Hippocrates in lib. de aere, aquis, & locis cap. 2. scribit eos, qui habitant plagas frigidas, pueros habere, qui frequenter epilepsia tentantur. Somnus etiam moderandus est, quoniam si, vt scribit Aristoteles lib. de somno & vigilia, epilepsia est veluti quidam somnus, proculdubio vigiliæ moderatæ magnam vtilitatem præbebunt. Exercitationes quoque importunæ sunt ablegandæ, sed præcipuè timores,

timores, & periclitamenta omnia; quò fit, vt etiam hac in parte fit laudandus Plato, qui monet in 2. de Republica, ne matres figmentis, & fabellis filios terreat; & his diebus scriptum est ad me è Germania de puella quadam, quæ tantum ex terroribus facta est epileptica. Damnat balnea in epilepticis Galenus lib. de Sectione venæ cap. 9. sic quoque damnanda est omnis repletio, nimia inanitio; & Galenus loco citato, inter alia, quæ consentit Erasistrato non conuenire epilepticis, est incidia, quam ait mirificè caput replere. De potu video non nihil difficultatis, quia ex vna parte Aetius ex sententia Possidonij laudat proposuisse epilepticis potum, & cibum calidum. Inter calidos potus, non est dubitandum numerari vinum, vt hac ratione videatur ex præcepto Aetij illud conuenire. Ex altera verò parte & omnes medici, & Arist. non solum pueris, verum etiam ipsis nutricibus vinum etiam, atque etiam interdixere. Nec volo latere, quod facit ad propositum, id, quod scribit Plutarchus in problem. Sapientes Romanos cauisse, ne in sacrificijs nutricum adhiberetur vinum, sed lac, ne scilicet ex vino ipsarum accederet pueris detrimentum. Hoc itaque statuo, pueris, & nutricibus omnino interdendum esse vinum, & præsertim cum laborant epilepsia; quia tamen caléfaciât, verumtamén haber aliud malum, quod scilicet neruos vehementer percillit: pueri verò neruos omnes valde infirmos habent. Pro potu itaque conueniet & nutrici, & pueris mulia, vel decoctio facta eiusmodi:

R. Aquæ communis lib. 2.

Foliorum betonicae p. s.

Coriandri præparati drac. 2.

Fiat decoctio secundum artem: deinde facta expressione adde ad idem mellis optimè despumati, vel sachari vnc. 2. s. & seruetur pro potu. Quare cum Aetius laudat potum calidum, intelligere debemus non de vino, sed de huiusmodi potu, qui vim habeat calefaciendi, nec detrimentum inferat capiti. Cibi debent esse calidi,

& attenuantes; & ita hi iuuant, vt dixerit Galenus se quandoque solo attenuante victu pueros epilepticos perfecte curasse. Sylua habetur huiusmodi ciborum in consilio pro puero epileptico, modo tamen prudenter eo vtamur: dico prudenter, quia illud consilium multis, & mihi etiam fuit suspectum, & forsitan non fuit Galeni; quia sunt ibi multa, quæ si examinentur, non admodum conueniunt. Quare vitare debebunt epileptici, & nutrices legumina omnia, carnes animalium maiorum, & syluestrium, pisces omnes lacustres & graues, & summatim debent omnia vitari, quæ succos crassos gignunt, quæ flatuosa sunt, & caput proprietate quadam offendunt, atque hæc communis est victus ratio, seu moderatio causarum externarum. Iam verò in perficienda hac ratione illud spectandum, si puer sit lactes, vtum fiat ex consensu alicuius partis: an verò per essentiam in capite; quia si fiat per consensum alicuius partis in lactentibus, vix fieri potest vlla alia ratione, quàm propter ventriculum. Offenditur autem is in huiusmodi ætate, vel qualitate, vel copia lactis. Si copia lactis offendatur, studendum est, vt nutrix raro mammas præbeat. Si qualitate, quia scilicet lac sit acre, totum studium conuertendum ad emendandum nutricis lac; interim tamen non negligendus ventriculus puelli, quod fieri potest aliquo cerato, vel linimento, & ceratum, quò ego soleo vt, istud est:

R. Pulueris aloes,
 Mirrhæ ana scrup. s.
 Pulueris masticis scrup. i.
 Cerae cum modica resina.

Misce, fiat ceratum, & apponatur ori ventriculi. Si verò sit per essentiam, quod frequentissimè contingit, dicit Aetius difficilem esse curationem; ea propter agendum est, quod potest fieri in hac ætate, & intrinsecis, & extrinsecis. Intrinsecus laudat Aetius usum mellis: soleo ego vti pulueribus, cuiusmodi est iste:

R. Seminis pæoniæ scrup. s.

Folio-

Foliorum stechados,

Betonice ana p. s.

Ciperi scrup. i.

Terantur omnia subtilissimè. modus verò præbendæ medicamenta in hac ætate erit, vt accipiatur cochlear paruum, & accepto puluere immittatur in os, deinde statim porrigatur mamma; puer enim dum ea porrigitur, facile deglutit medicamenta. Extrinsecus alia conueniunt capiti, alia toti corpori: capiti quidem puluisculi, qui superspergantur ceruici, cuiusmodi est iste:

R. Adianti,

Cypero,

Iridi ana drach. ʒ.

Gariophil. scrup. i.

Terantur omnia subtilissimè, & misceantur. In vsu est in plerisque Italiæ regionibus pueros non solum epilepticos, verum etiam quosuis, statim incendere, vt vocant, nam ferro ignito, aut ticione, quemadmodum sæpè feci, posteriora capitis in duobus vel pluribus locis vruntur: hæc enim vsitio mirificè valet ad desiccandam puerorum humiditatem. & volo hic aliud docere. Refert Herodotus libro 4. Lybiæ populos quosdam, consueuisse omnibus pueris quadrimis ceruicem inurere, atque hoc remedio eos liberare ab omni morbo pituitoso, vt semper in posterum sanissimi viuât; quod si inter vrendum forte fortuna capti fuerint spasmo, vel conuulsione, dicit consueuisse eos curare aspersione vrinæ hirci. Totum corpus inungi potest vel oleo sesamino, chamomelino, vel irino. Laudatur etiam linteolum aspersum decocto vngulæ caballinæ, & visci quercini. Vel:

R. Foliorum vngulæ Caballinæ m. i.

Visci quercini vnc. s.

Fiat decoctio secundum artem, in qua madefiat linteolum, & circumponatur toti corpori loco aliorum linteolorum. laudatur pæonia appensa collo, ita vt contingat

tingat ventriculum. Albertus Magnus in libro de medicinalibus laudauit simacagdu appensum. Sed si puer sit grandiuisculus, atque epilepsia fiat propter contensum ab alia parte: primo expurgandum corpus prout patitur ætas, deinde parti illi, siue sit brachium, siue crus, siue quodcunque aliud, adhibenda sunt medicamenta ea, quæ possint & intemperiem partis alterare, & materiam, quæ eleuatur, dissipare. Fit autem hoc primo frictionibus, mox si ea non proderint, deueniendum ad ceratum, quod possit discutere, vt est sacrum ceratum. demû ad sinapismos deueniendum, ad vsum cantharidum; & si hæc non prosint, deueniendum ad ignem. nam memini me iuuenem curasse igne, à cuius coxa eleuabatur vapor, qui faciebat epilepsiam. Si sit per essentiam, purgandus est puer, & primo immittendus est clyster huiusmodi:

R. Foliorum centaureæ minoris m. s.

Foliorum maluæ m. i.

Furfurum in petia ligatarum p. s.

Fiat decoctio secundum artem: deinde

R. Dictæ decoctionis vnc. 8.

Mellis communis vnc. i. s.

Olei chamomelini vnc. 2. s.

Salis drach. s.

Misce, & fiat clyster. Post erunt præparandi humores hoc pacto:

R. Foliorum stæchados,

Betouicæ ana m. s.

Seminis peoniæ drach. i.

Fiat decoctio secundum artem, deinde

R. Dictæ decoctionis vnc. 3. plus, minusve, prout fert ætas, Oximellis simpl.

Syrupi de stæchade an. vnc. 5.

Misce. vbi erunt præparati humores, purgabuntur; & quamquam in hac ægritudine conueniant vehementa medicamenta, attamen ratione ætatis abstinendum à grauioribus, aut vtendum in exigua quantitate; aut si placbit

placebit vti pillulis, non transcendendi scrup. 2. pillularum de hiera Pachij, vel pillularum cochiarum. Si autem in potu accipiendum sit medicamentum, hoc modo præscribendum:

R. Agarici præparati scrup. 2.

Infundatur secundum artem in vnc. 2. Aquæ betonicæ, & facta expressione, adde,

Mellis rosati solutiui vnc. 2.

Electuarij de psilio drac. 1. s.

Misce, & fiat potus. Expurgato corpore, quia morbus contumacissimus esse solet, non est fidendum, etiam si per duos, vel tres menses in ducias trahat; quoniam hic morbus consuevit diu latere; & tandem denuò reuertitur, ea propter incumbendum grauitè ipsi curationi. Inter medicamenta, quæ solent euincere huiusmodi morbum, est vsus decocti guaiaci ritè facti, & vt habeatur ratio ætatis, sic faciendum:

R. Ligni guaiaci vnc. 2.

Aquæ betonicæ lib. 2.

Infundantur secundum artem, deinde bulliant ad consumptionem tertiæ partis; & in fine adde ad bulliendum in panno lineo subtili:

Seminis pœoniæ drach. 2. Visci quercini drac. 1. s.

Coriandri drach. 1.

Deinde seruetur collatum pro syrupo.

R. Deinde idem lignum,

Aquæ communis lib. 4.

Bulliant ad consumptionem quartæ partis, & in fine adde ad bulliendum seminis anisorum vnc. s. coletur, & seruetur pro potu quotidiano. dabitur syrups quantitas vnc. 3. vel 4. quolibet mane. Victus erit tenuis, & attenuans. Perseuerandum autem in hac medicatione per quadraginta, aut quinquaginta, vel plures dies. Interim extrinseca medicamenta adhibenda, quæ possint caput calefacere, & exsiccare. Sinapismis vtendum erit in capite, sed etiam conueniunt cauteria in brachijs, & in cruribus; præsertim verò conferte nuchæ facta. Sunt

etiam aliqui pulueres, quibus ego vti solco, vt:

R. Seminis peoniæ,
Visci quercini ana drach. 2.
Cardamomi drach. 1.
Cantharidum præparatarum scrup. 2.

Puluerizentur omnia & cum melle conficiatur bolus, cuius poterit sumi singula vice vel drac. 1. vel drac. s. sumetur autem tribus horis ante cibum. Habetur apud Mesuem confectionis genus, quod ab ipso, & aliis mirifice laudatur. Sunt etiam infinita alia, ita vt pauci sint morbi, qui plura habeant medicamenta à medicis laudata.

De Conuulsione. Cap. IIII.

SIMILEM alium epilepsie morbum incurrunr facillimè pueri, quemadmodum dicit Hippocrates 3. prognost. 34. atque Aristoteles 3. de historia animal. 12. qui à Græcis nuncupatur *σπασμὸς*, nostri vocant conuulsionē, quam dicebat Galenus 3. Aphor. 28. & 3. prog. loco citato. & Auicennas 2. tertij cap. 8. propter imbecillitatem partium neruosarum fieri; propter quod fit, vt muscoli præsertim, & nerui facillè exponantur iniuriis morbificis. Similem autem dixi epilepsie, quoniam in vtraque hac egritudine muscoli contrahuntur versus propriam originem, sed quanquam hi morbi similes sint, nihilominus in multis differunt, quia epilepsia citò soluitur, spasmus vero non ita citò. ad hæc in epilepsia amittitur sensus, in hoc autem cum cerebrum non sit ita affectum, minimè sensus amittitur, postremo epilepsia est conuulsio totius corporis, spasmus est conuulsio vel partis, vel partium corporis, vt Auicennas dixerit, spasmum esse epilepsiam partis, epilepsiam verò esse spasmum totius. Sed video dubitari, nunquid in hoc spasmò contrahantur duntaxat muscoli, an verò etiam nerui afficiantur. Ex vna parte Galenus tertio de Symptom.

ptom. cauffis. capit. 2. videtur sentire, conuulfionem duntaxat esse mufculorum, & propterea ventriculuni non conuelli, quia caret mufculo. Ex altera parte idem Galenus lib. 2. cap. 2. de conuulfio. & palpit. 8. manififfimè fcribit in conuulfione affici & neruos, & mufculos. Dicendum est in conuulfione duo fpectari poffe, & motum ipfum, & cauffam motus. Si fpectemus tantummodo motum, cum mufculi foli, vt alias dixi, moueantur fecundum imperium voluntatis, eos solos potest dici affici in conuulfione: Sed fi fpectemus cauffam mali, quandoquidem nerui in conuulfione vel replentur, vel exficantur, & malum confequenter mufculis communicatur, hac ratione dici potest & mufculos & neruos in conuulfione affici. Cum itaque hæc conuulfio fit contractio mufculorum præter naturam vel vnus, vel plurium corporis partium, videndum est quot genera, vel differentie huius mali fiant. nam partes noftri corporis vniuerfaliter diuiduntur in anteriores, & posteriores; quo circa conuellantur vel anteriores, vel posteriores, vel ytræque. Si conuellantur partes anteriores, vt contractio fiat colli versus pectus, appellatur hic fpasmus *in anteriores*, feu contractio ad anteriora. Si conuellantur partes posteriores dicitur *in posteriores*, feu contractio, ad posteriora. Sed fi ytræque partes contrahantur, fit fpecies conuulfionis, quæ *trismus* appellatur. Cornelius Celfus, Marcellus medicus, & Plinius appellarunt rigorem, eo quod in ipfo rigida euadant & permanant corpora. nam fi effectum consideremus hæc fpecies conuulfionis non potest appellari contractio, fed fi cauffam consideremus, cum ytrinque mufculi, & nerui æqualiter contrahantur, fit veluti contractio alternata, & continua: vt veluti in medio quodam fitu corpora permaneant tenfa, & rigida. Est hic affectus fymptoma in genere motus deprauati: Sequitur autem hoc fymptoma morbum instrumentalem multiplicem, folutionem continui, augmentam magnitudinem, fitum mutatum, figuram com-

mutatam. De causis conuulsionis scriptum est ab Hippocrate 6. Aphor. sect. aphor. 39. fieri eam vel à repletione, vel ab inanitione. Et vt causæ breuiter, & ordinatè habeantur, sciendum est conuulsionem fieri vel essentialiter, vel per consensum. Per consensum, quocumque commotum ventriculi os, vel alia pars comunicant læsionem vel principio neruorum, vel nuchæ; atque fit conuulsio, quam appellant plerique medici spasmus, non proportionatum ad materiam. Per essentialiam fit vel à causis internis, vel externis. Internæ causæ duæ numeratæ ab Hippocrate scilicet repletio, & exsiccatio; nam quemadmodum dicebat Galenus 3. de locis affectis cap. 6. sicuti chordæ contrahuntur, & rumpuntur vel quando nimium humore replentur, vel quando nimium exsiccantur, haud secus nerui ipsi contrahuntur, vel quando largo humore nimis replentur, vel quando nimis exsiccantur; vt repletionis causa nulla alia sit, nisi humor imbibitus in ipsis neruis, qui cum faciat eos secundum latitudinem augeri, necessario facit vt secundum longitudinem imminuantur. Exsiccationis causa interna vna penè sola præternaturalis ab Hippocrate 3. Prognostic. & ab Auicenna loco citato proponitur, scilicet febris praua, & magna. A febre hæctica, in qua corpora mirificè exsiccantur, non fit hoc genus mali, propterea quod in ipsa exsiccatio fit pederentim, & æqualiter per vniuersum corpus, vt non impetu magno nerui in ipsis exsiccentur. In febre autem praua, & magna cum non fiat exsiccatio vniuersalis, cumque fiat subito, atque magis depopuletur neruos, quam carnes, propterea fit, vt in hac febre fiant conuulsiones, in alia nequaquam. Inter externas huius mali causas, primum ponunt medici acrem humidum; propter quod Aristoteles 12. cap. 7. de Historia animal. dicit pueros maximè omnium conuelli in plenilunijs, eo quod tunc temporis aer humiditate grauidus facile neruos puerorum alioquin infirmos male afficiat. Vigiliæ inter has causas ab Hippocrate

nume-

numerantur, & timor. Ratio, propter quam præ timore conuelluntur pueri, luculenter explicata est ab Auicenna, quod cum in timore magno impetu ab externis partibus ad intimas recurrant spiritus, eos quodammodo nerui sequuntur, & inde fit contractio. Balnea etiam numerantur inter has causas, vnde Michael Ephesius super locum Auicennæ adnotauit institutum fuisse apud veteres, vt nomina non imponerentur pueris ante octauam diem, quia dum imponebant nomina, lauabant pueros, quemadmodum faciunt Christiani; & quia ex lotionē periculum impendēt, ne spasmus fiat, iccirco noluerunt vt pueri propter hunc morbum ante octauam diem laurentur. Alui adstrictio in pueris mirabiliter hunc morbum excitare solet, id quod non solum Hippocrates 3. prognost. verum etiam Aristoteles adnotauit. Potus vini nigri, & generosi, inquit Aristoteles hunc morbum maxime facere, siue potum ab ipsa nutrice, siue à pueris. Sic lac vel copiose sumtum, vel crassum huic morbo occasionem præstat, quemadmodum etiam ploratus, vigilia, vsus etiā ciborum prauorum in ipsa nutrice mirifice generationem huius mali inducit. Cognoscitur conuulsio facillime, quia ipsis oculis apparet corpus pueri contractum, vel in anteriorem, vel in posteriorem partem, vel rigidum, & tensum. Vtrum fiat per consensum, vel per essentiam, cognoscitur ex eo, quod quæ fit per essentiam perpetua est; sed quæ per consensum, momentanea quæ fit à repletionē, cognoscitur eo quod fit subito, vel breui tempore; quæ verò fit ex inanitione, paulatim fit & longiore tempore. Duo scribit Aristoteles quæ sunt hic consideranda. Vnum est, conuulsionem, quæ incipit à dorso, esse exitialem in pueris; cuius rei causa nec ab ipso, nec à quoquam est proposita. Sed puto ego eam esse, quia quæ incipit à dorso, originem ducit à spinali medulla, quæ est maximi momenti in sustentanda vita nostra, & hæc pars in ipsis pueris infirmissima semper est; vnde & propter infirmitatem, & partis

dignitatem, morbus, qui fit in hac parte, exitialis est. Memini me legisse apud Platonem in Timeo, morbum exitialem esse eum, qui fit in medulla. Alterum, quod scribit Aristot. pucros sub conuulsione vt plurimum perire ante septimum diem, septimus hic dies intelligendus est à die natiuitatis, non autem morbi; quemadmodū pueriliter interpretatus est Albert⁹ Magnus; nam ita esse interpretandum Aristot. illud fidem facere potest, quod ab illo subiungitur; quia pereunt pueri ob conuulsionem ante septimam diem, constituisse veteres, vt imponerentur ipsis nomina transacta septima die, quia tunc certior esset puerorum salus. id quod non solum Græci faciunt, verum etiam Romani; cum scribat Plutarchus in problematibus, Romanorum consuetudinē fuisse, vt feminis 8. die, maribus verò nono imponerentur nomina. Hæc Arist. sententia occasionem præbet dubitationi, quia scribit ipse pucros vt plurimum perire propter conuulsionem; aduersam huic sententiam habet Galenus, Hippocrates, & Auicennas. Hipoc. & Gal. 3. prognost. 34. & Auicennas 2. tertij cap. 5. scribunt pucros faciliter curari à conuulsione, & triplicem huius rei rationem afferunt. Vna est, quia pueri facultatem iecoris naturalem robustam habent, merito cuius superantur causæ morbificæ. Altera causa est, quia habent robustam facultatem vitalem, propter quam etiam facile dissipantur humores facientes conuulsionem. Tertia est, quia humiditas qua abundant pueri, est ærea, tenuis; eiusmodi vero humiditates facile dissipantur, ita vt inde videatur manifesta contradictio inter Aristotelē & hos scriptores. immò verò pro Arist. videtur experientia testari, quantum enim ego obseruauī, multo plures pueri iugulantur ab hac ægitudine, quam seruantur. Ex hac vero dubitatione suboritur & alia, quod Gal. 5. Aphor. 1. exponens oraculum Hippoc. conuulsionem ex elleboro lethalem esse; dicit, spasmum, qui fit ex siccitate esse incurabilem, quam sententiam omnes medici sequuti sunt. Sed ex altera

altera parte est auctoritas Auicennæ 2. tertij cap. 5. quam etiam sententiam videtur habere Galenus 3. prognost. dicit enim Auicennas spasmus ex siccitate in pueris facile curabilem esse; contra quam sententiam videtur facere ratio, quia si in morbis minus periclitantur illi, quorum temperatura similes sunt morbis, magis verò periclitantur, quorum morbi sunt dissimiles, procul dubio spasmus ex siccitate dissimillimus est puerorum temperatura, ut apertissima videatur contradictio inter medicos. Ad primam dubitationem respondendum puto, veram esse medicorum sententiam, scilicet conuulsiones in pueris faciles esse solutu respectu earum, quæ fiunt in viris, ea scilicet ratione, quia ut scribit Auicennas puerorum humiditas aerea, & facile superabilis est. Sed quid dicem⁹ ad Arist. scilicet, quod pueri, qui pereunt ex conuulsione, ut plurimum pereunt ante octauam diem ætatis, atque hoc etiam non negabunt medici, quamquam alioquin vniuersaliter pueri facilius liberentur, quàm viri. Pro secunda dubitatione dicendum est id, quod colligitur ex Galeno 5. Aphor. 1. nimirum duplicem esse siccitatem, à qua fieri possunt conuulsiones; vel consummatam, & perfectam; vel non consummatam. A conuulsione, quæ fit propter consummatam siccitatem, neque pueri, neque viri possunt curari, neque aliæ ætates. Cæterum quæ fit à siccitate non consummata, adhuc duplex est, vel maior, vel minor; quæ est à maiori siccitate, difficilis est curatu: quæ fit à minori, facilior. Iam verò conuulsio facta ex siccitate in pueris, fit dumtaxat à minori, in iuuenibus verò fit à maiori, & propterea iurè dictum est ab Auicenna conuulsionem puerorum à siccitate esse facilem curatu, scilicet respectu iuuenum, in quibus fiunt conuulsiones à maiori siccitate. Cur autem in pueris fiant à minori siccitate, & in iuuenibus à maiori, causa hæc est, quod iuuenes robustam neruorum vim habent, cuius merito non possunt nerui offendi à parua intemperie sicca, sed dumtaxat à vehementi; puerorum

rum autem facultas neruorum imbecilla cum sit, facile à quavis intemperie sicca nerui læduntur; & quemadmodum leui de causa offenduntur, pari pacto leui de causa liberantur. Sed quid dicemus ad rationem ex Hippocrate quod in morbis magnis periclitantur quorum complexiones sunt dissimiles morbis? Respondeo dissimilitudinem inter morbos, & complexiones duplicem esse, vel secundum actum, vel secundum aptitudinem, inter spasmodum sicum, & complexionem, puerorum est quidem dissimilitudo secundum actum, sed non est secundum aptitudinem; propterea quod pueri propter tenuitatem humoris, quo abundant, maxime apti sunt, ut facile corpora ipsorum exsiccentur. Curatio huius morbi alia est, quæ debetur conuulsionibus ex repletione; alia, quæ ex siccitate. Quæ sit ex repletione, siue sit in pueris lactentibus, siue sit in adultioribus, hoc præcipuum habet, ut diligenter studendum sit calefaciendis, & exsiccandis corporibus. Quamobrem vna est victus ratio, quæ vtrisque conuenit, & non solum ipsis, sed etiam nutricibus; & ne idem inutiliter repetam, eadem erit seruanda victus ratio, quam præscripti in epilepsia, quia eadem materia est & idem morbus. Cæterum quædam sunt, quæ circa corpora puerorum sunt agenda. si enim sint adultiores, erunt expurgandi, & præparandi humores eo pacto, quo docui in morbo superiori. Si verò sint lactentes, cum ipsis non debeat purgatio, ipsorum nutrices erunt purgandæ.

Cura autem, quæ pueris debetur, est membra contorta, & spasmoda diligenter, & blande reuerti manibus restituantur, & restitutis, ijs inungantur & nucha, & vniuersa membra conuulsione detenta. olea quæ conueniunt plurima sunt; oleum vulpinum, oleum sycini, id est ex cucurbita syluestri, oleum irinum, costinum, nam solent fieri capitibus puerorum, & præsertim secundum partes posteriores perfusiones ex eiusmodi oleis. Laudatur à proprietate etiam heliotropion, & coquitur in aqua, cum qua
lauan-

lauantur corpora puerorum spasmatorum; & postquam
lota fuerint, & exsiccata, deinde inunguntur prædictis
vntionibus. Nicolaus parat quoddam olei genus, quod
appellat moschelimum, atque hoc mirifice conducit ad
conuulsiones puerorum ex humiditate ortas. In rigore
seu tetano solent parari vesicæ, & impleri eiusmodi o-
leis, atque ita plenæ applicari modò anterioribus, mo-
dò posterioribus partibus. Sed si spasmus fiat à sicca-
te, conuertendum est studium ad contrarium; fugien-
dus aer calidus, & siccus; fugienda vigilia; tota victus
ratio posita esse debet, vt corpora humectentur. Pro
poru conuenit aqua, pro cibis ptissana cum lacte amy-
gdalarum dulcium; maluæ costæ, lapatium coctum;
iura pingua & pullorum, & aliorum animalium. Om-
ne genus medicamentorum frigidorum, quod exsicca-
re possit, cauendum; corpora spasmata sunt in balneo
calido humectante ponenda, cuiusmodi esset istud:

R. Foliorum maluæ,

Violarum,

Lapatij,

Nenupharis ana m. 2.

Radicum altheæ lib. 1.

Capita castrati num. 2.

Bulliant in sufficienti quantitate aque, in ea aqua mer-
gantur corpora spasmatorum; quæ deuersa, sunt ad
propriam rectitudinem trahenda, vt scilicet paulatim
manibus corpora, quæ sunt retrorsum reflexa, conuer-
tantur retrorsum; quæ verò rigida sunt, in alterutra
parte blandè flectantur. tum inungenda sunt inunctio-
nibus, quæ possunt mollescere, vt oleo amygdalino
dulci, butyro, pinguedine anserina. Poterit linimen-
tum tale parari:

R. Pinguedinis anseris,

Vrsi ana vnc. 1.

Medullæ crurum vituli vnc. 6.

Oesypi drach. 3.

Masticis drach. 2.

Olei amygdalarum dulcium quantum sufficit, misce,
& fiat linimentum.

De Paralyfi, & Torpore. Cap. V.

ACTENVS vitia puerorum sunt tractata, quæ posita sunt in motibus deprauatis. Sequitur nunc, vt tractemus de motibus imminutis, & ablatiis; nam sicuti pueris hæc actio motiua deprauari solet; ita consuevit & ex toto aboleri, & magnopere imminui. Si ex toto aboleatur, vel in vna parte tantum id fit, vel in pluribus. In toto corpore aboleri hunc motum, fieri non potest in pueris, quia sicuti paralyfis particularis fit in ipsis, quoniã scilicet vel aliqua pars, vel aliquæ partes priuantur & motu, & sensu; sic nequaquam contingit, vt vnquam ex toto aboleatur motus & sensus, ita vt fiat vniuersalis paralyfis, quæ apoplexia vocatur. Nam licet Rases inter morbos pueriles connumeret etiam vniuersalem resolutionem puerorum, existimãdum est tamen ipsum loqui de ea resolutione, quæ contingit in plurimis corporis partibus, non autem in toto; eo quia à nemine traditum est pueros apoplexia tentari, neque etiam experientia comprobatum est hoc mali genus in ea ætate fieri. Si diminuat motus, vbicunque diminuat in corpore puerorum, appellari potest torpor; sed vbi hic torpor generatur in lingua, fiunt alia vitiorum genera, quæ ad balburicem pertinent, de qua polliceor me tractaturum suo loco. Nunc itaque duntaxat tractabimus de motu abolito, & diminuto in aliis corporis partibus; quorum motuum vitiosorum alter paralyfis, alter torpor appellatur; & quia huiusmodi morbi differunt tantummodo secundum magis, & minus, sat erit vno capite de his tractare. Sed antequam id inchoemus, prius examinandum est problema à paucis discussum; cur scilicet fiat, vt pueri, qui adeo frequenter epilepsia tentantur, nunquam tamen apoplexia

xia corripantur. nam quod facit hanc difficultatem, est quia Galenus 2. Aphor. 49. & 3. de Locis affectis septimo & alibi inquit, epilepsiam, & apoplexiam habere eandem materiam, eandemque locum affectum; differre verò, quia in apoplexia motus est sublatus, in epilepsia deprauatus. Si igitur tanta est similitudo inter hos morbos, qui fieri potest, ut pueri altero tententur, altero verò non. Accedit his, quod Hippocrates sexto Aphorif. quinquagesimo septimo, scribit apoplexiam fieri maxime à quadagesimo anno vsque ad sexagesimum; ut & auctoritas, & experientia perspectum reddat, pueros non tentari apoplexia. Ex altera tamen parte videtur ratio exigere, ut etiam pueri tententur apoplexia. Hieronymus Cardanus, qui gustauit hanc difficultatem in Commēt. ad Aphor. Hippocratis lib. 5. debacchans, ut sui moris est, aduersus Galenum; inquit non alia ratione pueros expertes esse huius mali, nisi quod apoplexia fiat ab humore melancholico quo cum careant, iure merito immunes sunt ab apoplexia; atque hanc rem, & rationem, inquit vir ille, ignotam esse ab omnibus medicis, præterquam ab Hippocrate & Aristotele, ab Hippocrate quidem, quia cum scribat fieri apoplexiam ab anno quadagesimo ad sexagesimum, nihil aliud vult dicere, nisi fieri ab humore melancholico. Ab Aristotele verò, quia is 30. Problem. 1. scribit morbos attonitos fieri à melancholia; sed possumus addere ad has aliam auctoritatem Hippocratis, qui in libro de glandulis scribit, apoplexiam fieri ab humore cerebrum rodente, cuiusmodi est ipse humor melancholicus. verum pæce huius viri, falsissimum est apoplexiam fieri à solo humore melancholico; & ut primum auctoritate Hippoc. agamus, is lib. 3. Aphorifm. 23. scribit hieme potissimum fieri apoplexias, si hieme fiunt potissimum, Hippoc. quem humorem dixit exuberare hyeme, quos morbos fieri? sane in lib. de Natura humana tunc temporis pituitam abundare dicit, quemadmodum autumno melancholiam. Si hieme
abun-

abundat pituita, & tunc sunt frequentes apoplexiae, sequetur apoplexiam fieri, si non semper, frequenter tamen, à pituita; quæ cum sit in pueris, alia est querenda ratio. Sed demus Cardano, fieri hunc morbum ab humore melancholico, pueri nonne tentatur quartana? atque hæc fit à melancholia: poterit igitur in ipsis simili ratione etiã fieri apoplexia ab humore melancholico. Accedit his, in pueris ex materno alimento colligi sæpè humorem melancholicum, qui nihil prohibet, quin potens sit apoplexiam excitare. Quare alia, ut ego puto, ratio est, cur pueri non tententur apoplexia, & ut mea ratio intelligatur, duo constitui debent. Vnum est, secundum genus similem esse materiam, ex qua fit epilepsia, & apoplexia; sed differre posse secundum magis, & minus. alterum est facultates naturales in pueris ubique validas esse, & in cerebro, & in omnibus partibus; sicuti facultates animales sunt imbecilles. Cum igitur dicat Galenus apoplexiã, & epilepsiam esse similes rum materia, tum loco; differunt autem, quia in apoplexia ex toto aboletur motus ipsius facultatis, in epilepsia fit vitiosus, oportet causam querere, cur in pueris ex toto facultatis motus non amittatur, sed duntaxat vitiosus reddatur. hoc autem vel esse potest respectu ipsius facultatis, vel materiae. Dico ergo ego & respectu materiae, & facultatis hoc esse respectu materiae, quia tametsi in apoplexia, & epilepsia materia sit crassa, tamen multo crassior est ea, ex qua fit apoplexia, quam ea, ex qua fit epilepsia; quia ubi fit epilepsia, copulatur pituitæ flatus; ubi est apoplexia, sola est pituita. propterea cum, ut dicit Auicenna, pituitas puerorum sit aerea, & flatulenta, clarum esse potest ratione materiae non posse esse apoplexiam, sed epilepsiam; ratione etiam facultatis hoc fit, quia facultas naturalis cerebri expultrix valida est, & cum sit valida, efficaciter potest aduersus humorem, ita ut ex toto humor non obstruat vetriculos cerebri; quod quidem nequaquam contingit in illis ætatibus, in quibus humor crassior est,

est, & minus flatuosus; & facultas expultrix cerebri imbecillior, atque hæc fuit mei sententia hac in re. Dixi torporem, & paralyfim affectus esse eiusdem generis, ac differre tantum secundum magis, & minus; quia quemadmodum scriptum est secundo de Causis symptomatum secundo, torpor est veluti imperfecta paralyfis, paralyfis verò est veluti magnus quidam torpor; vtrique autem isti affectus symptomata sunt in genere functionum facultatis voluntariæ læsarum. læditur autem facultas voluntaria in his morbis, non quidem essentialiter, sed per accidens, scilicet à morbo instrumentali, qui impedit facultatem, quo minus functiones proprias obire possit. Impedit autem hic morbus in paralyfi, & in torpore. In paralyfi impedit ex toto vel partem, vel partes, ne moueantur. In torpore autem non ex toto, & ratio est, quia in paralyfi ex toto obstructæ sunt viæ facultatum, in torpore non ex toto. & hoc est, quod dicebat Galenus s. cap. 1. de Symptomatum causis, scilicet paralyfis, & torporis causam continentem, esse affectum illum, qui impedit facultatem; qui affectus nihil aliud est, quàm obstructio viarum ipsius facultatis. Differentiæ autem eiusmodi impedimentà capiuntur ex parte, in qua propriè positus est affectus; in qua si morbus sit in principio spinalis medullæ, omnes partes inferiores læduntur; ita tamen, vt si pars dextera solum afficiatur, pars dexterae afficiantur, si sinistra; sinistra. Si verò morbus positus sit in osse sacro, partes omnes superiores incolumes remanent, inferiores verò læduntur; in omnibus autem, vt dicit Gal. cap. 2. secundi de Symptomatum causis, actio vitiatur & diminutè, & ablatè; atque opus est non solum facultatis, verùet iam morbi in torpore, in paralyfi autem solummodo morbi. nam dum membra torpent, hoc est, debiliter mouentur, iccirco fit, quia facultas operatur propter quidem, sed ægrè; ægrè autem operatur propter morbum. cuius aliæ sunt causæ internæ, aliæ externæ. Internæ sunt humores, qui in pueris vix alij pos-

olus

sunt esse, quam pituitosi; & quanquam Hippocrates in lib. de virginibus, & in i. de morbis, videatur tribuere causam torporis ipsi sanguini, id tamen aliud est. & sciendum qua ratione in paralyfi, & in torpore lædatur facultas; Galenus quinto capite primi lib. de Symptomatum causis dicit, facultatem animale[m] oculis distribui per spiritus, qui perforatos nervos pertranseunt; in aliis autem partibus distribuitur facultas eo pacto, quo distribuitur per aquam, & aerem ipsa lux. Si aer purus, & serenus sit, nec non aqua limpida, & clara, radij solares per corpora diffusi egregie illuminant. sed si aer, & aqua sint crasse facta; quanto magis crassescunt, tanto minus per ipsos distribuuntur radij, & consequenter tanto minor fit illuminatio. Idem contingit, vbi animalis facultas distribuitur per corpus, quia si nervi sunt liberi, & puri, integra fit facultatis distributio; si autem crassefacti sunt, prout crassefactio maior, vel minor est; ita etiam facultatis transitus modo magis, modo minus impeditur. Iam vero in paralyfi nervi sunt integre crassefacti, & præsertim secundum principium; hinc fit, vt ex toto impediatur animalis facultatis transitus, quemadmodum si non ex toto sint crassefacti nervi, sed aliqua ex parte, ita vt facultati pateat aliquis aditus, licet non integer, fit torpor. Inter alias causas, propter quas etiam crassescunt, & condensantur nervi, est ipsa frigiditas siue sit interna, siue externa; verumtamen hac in re non videtur rectè Aristot. sensisse 6. Problem. sect. 6. vbi scribit torporè nihil aliud esse, nisi refrigerationem, quasi perpetuò geri debeat à frigefactione. nam sicuti fiunt aliquando ab ea torpores, ita fiunt etiam ab ipso humore crassefaciète ipsos nervos. Causæ externæ sunt compressiones, quæ fiunt ex casu, vel aliqua percussione, vel ex ligaturis, vel tumorib. comprimantibus, vel ab aliqua aliâ causâ; quæ ita possit densare, & constringere nervos, vt liber facultatis ingressus impediatur. Facile autem est cognoscere hos morbos in pueris, & in aliis; cum qui paralyfi laborant;

nullo

nullo pacto membrum paralyticum mouere possint; sed si torpore fuerit occupatum, ambulant quidem, ac mouentur, sed ægre omnino secundum partes affectas. Vtrum verò morbus sit in initio medullæ spinalis, vel in osse sacro, eo argumento cognoscitur, quia vbi est in initio spinalis medullæ, & brachia, & omnes partes inferiores morbo occupantur. Si autem sit in osse sacro, solum partes infra illud os laborant. Cæterum omnis paralytis, præsertim vetusta, aut incurabilis est, aut difficilis curatu etiam in pueris. Atque soleo ego dicere morbos omnes, qui Christo curandi fuerunt propositi, difficillimos sua natura curatu esse. inter alios autem habetur puer paralyticus Centurionis, possumus ergo hoc argumento colligere paralytim in pueris esse difficilem curatu, facilius verò est torpor, de quo loquitur Auicenna. 2. tertij capite de paralyti dicit, si paralyti, atque torpori superueniat febris, aut tremor, optimum esse, eò quia à febre materia morbifica dissoluitur, à tremore eadem materia depellitur à nervis; hoc autem non solum verum est in paralyti, verum multò magis in torpore, sed est hoc loco pulcherrimum problema non prætereundum. cur scilicet pueri penè omnes magnopere infirmi sint omnibus nervis, bruta autem statim ac ex vtero exeunt mouentur, & forsitan magis quam cum sunt paulò grandiora; nam videtur natura hac in re nouerca fuisse, quandoquidem homini, quæ nobilissimus est omnium animalium, debuit concedere, vt & ipse statim posset & brachia, & crura mouere, si non magis, æquè saltem ac cætera quadrupedia. Cur homo ita corpore; & præsertim cruribus, & brachijs imbecillis nascatur, atque perduret, causâ est situs, quem habet in vtero; nam cum deberet ipse perfectionem aliquam nancisci in vtero, & propterea in ipso diu permanere, necessarium fuit, vt non rectis membris, sed cõtortis, & cõglobatis in eò loco iaceret; quemadmodum Hippocrates in libro de natura pueri, & Aristoteles septimo de Hystoria animalium capite octauo

scribunt; vt autem posset homo conglobatus, & totus flexus in vtero diu manere, necessarium fuit naturam totum corpus veluti cerum facere, atque mollibus carnibus circumdare; propter quod cum ex vtero corpus hominis veluti cerum exeat, & molle, atque flexibile, fit vt diu duret, priusquam hanc mollitiem deponat, atque duriem induat, id quod etiam tardius succedit propter summam curam, & propter teporem, quo infantes custodiuntur. nam certum est barbarorum infantes celerius exercere sua membra, quam nobilium, propterea quod tenera & mollia ipsorum membra frigore aeris citius indurantur. Bruta vero, & praesertim quadrupedia, cum, vt Aristoteles loco citato testatur, in vtero patris tempore maneat respectu hominis atque vteros amplissimos habeant; fit vt in ipsis situm erectum secundum membra possideant; ita vt brachia, & crura duriora ab ipsa natura in eo loco fiant, quod eo maxime contingit, quod statim atque exeunt, opus est ipsis, vt sese sustentare possint, cum parentum cura non possint ita gubernari, quemadmodum homines. Curatio huius mali, scilicet torporis, & paralyfis tota posita est in remotione causarum externarum, si illae faciant malum; sed potissimum in exsiccatione, & consumptione humiditatis totius corporis, & praesertim neruorum. In qua peragenda vniuersa viuendi ratio ea esse debet, vt exsiccare possit, potissimum cuiusmodi proposita fuit in morbis superioribus. Quo ad chirurgiam, remedia quaedam sunt, quae accommodantur, vt sunt cauteria; quae, si aetas patitur, fieri possunt in partibus superioribus & inferioribus, praesertim tamen vstiones factae super initium medullae, siue super os sacrum prosunt, vbicumque sane morbus fuerit positus. in reliqua autem medicatione id primum cogitandum est, quod cum paralyfis sit morbus maior quam torpor, maioribus etiam auxiliis indigeat; vt debeant quidem in his ambobus affectibus eiusdem generis esse remedia, sed efficaciora in paralyfi, mitiora in tor-

torpore. quamobrem purgandum corpus, vt supra dixi. vbi vero purgatum est, remedijs & internis, & externis agendum est; vt exsiccati nerui possint transmittere facultatem animalent. Intus, decoctum guaiaci, vt dixi de epilepsia, est præsentaneum remedium: sunt etiam aliqua electuaria, quæ cum exsiccant, conferunt pueris, vt est istud:

R. Mei,

Afari,

Doronici,

Zeduaria ana scrup. i.

Cinamomi,

Gariophilorum

Calami aromatici ana drach. s.

Foliorum stachados,

Iuæ ana scrup. 2.

Terantur omnia, & cum melle despumato fiat electuarium; cuius puer pro ætate capere poterit modo scrup. i. modo plus, minusve. Extrinsecus sunt multa, quæ conueniunt. balneum artificiale, quod parari solet pro pueris ex lixiuio, cui incoctæ sint bacæ lauri, folia stachados, iua; nam in huiusmodi decocto demerguntur corpora puerorum, atque in ipso detinetur dimidium horæ. vbi vero exsiccata sunt corpora eorum ab hoc malo, inunguntur oleis, veluti oleo vulpino, de euphorbio, irino. Præter hoc artificiale balneum, est etiam naturale accommodatum, veluti sunt aquæ omnes sulphureæ, quales nostræ Aponenses, in quibus demerguntur corpora torpidâ puerorum; prout necessitas exigit: vsus etiam luti utilissimus est, si pro more superponatur ipsi dorso, hoc est, ossi sacro; nam & annó elapso, & præsentî, puellam, & puerum curauimus, qui habebant partes inferiores resolutas, & torpidas. Hippocrates in fine libri de Virginitibus laudat, vt ad torporem finiendum detineantur pedes in aqua gelida, vsque ad malcolum, eò q. inquit, statim reuertitur sanguis; quæ Hipp. auctoritas mihi ad mentem redu-

xit quiddam, quod audiui à quibusdam Nobilissimis Polonis, qui inquirunt, & est res notatu digna, in regione sua, quæ gelidissima est, sæpè fieri ut aures, nares, manus, pedes præ summo frigore ita rigeant, & torpeant, ut si vel tangantur manibus calidis, vel approximentur igni, statim decidant; atque vnum esse in eo casu summum auxilium, si priusquam sese calori exponant, partes torpescæ in aquam gelidissimam mittantur, cuius euentus breuiter ratio est proponenda. Nam definitum est ab Aristotele quarto Meteor. corpora, quæ congelantur frigido, & sicco vel summè congelari, vel minus; si summè congelata sint à nulla re, nisi à vehementissimo igne, & rarò etiam possunt dissolui, cuiusmodi est crystalus mbranus, & adamas; quæ cum sint summè congelata à frigido nullo pacto dissolui possunt. Sed si nõ fuerint summè cõgelata, dissoluntur tum à calido humido actu, tum etiam ab humido, & frigido. Exemplum est de glacie, quæ & à calida aqua, & à frigida dissoluitur. Sed differentia est, quia calida aqua citò dissoluit, atque etiam consumit; frigida dissoluit tantummodò, non autem consumit. Quamobrem cum partes externæ à gelu torpescant, & congelantur, si à calore statim dissoluantur, simul etiam ab eo calore consumuntur, ut conuulsi statim decidant, veluti emortuæ; sed si tractentur aqua frigida, fit quidem pedetentim illa dissolutio, absque tamen vlla consumptione.

De vitis locutionis in genere.

Cap. VI.



SERMONEM, quo dicebat Aristoteles hominem ciuile animal esse, motum quendam, seu operationem facultatis imaginatricis esse, non est dubitandum; cum & voluntatis imperio, & musculorum ministerio efficiatur. Quare, ut de sermone vi-

ne vitiatum hoc tempore tractemus, ordo, & ratio nostrae
tractationis postulat. siue autem sermonem ipsum à
natura esse constituamus, vt disputatum est apud Plat.
in Cratillo, siue totum ex disciplina, & hominum con-
suetudine constare censeamus, aut nihil, aut parum ad
negotium nostrum pertinet, cum de vitiatà locutione
tractaturi simus; quippe quæ inter morbos pueriles
frequentissima esse solet. Est locutio nihil aliud, quàm
vox articulata, qua homines inter sese loquuntur. quon-
iam Gal. 3. in 3. Epid. tex. 74. dicebat veteres appellasse
sermonem, illum, quo homines inter sese loquuntur,
quasi bruta etiam quadam voce articulata vtantur, quæ
conceptus proprios exprimant; sed quia homines eo
inter sese minimè vtuntur, ea propter sermo appellari
non potest; vt iure dixerit Aristot. II. Sect. Problemat.
Problém. 1. vnū hominem sermonis capace[m] esse, qui
litteras omnes profert, cum bruta vix vnā, aut alteram
proferre possint. Hæc itaque locutio multis modis in
homine vitari potest, vel enim ex toto aufertur, vel
difficultèr fit, vel deprauatè efficitur. Si ex toto sermo
aufertur, fit vitium, quod à Græcis communiter *καταφω-
νία* dicitur, Hipp. vt docet Gal. 3. in 3. Epid. *ἀναφω-
νία* vocauit, nos, qui hac ægritudine laborant, mutosappel-
lare solemus. quo in loco adnotandum, differentiam
esse inter aphoniam, atque inter anaphiam, quoniam
aphonia est ybi vox ex toto amittitur, *ἀναφω-
νία* vero siue mutitas, vt sic loquar, est quando salua voce, sermo
tamen amittitur, quod latissimè explicatum habetur à
Gal. 4. de Locis affectis 6. Sed dubitari possit, nū quādo
infantes loqui nondum possunt, debeant propriè mu-
ti vocari, ita vt etiam in ipsis vt inuatio locutionis mor-
bus sit. nam Aristot. 1. Problem. sect. II. solet appellare
infantes mutos. accedit etiam, quod si causas impote-
tiæ loquendi in ipsis expendamus, vt videbitur suo lo-
co, omnes morbosæ sunt; vt hæc ratione videatur sta-
tuendum esse etiam pueros mutos appellari debere.
Sed ex altera parte non videtur hæc affectio morbosæ

in infantibus ante debitum tempus, quia pari pacto morbus esset, quando secundum rationem nondum operatur, quod tamen à nemine proditum habetur. Ita sentio statuendum esse, infantiam, hoc est, loquendi impotentiam in pueris per similitudinem tantummodo debere vocari mutitatem, neque morbum esse, quia omnes morbofi nateceremur, & consequenter natura, quod non fecit brutis, hominibus fecisset, ut vitam à morbo auspicarentur. Si locutio difficiliter fiat, aliud genus vitij oboritur, quod apud Actium lib. 8. cap. 36. vocatur *μεριμλία* dicere nos possumus loquendi impedimentum. Si sermo deprauetur, fit tertium genus vitij, quod communi nomine ab Hipp. 6. lib. Aphorif. Aphor. 32. nuncupatur *τραυλότης*, seu *τραύλοσις*: nos quoque communi nomine balbutiem vocamus. Huius autem postremi vitij tres apud scriptores inuenio species esse. Prima est, quando non potest proferri oratio statim, sed cogitur homo, vel puer repetere aut primam, vel aliquam aliam syllabam cum labore: appellatur huiusmodi vitium ab Hippocrat. & Aristot. *αγοφωσία*: nonnulli latini vocant titubantiam linguæ, sed melius omnibus Theodorus Gaza doctissimus, linguæ hæsitantiam dixit, inuenio etiam appellatum hoc vitium *bararissimum*; à Barato Cyrenarum rege, qui semper primam syllabam repetere cogebatur. Alterum vitium est, seu species, cum puer aliquam syllabam omitit, hoc est, cum totum verbum, aut nomen minimè exprimere potest. Appellat Gal. & cum Gal. omnes alij *ψεδόγησις* vocat Aristot. huiusmodi ægrotantes blæfos; quanquam non desint, qui inducti auctoritate Arist. 2. de partibus animal. cap. 17. existimarunt blæfos propriè vocari illos, qui ob torturam oris etiam verba male torquere, & flectere videntur, ad similitudinem eorum, qui contortos pedes habent, quos scilicet Aristot. 14. particula Problematarum ait, vocari blæfos, quod habeant pedes contortos, instar capillorum crisporum. quâ affectionem tentare Aethiopes, & Aegyptios propter

pter regionis feruorem, idem Aristot. prodidit. Tertia species balburiei est illa, qua: communi nomine aliorum vitiorū appellatur *τραυλότης*, & est, vt scribit Gal. 6. Aphor. cum homo, seu puer non potest proferre r. sed mutat in l. vt fit quādo quis vult dicere triticum, & dicat triticum; quo etiam eodem genere comprehenditur, quando c. mutatur in t. vt cum volunt dicere pretium, dicunt pretium; & hæc est tertia species balburiei, qua memoria: proditum est laborasse Demost. & Alcibiadem. ex quo loco potest videri, magnā esse differentia inter blæsitatem, seu *ψιλότης* & inter *τραυλότης*, vt non possim excusare virum doctissimum Leonicum, qui contra Commentarium Galeni Aphorif. 22. lib. 6. dixit, & ita transtulit, vt dixerit inter hos duos affectus nullam esse differentiam; quod non solum est præter omnem rationem, & vsu scriptorum, verum etiam multum abest à litera græca ipsius viri. Sunt hæc omnia vitia symptomata in genere actionū animalium læsarū; læduntur autem hæc actiones, vel quia læditur facultas imaginatrix, vel quia læduntur instrumenta à natura fabricata propter locutionē. læditur facultas, quotiescunq; propter aliquā intēperiem cerebri nō potest facultas imaginatrix operari, & musculos mouere, quemadmodum deberet. sic in phrenitide vitiatu locutio & letargo, & vt vno verbo dicam, in omnib. grauissimis intemperiebus cerebri. læduntur autem instrumenta, quando læditur vel lingua, vel muscoli mouentes linguā, vel labia, vel dentes, vel nares; potissimum autem quando læditur lingua. siquidem Aristot. 2. de partibus animalium 17. & Gal. 4. de Locis affectis 6. docuerunt, has omnes partes instrumenta esse locutionis, sed potissimū linguā, vt offensa lingua maximè omnium offendatur ipsa locutio. Possunt autē hæc instrumenta affici, put sunt partes similes, vel prout instrumenta; vt partes similes offenduntur quotiescunq; muscoli, necru, immò ipsa lingua aliqua intēperie corripuntur, siue sit sicca, siue humida, siue frigida; quanquā multo

sepius intemperies frigida, & humida lædat instrumenta, quàm sicca. Afficiuntur autè veluti instrumenta, quãdo lingua vel nimis tumida fit, vel nimis longa, vel nimis angusta, vel nimis lata, nã ita fabricata est lingua à natura, vt dicebat Arist. vt & mollitiè, & sui magnitudine ad dentes, & palatū impellens, possit vocem ipsam dearticulare. Pari pacto laborant hæ partes vt instrumenta, quando muscoli vel resoluuntur, vel tumore aliquo afficiuntur; sic si dentes aut nō debito ordine positi sint, aut aliqui deficiant. si labia ipsa mutantur, si nares vel polypo, vel aliquo alio morbo detineantur, vt scribit Galenus, ipsa locutio impeditur; potissimum autem quando cerebrum vt instrumentum, & vt simile simul patitur; quo in casu cum mens magnopere offendatur, consequenter necessarium est, vt locutio magnum detrimentum incurrat: siquidem, vt optimè docuit Hippoc. in lib. de carnibus; seu principis, spiritus per corpus excurrit, caput verò resonat, & lingua à mente, & intellectu gubernata appellens modò ad palatum, modò ad dentes, vocem ipsam dearticulat, & consequenter sermonem parit. Hæc sunt in vniuersum genera omnium vitiorum, quibus locutio, & sermo hominis offenditur.

De Mutitate. Cap. VII.



MT huius affectus natura magis percipiatur, vtile puto vniuscuiusque speciei particulariter causas indagare, & iccirco incipiemus à mutis, quo affectu dicebat Aristot. solum hominem tentari, quia solus sermonis capax est. Cum autem mutitas sit loquelæ priuatio, & consequenter actio laesa, vt sæpe docui, necessarium omnino est, vt ab aliquo morbo proficiscatur, qui modò in principio ipsius facultatis est, modò verò in aliquo instrumento: in principio est in apoplexia, in percussione ipsius cerebri, nec non etiam in ebrietate. In percussione cerebri, quoniam

quoniam vt dicit Galenus feptimo Aphorifmorum quinquagefimo octauo vbi percutitur cerebrum, eo concuffo yentriculi omnino in fele conuiuent, quo fit vt facultas minime mitti poffit ad mouendam linguam; in ebrietate etiam idem fit, quoniam vt habetur 5. Aphor. 5. in fumma ebrietate ita repletur cerebrum atque etiam nerui mouentes linguam, vt non folum deftruatur locutio, verum etiam deftruatur ipfa vox. vbi autem morbus lædens actionem hanc, eft in inftrumentis, vel eft morbus fimiliaris, vel diffimiliaris. fi fit fimiliaris, eft fumma intemperies frigida; quemadmodum contingit, vbi nerui ob errores chirurgorum ita denudantur, vt maxime frigeant, & confequenter vox tollatur. Fit autem morbus inftrumentalis in paralyfi linguæ, nec non etiam in paralyfi mufculorum mouentium linguam; fi quidem refolutis his partibus, minime fieri poteft locutio, quanquam interdum fiat vox. Dico quanquam interdum fiat vox, quia poteft quidem amitti locutio, falua voce; fed è conuerfo non poteft locutio falua effe, fi ex toto auferatur vox. Fit etiam morbus inftrumentalis lædens loquelam in furditate, quæ plerunque folet effe cauffa mutitatis. Immo vero Ariftoteles quarto de Hiftoria animalium capite nono fcribit ferè pueris hunc affectum non ob aliud contingere, nifi quia furdi funt; fiunt autem furdi, eò quod, vt dicebat quidam Arabs, cum lingua craffior facta fit; quàm debuiffet, auditorij meatus ex toto funt obcæcati; nec dubitandum eft potiffimam cauffam mutitatis effe natiuam furditatem; quoniam cum locutio fit opus facultatis voluntariæ motricis, non poteft ipfa excitari ad mouendam linguam, & dearticulandam vocem, nifi à phantafmatibus fimilibus locutioni excitetur. phantafmata autem hæc non poffunt recipi à facultate imaginatiua, nifi medio fenfus auditus, propterea fublato hoc fenfu, neceffariò locutio amittitur, & fit mutitas. Sed hoc in loco dubia duo occurrunt. ynum eft, an verù fit femper amitti loque-

lam, vbi amittitur vox; nam ex vna parte hoc videtur omnino absurdum, quia locutio, seu sermo nihil aliud est, nisi vox articulata, quare destructa voce, perit sermo. Ex altera parte Auicem, qui 10. tertij tract. 2. c. 1. scribit seruari interdum loquelam destructa voce. Dicendum est breuiter aut literam Auic. corruptam esse, aut ab ipso pro voce intelligi vociferationem; alioquin nisi ita intelligendus sit Auic. meras nugas dixisset, nam illud verum est, vsque adeo interdum hebetari vocem, vt exigua admodum fiat, & tamen sermo, & loquela integra seruantur. Aliud dubium est circa dictum Galen. qui 4. de Locis affectis 6. scribit quinque esse actiones, quæ sese consequuntur. Prima est exspiratio; Secunda exsufflatio sine strepitu; Tertia exsufflatio cum strepitu; Quarta est vox; Quinta est loquela. inter quas actiones scribit hunc esse ordinem, vt læsa prima, scilicet exspiratione, consequenter lædantur aliæ quatuor; læsa verò vltima scilicet loquela, nõ lædantur aliæ quatuor, item læsa secunda lædantur cæteræ tres; læsa tertia, reliquæ duæ; læsa quarta læditur etiam postrema. necessariò. ita vt velit Galenus semper læsa voce, necessariò lædi loquelam. Sed hoc falsissimum est, in raucedine enim læsa est vox; vbi autem vox exilis fit, læditur vox, non loquela; quia ranci etiam disertissimè loquuntur. Quid itaque dicendum? Locus hic apud me semper difficilis, & salebrosus fuit, & nisi intelligamus apud Galenum pro læsione destructionem ipsius vocis, nescio quomodo ipsum tueri possimus. Sed si intelligamus destructionem vocis, non simplicem læsionem, proculdubio verum dicit.

De Balbutie. Cap. VIII.



SEQVITVR impedimentum loquela, seu *μωρηλαλεια*, vel *ἀγκυλόγλωσσοι*, cuius affectus duplex est causa, alia natiua, alia accidentalis, & morbosa. Natiua causa, vt docet Gal. II. dc

deusu partium 10. est colligatio innaturalis linguæ cū subiectis partibus, quæ colligatio sæpiſſime in iſtis pueris contingit; cauſſa vero morboſa eſt vel tumor ſubtus linguam, vt in ranula, vel cicatrix derelicta ex vulnere illius partis; ita vt huius mali nullæ aliæ ſint cauſſæ, quàm propoſitæ, relatae etiam ab Actio lib. 8. cap. 36. Sequitur tertium vitium, quod eſt balbuties, ſeu deprauata locutio, quæ cū habeat tres ſpecies, vniuſuique ſpeciei cauſſa vel ad facultatis, vel ad inſtrumentorum læſionem pertinet. Læditur facultas quando vel cerebrum ipſum aliqua intemperie turbatur, vel quando ipſamet facultas detinetur quo minus tranſcurrere poſſit ad mouendum aptè linguam; fit intemperies in cerebro in ebrietate, nam Galenus 6. Aphor. 32. dicebat balbutire ebrios, propterea quod cerebrum magis humectatur, quàm conueniret, & conſequenter cū eo etiã inſtrumenta mouentia linguam, & ipſa lingua. Fit etiam intemperies in cerebro in phrenitide, in qua cum calefactum, & exſiccatum ſit cerebrum, facultas imaginatrix non poſſet operari, & linguam mouere, vt deceret. Impeditur autem facultas à ſuo munere in ecſtaſi & in melancholia; in illa quidem, quia à phantaſmatibus alio auocata minimè regit linguam, quemadmodum deberet. In melancholia vero impeditur propter tres cauſſas; vna eſt timor, qui perpetuus eſt comes melancholiæ. vnde dicebat Ariſtoteles II. Sect. problematum, problem. 30. metuentes balbutire, & hoc eſt etiam, quod dicebat Hippocrates 2. Epid. quando ſcripſit, balbos fieri melancholicos. Impeditur alia ratione imaginatio, ſeu facultas in melancholia, quia vehementiſſimè mouetur; quod proditum habetur ab Actio lib. 6. cap. 9. ex ſententia Ruffi, & Poiſidonij. à magno etenim motu imaginationis fit vt ipſa erret, & propter errorem etiam linguam non ea ratione ac deberet, moueat. & hoc eſt, quod dicebat Hippoc. in lib. præceptionum ſæpè linguam balbutire propter mentis errorem. Tertia cauſſa eſt multitudo phä-

casina;um, & imaginationum; nam Aristot. 11. sectio-
 ne problematum, tradens causam hæsitantiæ linguæ,
 inter alias videtur statuerè varietatem, & multitudinè
 imaginationum, quia dum facultas hoc, vel illud phā-
 tasma persequitur, lingua minimè potest actionem fa-
 cultatis diligenter persequi, vnde errat, & fit hæsitantia.
 atque hæc sunt genera causarum, quæ pertinent ad ip-
 sam facultatem circa balbutiem. Quæ verò pertinent ad
 instrumenta, vel sunt vitia naturalia, vel præter natu-
 ram; seu, vt dicebat Galenus 4. de Locis affectis 6. vel
 fiunt in ipsa formatione instrumentorum, vel post for-
 mationem. Quæcunque autem sint hæc vitia, aut sunt
 morbi similes, aut instrumentales. Morbi similes
 sunt in temperes præsertim frigida, & humida, tum
 ipsius linguæ, tum maximè musculorum linguam, &
 laryngem mouentium; id quod voluit significare Gal.
 2. in 1. Epid. text. 68. cum scripsit *ὡς ποσειδών* fieri ob
 imbecillitatem musculorum laryngis, factam à caloris
 diminutione; id quod ante Galenum docuit nos Arist.
 11. Sect. problematum, probl. 10. 30. 35. quibus in locis
 scribit balbutiem, & hæsitantiam linguæ, fieri à frigidi-
 tate, & humiditate. Sed circa hanc sententiam occurrit
 dubitatio, nunquid scilicet à sola intemperie frigida, &
 humida fiat balbuties, nam Galenus 6. Aphor. 32. om-
 nem balbutiem videtur omnino acceptam referre hu-
 miditati; immo verò scribit fieri non posse, vt vquam
 balbuties in pueris à siccitate oriatur; id quod etiam
 videtur voluisse significare Arist. 11. Sectione problem.
 30. quando dicebat, pueros magis balbutire, quam vi-
 ros, scilicet ob humiditatem. Sed contra est Hippoc. 7.
 Epid. circa initium, vbi narrans quandam Historiam æ-
 grotantium, inquit, ipsis propter siccitatem linguam
 fuisse subbalbam; ex quo loco clarè colligitur, balbu-
 tiem etiam à siccitate fieri. quod idem Auicennas 6. ter-
 tii, trac. 3. cap. 16. manifestè scribit. Pro concilianda hæc
 scriptorum dissensione, dicendum est, duplicem esse
 balbutiem, aliam naturalem, aliam accidentalem; na-
 turalis

turalis non alia ratione fit, nisi qua dicebat Galenus, scilicet humiditate. innaturalis autem, hoc est, accidentalis, potest etiam fieri à siccitate, & de hac loquutus est Hippoc. & Auicennas. Modus autem, quo humiditas naturalis facit balbutiem, & cur sit, quod aliqui non possint proferre r, nec c, est, quia ad proferendas has literas necesse est vt lingua valide impellatur in dentes, atque in palatum; lingua autem mollis, seu nimis humida, aut imbecilla propter humiditatem muscularum non potest ita vehementer, quemadmodum par est, impelli ad dentes, propterea loco huius literæ proferuntur illæ, quæ cum sint similes, non opus habent tanta impulsione: vel dicere possumus balbutiem fieri plerumque ab ipsa humiditate, rarò autem à siccitate; id quod non solum ipsemet Auic. expressis verbis dicere viderur, verumetiam Aristot. idem dixit 4. de Hist. animal. 9. vbi dicebat fieri balbutiem in pueris potissimum ob linguæ humiditatem, & laxitatem. Fit autem balbuties, quando lingua vel longior est, quàm deberet, quemadmodum dicebat Gal. 6. Aphor. (licet hoc rarò contingat) vel quando crassior, & tumidior euadit; vel quando dentes aut deficiunt, aut ordine malo sunt distincti; vel quando labia sunt mutilata; vel quando nares, aut gurgulio sunt tumore, aut inflammatione obfessa. Ex causis externis vitiatæ locutionis in primis est frigidus aer. dicebat enim Aristot. ii. problematum sectione, frigus locutionem impedire propter tres causas. Primò quia frigidum condensat. Secundò quia calorem natium, & consequenter motricem facultatem hebetat. Tertio quia linguam veluti ligat. nam ad peragendam locutionem dicebat idem auctor 2. de partibus animal. 17. magnopere necessarium esse, vt lingua libera, & expedita sit. sic regio frigida potest populoa impedire, quo minus rectè loquantur; qua etiam ratione fit, vt in quibusdam locis veluti hæreditaria quadam affectione in hominibus locutio vitietur. Animi affectus præ ceteris balbutiem inducere solent. De ti.

more, & experientia perspectum est, & Aristot. & Galenus confirmavit. De illa similiter; nam multos videre licet, qui dum præ illa nimis excandescunt, interdum non solum balbutiunt, verumetiam mutire coguntur, idem possunt profundæ cogitationes, nimix vigilix, immoderata Venus, quæ cum cerebrum, & nervos omnes vehementer lædant, consequenter locutioni detrimentum inferunt, potissimum autem locutionem impedit assidua ebrietas, ut Aristot. 3. Sect. problematum. & Galenus 6. Aphor. 32. apertissime docuerunt. Sunt etiam cibi, qui quadam proprietate locutioni puerorū videntur officere. nam Raby Moyses 20. Aphor. parte scribit arcendos esse pueros ab esu nucum, propterea quod loquelam ipsorum vitiant. Cæterum non est opus signis, ut cognoscantur vitia sermonis; sed ad cognoscendas causas necessarium est adhibere & signa, & industriam magnam; nam qui fiunt muti à natiuitate propter surditatem, cognoscuntur, tum quia nullo strepitu, nullo sono mouetur, tum quia nullū defectū neq; in lingua, neq; in ore habet. quamq; Arist. 2. probl. sect. 4. scribit mutos naribus loqui, seu strepitum edere; propterea quod sunt compresso ore: esse verò compresso ore, quoniam lingua nullo vsui sibi est. Qui autem fiunt muti vel propter vulnus inflictum, vel propter musculorū linguæ resolutionem, cognoscuntur morbis ipsis antea actis, nimirum apoplexia aut eiusmodi aliqua ægritudine, quæ antecessit. Illi autem, qui vix loqui possunt, & *μυζιλαιοι* vocantur à Græcis, cognoscuntur, quoniam si lingua inspiciatur, frenum illud, quod philetum vocant vulgares, admodum inconcinnum, & ineptum est. nam ut habetur apud Meletium de natura hominis, cum lingua deberet suo expedito motu modo in hanc, modo in illam partem efformare literas, constituit natura ut liberè hoc posset facere, ne nimis soluta, & vacillans esset, alligauit quæ eam ori per quoddam frenum, quod ipsam continet, ne labatur; quod si huiusmodi frenum maius sit, quàm oportet, ita ut ni-

mis

mis linguam deuinciat. impeditur ne possit debitos motus in palatum agens, vocem, vt deceret, dearticulare. vbi vero exiguum est hoc frenum, cognoscitur, quia lingua eleuata videtur veluti nulli rei alligata. quemadmodum è conuerso si frenum hoc nimium sit, cognoscitur, quia multum linguæ complectitur, atque ipsam arctè detinet, ne moueatur. Hæsitantia linguæ, seu *apophonia* quotiescunq; fit à calore partis diminuto, cognoscitur euidentissimè hinc, quia vbiunq; loquuntur pacatè, & tardè, semper maius impedimentum apparet. vbi verò alta voce, & vehementer loquuntur, tunc expeditiorem sermonem habent, quia ex motu, & voce magna incalescunt musculi linguam mouentes, & propterea facilius mouentur. Si balbuties fiat ex larga partium humiditate, cognoscitur quoniam ij somnolenti sunt, hebeti ingenio, nulla penè memoria, & dum loquuntur, multum semper saliuæ emittunt. Si vitiosa sit locutio vel ob defectum dentium, vel ob labia mutilata, vel ob naris aliquem morbum, cognoscitur hoc faciliter suis signis. Muti, qui & surdi sunt, nunquam curantur; & propterea ex miraculis, quæ fecit Saluator noster, vnum fuit, quãdo curauit illum mutum surdum apud Matthæum 15. Sed si mutitas, seu loquelæ priuatio oriatur ob nimiam resolutionem musculorum factam à larga humiditate, curatur huiusmodi vitium non solum opera medici, verum etiam interdum sponte naturæ. nam relatum est Maximilianum Friderici Tertij Imperatoris filium vsque ad nonum ætatis suæ annum prorsus elinguem, & mutum fuisse, sed tamen beneficio naturæ non solum sermonem acquisiuisse, verum etiam fuisse eloquentissimum, nam in ipso existimandum est vitium originem duxisse ex larga humiditate, quæ ætatis progressu consumta fuit. Sic quando legimus varios vel ob timorem, vel ob iram, dum muti essent, sermonem subito acquisiuisse, putandum est non casu vlllo, aut miraculo id fuisse factum, sed hac ratione, quia impedimentum factum ab humiditate

ditate subtractum est. Sic balbuties oris naturalis, quæcunque sit illa, difficilis est curatu; quemadmodum illa, quæ fit morbo aliquo aduentitio, non est ita difficilis curationis. Sed vt dixi de priuatione locutionis, quæ sponte naturæ curari potest, & curatur, ita de balbutie existimandum est. Circa hoc, priusquam curationem aggrediar, tria problemata occurrunt. Quorum primū est, cur dictum sit ab Hippoc. 2. Aphor. 32. Balbos alui profluuiū tentari. Secundum, cur idem Hippoc. 21. Epid. in principio sect. 5. & 6. dixerit, balbos bonos esse; nam Aristot. quoque in physiogn. scribit, signum moderati animi esse sermonem grauem & tardum. Tertium cur in iisdem locis dixerit Hippoc. balbos morbis melancholicis esse obnoxios; id quod etiam confirmatum est ab Auic. 1. tertij trac. 4. cap. 18. Nam hoc videtur ferè præter rationem, vt qui habent cerebrum humidissimum, cuiusmodi sunt balbi, tentari possint à melancholia, quæ est siccus humor. Ad primum respondendum est, non alia ratione, quàm vt interpretatur Gal. in comen. illius Aphorismi, nimirum balbos necessario habere aut humidum cerebrum aut humidam linguam. Si humido sint cerebro, excrementa pituitosa præcipitata à capite in ventriculum, & consequenter in intestina, faciunt alui fluorem; id quod etiam traditum habetur ab Hippoc. in lib. de affectibus internis. Immo verò dicebat Auic. 4. 1. doct. 5. cap. 5. etiam balbos propter hanc rationem sæpè tentari cholericâ passione. Si autem balbi tales sint propter linguæ nimiam humiditatem, cum lingua tunicam communem habeat cum ventriculo, necessario habent & humidum ventriculū; humidi verò vetriculi familiaris affectus est alui fluor, vt dicit Gal. Ad secundum dicendum est, balbos propterea bonos esse, quoniam illi, qui sunt prauis moribus, propterea sunt, quia calidos, & siccos spiritus habent; propter quæ cum animi eorum celeriter moueantur, fit vt rebus minimè, vt deceret, animum aduertant, vnde & prudētia carent, & consequēter malis moribus sunt;

sunt; quo fit, ut in regionibus calidis, & siccis versutif-
 simi, & pravi sint, in quibus etiam bruta immania, &
 fera nascuntur. contra autem fit, ubi spiritus humidi
 sunt, quia cum celeriter moveri non possint, cumque
 animum magis aduertant, nec celeres motus habeant,
 iure fit, ut & moderatis animis sint, atque etiam probis
 moribus. Difficilius autem omnibus est tertium, & po-
 stremum problema, scilicet eum dictum sit ab Hippoc.
 balbos melancholicos esse, & melancholicis morbis te-
 tari, facit autem hanc rem difficiliorem Galeni aucto-
 ritas, qui 7. sect. Aphor. 40. exponens sententiam illam
 Hippocratis, qua scribit, si quis repente linguæ in-
 continentis fiat, melancholicum esse, inquit, se nescire qua
 ratione lingua incontinens melancholicum indicet; &
 tandem quasi & ipse confugiens ad rerum proprietates,
 subiungit, forsan hoc esse, quia sicuti ab humore me-
 lancholico fit paroxysmus quartanarius: ita quoque à
 melancholia fit linguæ incontinentia. Hanc sententiam
 cum difficilem quoque videret esse Hieronymus Car-
 danus, vanitate quadam ingenij sui dixit, apud Hipp.
 pro linguæ incontinentia interpretandam esse procaci-
 tatem, & maledicentiam; quasi illi, qui sunt procaci
 lingua, & qui obscæna loquuntur, sint melancholici.
 Sed tantum abest Hippoc. pro linguæ incontinentia
 huiusmodi rem intelligere, ut si hoc dixisset, non mi-
 nus vanus esset, quam Cardanus. Nam Aristot. qui pe-
 ne iisdem vocibus utitur, quibus Hippocrates, dicit in
 pueris linguam fieri incontinentem propter humidita-
 tem, & infirmitatem, Auic. i. tertij tract. 4. cap. 18. to-
 tam hanc causam videtur attribuisse cordis calori, qua
 si balbi omnes, qui sunt cerebro humidissimo, sint et-
 iam corde calidissimo; & propterea ubi cor calidissi-
 mum est, ex humiditate, in quam continuo agit calor,
 fieri humores melancholicos, & consequenter ubi hu-
 mores eiusmodi abundat, facile simul oriri melanco-
 licas ægitudines. Sed neque hæc sententia Auicennæ
 problematis difficultatem tollere potest. primum, quia
 acqne

neq; auctoritate vlla veterum compertum est eos, qui sunt humido cerebro, simul esse corde calido; immo vero videretur contrarium esse debere, vt humidum immentum cerebri quemcunque corporis calorem retunderet. Sed dato etiam quod balbi essent calidi corde, non est necessarium vt fiat humor melancholicus, quia potest fieri bilis flaua, quemadmodum sæpe compertum est corde calido esse biliosos. quamobrem mihi videtur omnibus alijs melius hoc explicuisse Arist. 3. problemat. sectionis 36: quo in loco quaerens cur haesitantes lingua sint melancholici, scribit melancholicos omnes habere celeres motus imaginationis, & propterea balbos quoque, cum huiusmodi motus celeres habeant, melancholicos esse; habere autem celeres motus balbos & haesitantes ait idem, quoniam cum infirma sint instrumenta ipsius linguae, neque possunt animi conceptus exacte sequi, fit vt motus animi semper anteuertant motus linguae, atque hinc fiat linguae impeditio. Sed neque ex his Aristot. verbis clare colligi potest, cur balbi vere melancholicis morbis tententur, nisi etiam & illud addamus, quod balbi cum non possint, vt optarent, & vt animus dictat, loqui, quasi sibi ipsis irascens, & coram alijs loqui formidantes mœrent, qui mœror, & timor non est dubium, quin in ipsis melancholice prouentum magnum faciat, & consequenter melancholicis ægitudinibus illos subijciat. Curatio locutionis vitiatæ adhibetur in pueris solummodo, quando iam sunt ab lactari; eò quia ante illud tempus sciri non potest, nunquid sit vitiatæ loquela, necne; & eò magis, quod sæpe etiam contingit pueros usque ad sextum, & septimum annum balbutire, & tamen sponte curari. quapropter vbi certum est morbum non esse sponte finiendum, aggredienda est alacriter hæc curatio. Muti, qui simul sunt surdi, omnino dimittendi. Sed si remissa fuerit loquela propter linguae resolutionem factam à nimia humiditate, eadem curatio adhibenda est, quæ in balbutie adhibetur; & propterea quando

quando de balbutiei curatione tractabo, simul etiam habebitur curatio mutitatis. Si puer impediatur in sermone propter nimiam freni colligantiam, omnis cura posita est in sola manuali operatione. Galenus quidem scribit consueuisse obstetrices unguibus abscindere illam membranam, quae frenum dicta est; sed siue sit propter imperitiam nostrarum obstetricum, siue sit quod interdum haec sola operatio non sufficit, opus est aliam operationem adhibere. Cornelius Celsus rei chirurgicae peritissimus lib. 7. cap. 12. curationem proponit, quam etiam proposuit Aetius lib. 8. cap. 32. est autem operatio huiusmodi, ut lingua eleuetur versus palatum, ita ut tangat eum, deinde uncino leuissimo distendatur illa membrana, postea cultello acutissimo tota distendatur, ita tamen, ut venae nullo pacto violentur. ubi hoc factum est, abluendum est os postea, deinde inspergendus est puluis manna, thuris. deinde curandum est vulnus. si opus sit, ut caetera vulnera. addit vnum Cornelius Celsus; scilicet plerumque statim abscissa hac membrana loquelam restitui, interdum tamen non restitui; quia cum perpetuum sit, quod fieri debet, non est tamen perpetuum, quod sequi conuenit; Caeterum saepe vsu venit, ut ex vena violata inter incidendum, timeatur sanguinis profusio; quod dum timeatur, monet, & prudentissime, Auicenna ut membrana ipsa non abscindatur, sed circa radicem acu perforetur, & ipso acu deducatur filum, atque ita ligetur. nam hoc filum, si quotidie stringatur, breui, & blande membranam illam amputat; atque hic modus incundissimus est. ubi vero incisa est membrana, ne iterum coalescat, vel unguento aegyptiaco, vel pulueribus exsiccantibus reliquam membranae consumitur. In curanda autem omni balbutie diligenter spectandum est, quoniam causa praecipua sit, quia si polypus nasi eam efficiat, ad illum curandum dirigi debet omnis cura. Si fiat ob labium mutilatum, nulla spes superest. Si fiat propter detem excussum, haec vnica ratio est; ut dens ebur-

neus paretur, atque in loco deficientis ponatur, & reliquis dentibus alligetur; qui dens cum deinceps editur, aufertur; nam maximè inferuit hoc remedium & pueris, atque etiam viris. Si factum sit vitium hoc propter vitium cerebri, vel linguæ, vel musculorum, aut vitium oritur ex siccitate, aut ex nimia humiditate, & frigiditate. Si ex siccitate, vt contingit in febribus, & post phrenitides, danda est opera, vt omni ingenio humectetur & lingua, & initium spinalis medullæ. Ad humectandam linguam lactis mulieris gargarizati vsus utilis est, vtile est etiam sæpe linguam madefacere aqua maluæ, cui admistum sit oleum amygdalarum dulcium, & si vnà in aqua coquantur folia nimpheæ maximum iuuamentum afferetur. spinæ, seu principio spinalis medullæ conueniunt linimenta, quæ possunt emolliere partes illas:

R. Axungie porcine aqua maluæ lotæ,

Pinguedinis gallinæ ana vnc. i.

Olei amygdalarum dulcium,

Nenupharini ana vnc. s.

Croci scrup. s.

Misce, & in mortario fiat linimentum. Multò maius studium adhibendum est, vbi sit balbuties ex humiditate, & frigiditate linguæ, tum quia frequentius hoc vitium accidit, tum quia vt expugnetur, opus est plurimis auxilijs, & quod dicam de huius curatione, idem putandum de mutis, qui fiunt ob resolutionem à nimia humiditate. Scopus præcipuus in hac curatione est, vt lingua, cerebrum, ac muscoli mouentes linguam, exsiccentur & caleant; quia verò exsiccare possunt lingua & muscoli præsertim, vel si dissipetur humiditas, qua sunt oppleti, vel si eadem humiditas in alias corporis partes deflectatur; ea propter omnibus his incumbendum erit, vt humiditates omnino exsiccentur. Ad hoc verò peragendum auxilia petenda sunt & à materia diætetica, & à pharmaceutica, & à chirurgica. Primum igitur vbi curatio suscepta erit, erit prouidendum

vt

Vt æger curandus maneat in aere calido, & sicco; & for-
 san ob hoc apud Herodotum quando balbus ille consu-
 luit oraculum, qua ratione balbutiem suam curaret;
 responsum est ipsi, vt in Liuiam iret regionem calidissi-
 mam, & siccissimam. plus vigilandū; quàm dormien-
 dum. De passionibus animi clarum est, iram esse vitan-
 dam, quoniam, vt dicebam, relatum est multos sola ira
 in balbutiem incidisse. Cæterum de timore pulcerra-
 ma est quæstio, nunquid medicus in curanda balbutie
 debeat amare, aut fugere timorem; nam ex vna parte
 est ratio, omnino fugiendum esse, quia nō est dubium
 timorem frigefacere. quare dictum est à me aliàs timē-
 tes interdum balbutire. Sed ex altera parte habentur a-
 pud Historicos exempla, quibus solo timore pueros, at-
 que etiam viros, cum prius muti essent, sermonem ac-
 quisuisse fertur. nam narrat Pausanias Batum quem-
 dam mutum conspecto in deserto leone, maximo ti-
 more esse percussum, & statim loquelam comparasse.
 refertur etiam de Athi filio Cræsi, qui timens ne pater
 occideretur à Cyro, statim conspecto periculo sermo-
 nem acquisiuit. Quare cum hæc, quæ referuntur, videā-
 tur naturali cursu nullo miraculo euenisse; videtur et-
 iam posse interdum contingere, vt à medico excitata
 formidine curetur mutitas, siue balbuties. Problema
 hoc à nemine propositum ira soluendum mihi vide-
 tur; duplicem esse timorem, alterum à Græcis appella-
 tum *ἀγχιαν*, à nostris trepidationem: alterum vero esse,
 qui à nostris proprie timor, à Græcis *φόβος* dicitur.
 Trepidatio est, cum homines aggressuri aliquam ma-
 gnā rem, timent; quod genus timoris est maius ti-
 more appellato; in trepidatione, quemadmodum ha-
 betur apud Arist. II. sect. problemate 32. & 53. est veluti
 species quædam pudoris; vnde sicuti in pudore par-
 tes circa pectus, & faciem valde incalescant, vt indicatur
 ex rubore, sic, inquit ipse, trepidantibus merito fit ca-
 lor circa pectus & circa faciem; propter quem calorem
 vox grauis fit. In timentibus autem secus, quia in ijs

partes pectoris, & partes superiores refrigerantur; calor autem partes inferiores petit. Vnde dicebat Arist. s. scēt. problem. 4. illis, qui timent sponte fluere semen, viam, & faeces, eò quia calor detrusus ad partes infernas illas huiusmodi excretionēs excitat. Hac itaque resolutione constituta, facile est hunc nodum soluere, scilicet timorem simplicem non solum non iuuare balbutiem, verùm potius augere; eò quod ab illo refrigeratur & lingua, & pectus, & partes superiores, vt cognoscitur ex pallore. Cæterùm trepidatio maximè iuuare potest & balbutiem & mutitatem, quia calefacto pectore, & partibus superioribus, non est dubitandum posse tolli & humiditatem illam nimiam, & simul imbecillitatem, quæ oritur ex paupertate caloris natiui, vnde trepidationem hanc inducere pueris, omnino utile esse potest. Exercendum est corpus, quantũ fieri potest, præsertim verò exercenda est vox; & si quid est, quod possit prodesse balbis, & hæsitantibus, est continua locutio alta, & clara. habetur huius rei exemplum, Magni Demofthenis, qui, vt narrat Plutarchus in eius vita, & in libello de decem Oratoribus, superauit balbutiem sola vocis exercitatione, & contentione. nam dedit decem millia drachmarum Neoptolemo Histrioni, qui illum docuit versus plures vno spiritu proferre; scilicet vt iniectis in os calculis ascendens, & currens versus cõtinuò proferret. Abstinentum est, si viri sunt, à venere: pueris autem abstinentum ab vsu balnearum; vnde matres, quæ balbutientibus pueris solent caput sepe ablucere, malè agunt, cum augeant humiditatem, & causam huius vitij. Curandum vt aluus fluat quotidie, si non natura, saltem arte. abstinentum est à vino, vel utendum est eo paucifero, & in pauca copia. Utendum est in cibis aromatibus, salitis, acris edulij; abstinentum verò ab vsu pastitiorum, à nucibus, à piscibus; & vt vno verbo dicam, debet tota ratio victus exficcare & calefacere. Quæ ratione victus instituta puer erit purgandus. Primum enim si aluus sponte non fluxerit, erit liquanda

da hac potiuncula:

R. Foliorum saluix
 Betonix ana m. s.
 Coriandri drach. i.
 Foliorum fenax scrup. 2.

Fiat decoctio secundum artem, deinde

R. Distax decoctionis vnc. 2. s.
 Mellis rosati solutiui vnc. 2. vel vnc. 2. s.

Misce, fiat potus. Erit deinde corpus præparandum ad expurgationem:

R. Foliorum saluix,
 Origani,
 Stachados ana m. s.

Fiat decoctio secundum artem, deinde

R. Distax decoctionis vnc. 3.
 Oximellis simplicis drach. 2.
 Syrupi de betonica,
 De stachade ana vnc. s.

Misce, fiat potus. Postquam præparatum fuerit corpus, expurgandum erit & in hac expurgatione si licitum fuerit vti pillulis, erunt alijs medicamentis præferendæ.

R. Pillularum de hiera cum agarico scrup. i. s.
 Pillularum cochiarum scrup. i.

Misce, fiant pillulæ num. quinque, quæ vt facilius à pueris deuorentur, poterunt occultari vel in panatella, vel in aliquo iusculo; sed si pillulas recusauerint, dabitur potiuncula hæc:

R. Agarici trociscati scrup. 2.
 Gariophilorum gr. 4.

Infundantur in aqua stachados, vel betonix, deinde facta expressione adde diacatholiconis drach. 3. mcl. rosati solutiui vnc. i. cum decocto cordial. fiat potus. Purgato corpore deinde prouidendum erit, vt adhuc magis illæ partes, vnâ cum cerebro exsiccentur; & ad hoc agendum conueniunt medicamenta, quæ naribus atrahuntur, & sternutationes:

R. Succi radicum bethæ vnc. s.

Succi betonicae vnc. i.

Aquae coriandrorum lib. s.

Misceantur, & naribus attrahantur. Vbi paulisper purgatum fuerit pueri corpus, prouidendum est, vt & caput, & lingua continuo exsiccentur. Exsiccat continuo caput cauterium nuchae factum, quo remedio in hoc genere nullum ferè inuenitur praestantius; pari pacto ad exsiccandum caput magnoperè valent vesicatoria post aures adhibita, & diu conseruata. Exsiccaendae linguae confert, si illa fricetur modò melle, modò sale, saepissimè verò saluia; quam vsu probatum est magnoperè vtilem esse ad tollendam balbutiem. atque hic fit finis eorum affectuū, qui spectant ad motrice facultatē.

De vitij sensus communis.. Caput,

RELIQUVM est vt ad ea transeamus, quae pertinent ad sensus, & quia communis sensus alios antecedit & necessitate, & sede, ab hoc primò incipiemus. Solent autem duo vitia pueris circa hunc sensum cōtingere, quae omnia ad somnū, & vigiliam reducuntur; nam somnus in pueris vel nullo modo fit, aut paucus; & vigilia immoderata puerorū nuncupatur. aut fit alio modo quàm fieri deberet. In pueris quidē somnus nūquam fit moderatus, quandoquidem, vt dicebat Arist. 5. de generatione animal. 1. foetus quādiu in vtero manet, perpetuo quodam somno opprimitur, vbi vtero egressus est, maxima ex parte dormit, tū quia infans memor est perpetui somni, quem habuit in vtero, tum quia corpus habet humidissimum. est inquam humidissimum infantis corpus, non solum quia abundat multis humiditatibus, verumetiam quia, vt dicebat Alexander 1. lib. Medic. problem. 2. partes eius solidae humidissimae, & molliissimae sunt. quaerens enim is eo in loco, cur senes, qui abundant humiditatibus, vigilantissimi sint, pueri verò somniculosi, inquit id iccirco esse, quia etsi senes pluribus

pluribus humiditatibus scateant; habent tamen solida capitis sicca, infantes autem humida ea habent. Quare ex hoc discursu colligi potest, à natura comparatum esse, ut infantes maxime dormiant, & propterea somnos immensos in ipsis minime morbosos esse. Morbosi autem contingunt pueris somni, quando fiunt diuerso, ac prauo modo, atque aliter quam fieri deberent, cum enim somnus à natura animalibus sit donatus, ut eo spiritus, & calor qui in vigilijs consumuntur, reficiantur, & recreentur; id ut fieri possit, necesse est ipsum tranquillum esse. igitur vbi turbatur somnus, proculdubio naturalis esse non potest, sed morbosus est, atque hunc somnum turbatum in infantibus, & pueris appellat Hippoc. 3. Aphor. 24. somnos terrificos, Rafes lib. experimentorum cap. 6. appellauit proprio ingenio matrem puerorum. Est autem somnus hic perturbatus symptoma in genere actionum læsarum ipsius sensus communis. læsarum inquam deprauatè, eò quod vbi infantes pacatè dormire deberent, insomnijs quibusdam terrificis vehementissimè turbantur. Sed priusquam ulterius progrediamur, hoc in loco eximendus est scrupulus, qui forsitan ingenia multorum turbare posset, eò quia Arist. 4. de Hist. animal. 10. scribit infantes ante quartum ætatis annum non somniare, & post quartum annum paucis etiam insomnia contingere; quæ sententia non solum aduersa est communi medicorum sententiæ, verum etiam quotidianæ experientiæ refragatur; quoniam compertum est infantes multo ante quartum annum somniare. Respondendum est, & nodus Arist. ex ipso Arist. soluendus, qui 7. de Hist. animal. quasi corrigens priorem sententiã, inquit somniare quidem infantes, sed tardè insomniorum memorias conseruare; ut non sit dubitandum, quemadmodum tradunt medici, turbari posse ab insomnijs infantes, tamen ipsorum somniorum nullam apud se memoriam conseruent. Symptoma hoc sequitur suum morbum, qui morbus in ventriculo positus est, eò quia

vt copiose docuit Galenus in com. Aphor. 24. lib. 3. fiunt isti pauores in infantibus non ob aliud, nisi propter debilitatem ventriculi, atq; oris ipsius insignem sensum; propter quæ omnia, corrumpuntur cibi, & ex ijs corruptis, fiunt isti pauores. Modum autem, quo fiunt, præclare proposuit nobis Auicē. lib. 1. tract. 3. doct. 1. c. 3. vbi scribit ex corruptis cibus in ventriculo tristitiam oriri, cuius phantasmata deferuntur ad imaginationem, quam necessario deterrent, & consequenter faciunt insomnia terrificæ; quæ nihil aliud sunt, quàm operationes imaginationis circa phantasmata à sensibus oblata. Nec refert quidquam quod Gal. scripserit semper ita fieri. Auicē. verò vt plurimum; quoniam hic spectauit totam ætatem puerilem, in qua forsan, & ob alias causas possunt hæc insomnia cōringere. ille autem solummodo infantilem ætatem. Causa interna itaque est corruptus cibus in ventriculo; externa vero, vt Galenus asserit, lac, aut cibus, quasi ciclet copiosior sumatur, quàm par est, siue sit eius nature, vt difficiliter concipiatur in ventriculis infantium, & puerorum, seu facile corrumpatur; & corruptus acrimoniam quamdam acquirat, merito cuius velligerur, & veluti mordeatur os ventriculi; ita vt duo affectuum genera exinde videantur oriri in ventriculo, nimirum solutio continui, & intemperies; quæ facit imbecillitatē, à quibus postmodum, quemadmodum dicebam, oriuntur tristitia illa phantasmata; vt etiam sit hæc vera ratio, qua ductus Gal. 6. libro de placitis Hippoc. & Platonis & 2. de acutis, text. 45. dixerit homines fieri tristes, & turbatos, quotiescunque ventriculus grauatus est. Cognoscitur autem hic affectus eo potissimum signo, quoniam infantes inter dormiendam gemunt, concutiuntur; excitati verò vociferantur, clamant, nec vlla ratione sedari possunt. adhæc color ipsorum præternaturalis est, pariter etiam & calor; ab ore foetidus manat halitus, quo sæpè decipiuntur mulierculæ, existimantes illud esse indicium vermium; cum tamen non sit Gal.

Gal. loco citato 3. Aphor. scribit sese obseruasse huiusmodi affectionem etiam in prouectioribus fieri, quod quidem verissimum est, & soleo ego dicere huic affectui infantum proportionem respondere affectum illum, qui fit in prouectioribus, & qui incubus nuncupatur; ita ut sicuti incubus in adultioribus passio grauis est, quippe quæ sit veluti antesignanus apoplexiæ; sic somnia ista terrificæ solent esse argumenta epilepsiæ, & aliorum prauorum morborum. Ex quo sicuti incubi habenda est ratio, pari pacto studendum est; ut quamprimum huic affectui occurratur. Ratio verò occurrendi posita est in hoc potissimum, ut diligenter perspiciatur, ne cibi, aut succi in ventriculo corruptantur; & quia contingit corruptio tum propter ventriculi imbecillitatem, tum maxime propter errorem alimenti, primum incumbendum est, ut omnis error alimenti euitetur; & ideo si puer lactens sit, diligenter perspiciendum erit, nunquid nutrix sit proba, vel improba. quæ si fuerit improba, mutanda est: si probæ nutricis habeat notas, existimandum est lac vitiatum esse aliqua ratione, aut ab ipsa plus offerri, quam par est. Si plus offeratur lactis, studendum est, ut parcius mamas porrigat. Sed si vitium sit in lacte, cum non habeat illud vitium ex nutricis intemperamento, necessarium est coniectare lac vitari, propter errores vitæ: ea propter prouidendum erit, ut nutrix optima ratione viuat, atque ea, quam sapientius docui, quæ scilicet succum, & lac inculpatum producere possit. Pari pacto si puer ab lactatus sit, videndum est an plus comedat quam par sit, an verò prauis edulis nutriatur. Vtrum fecerit, prouidendum est, ne amplius vel in copia, vel in qualitate erretur. Id autem fiet, si fructus, cibos duros, & graues, nimis calidos, potum vini præsertim meracioris fugiat. Sed quia non solet sufficere victus ratio ad affectum iam productum tollendum, opus est ut cibi corrupti è ventriculo, & intestinis tollantur. Ad quod agendum laudat Rases loco citato, atque Auicennas, ut mel deglutiendum detur

infanti, quod sua facultate deterforia aluum eius mouet, & quidquid corrupti inuenit in ventriculo, & intestinis secum defert. Si mel non possit administrari, glandes erunt subiiciendæ vel ex sapone, vel ex axungia porcina, vel ex melle. Vtilis est & clyster huiusmodi:

R. Seru. ꝑ. 6. vel 8.

Mellis communis ꝑ. 1. s.

Salis scrup. 1.

Misce, fiat clyster, qui maximè potest abluere intestina, & humores corruptos ducere. Si verò sit grādiuisculus, poterimus non solum uti vel melle, vel clysteribus, vel glandibus, verum etiam hiera, quam laudauit mirificè Galenus ad educendos è ventriculo cibos corruptos. Vbi euacuati sunt cibi, & succi corrupti, relinquatur vt prospiciatur imbecillitati vetriculi & extrinsecus, & intrinsecus. Extrinsecus quidem inuentiones, fomentationes, quæ sunt ex absinthio, rosis, & vino. Sunt etiam cerata, cuiusmodi est istud:

R. Foliorum absinthij drach. 1. s.

Polij montani drach. 1.

Schœnantii,

Laudani ana scrup. ʒ. s.

Mirrhæ,

Aloes ana scrup. 1.

Terantur diligenter, & cum cera, ac modico therebinthina fiat ceratum, quod & ventriculo, & vmbilico apponatur. Extrinsecus vtile est gestare collo appensum corallum rubrum, quem experientia comprobatum est secreta qualitate corroborare ventriculum, si illum extrinsecus tangat. Vnde non male faciunt matres, quæ puerorum colla, & pectora corallis ornare solent. Intrinsecus laudat Rases confectiōnem Diaplyris arcont. laudat etiam si diamusci scrup. s. infans deuoret, vel si tantundem Theriacæ magnæ sumat. Potest etiam parari aliqua rotula, quæ ventriculum pueri confirmare possit, exempli gratia:

R. Specierum diamusci scrup. 1.

Diacalamenti scrup. 1. s.

Sacchari,

Sacchari, &

Aquæ rosacæ quantum sufficit.

Miscet, & fiant rotulæ parvæ, quarum singulo mane poterit vna præberi, & paullo post exhiberi lac; aut si sit ablactatus, modicum brodij, vel vini. nam aduertendum, huiusmodi rotulas esse in puluerem redigendas, & infantib. vt monebat Rases, vna cū lacte exhibendas.

De Immodica puerorum vigilia.

Cap. IX.

SICVT in somno, quamuis immenso, pueri nunquam morbofi fiunt; sic vbi somnus exiguus est, vel nullus, necessarium est ipsos ægrotare, idque cum in viris perniciosum iudicetur, non est dubitandum multo magis in pueris nocere; quos, vt fieri dicebã nuper natura comparatum est somniculosos esse. Cum igitur pueri neque motu, neque cantu, neque pannorum mutatione, neque vlla alia diligentia possunt ad dormiendum cogi, fit in illis ea præter naturam affectio, quæ appellatur immodica vigilatio. Diuersus tamen est hic morbus à vigiliis adultiorum, quoniam absurdum est existimare, posse hunc in infantibus oriri ab ea causa, nimirum propter siccitatem, à qua fiunt vigiliæ in adultioribus. Ea propter iure hoc constitutum fuit ab omnibus medicis, vbi infantes nimium vigilant, id non aliunde proficisci, quàm à corruptis cibis in ventriculo, à quibus cum vapores acres iugiter in cerebrum ferantur, ii membranas pertinentes somnum impediunt. Sed dicit aliquis, cum & somnia terrificæ, & immoderate vigiliæ fiant ob corruptos in ventriculo cibos, quæ causa est, quod non semper vel vigiliæ, vel infomnia producantur. Facile est huiusmodi discrimen intelligere, quoniam vbi à corrupto cibo non feruntur vapores, sed tristitiæ phantasmata, quæ solam imaginationem

percellunt, efficiuntur insomnia terribilia. vbi verò vapores efferuntur, atque illi acres, cum somnus impediatur, non insomnia, sed vigilia suboriuntur. Nō autem est opus signis, vt hæc affectio in infantibus cognoscatur; quia fere semper aut plorant, aut clamant, nunquam dormiunt. Malum verò est hoc ægritudinis genus, non tantum quia Hippocrates 2. Aphor. 3. dicebat, somnum, & vigiliam, si modum exceſſerint mala esse, verum etiam, quia est affectio valde dissentanea naturæ infantium, & iccirco danda opera est, vt omnino hæ vigilia tollantur. Posita autem est tota curatio in eo potissimum, vt ventriculus corrigatur, quo cibos nō corrumpat, rum vt omni arte somnus procuretur. Pro vtrisque autem consequendis magni interest lacti in primis prospicere, vt scilicet, quemadmodum dicebam, & debita mensura præbeat, & illud sit debitis conditionibus præditum. Vnde nutrienda est nutrix cibis optimi succi, præsertim verò lactucis, seminibus papaueris, amygdalis dulcibus, & id genus, quæ somnum conciliare apta sunt. à vino præsertim generoso abstinendum erit, tum sæpè curandum, vt puerorum corpora mundentur, ac abluantur, vt dum clamant, vel motu, vel cantu demulceantur. nam, vt hoc obiter doceam, refert Seneca in libro de Prouidentia, Mæcenatem tribus annis integris sine somno permanisse, & tandem ab hac ægritudine liberatum esse sola placida, & leui harmonia. Ventriculo & linimenta & vnctiones, & fomentationes, vt monebant, erunt administrandæ. Pueri verò extrinsecus diapopleon temporibus inungitur, succus etiam alterci cum oleo violato, succus papaueris. Solent quoque mulieres aduersus hanc calamitatem vti confectione quadam, quæ vocatur requies Nicolai, qua vtendum saltem erit, quando summa cogit necessitas. nam ore sumitur; vbi autem hoc modo nimis frequenter exhibentur hæc opiata, solent & corporibus officere, & ingenium puerorum mirifice retardare.

Caput

Caput de Siriasi.

POSTULARET hic locus, vt vitia sensus auditus, & visus prosequeretur; sed quia nihil ferè peculiare habent infantes in morbis, fatius esse duco transire ad vitia capitis, quæ pertinent ad facultatem naturalem, quæ ue sepius pueros infestare solent, & quodammodo illorū propria videntur esse. sunt autem huiusmodi vitia vt plurimum intemperies, & inter has vna est, quæ infantes, vt dicebat Alexander 1. Problem. medic. 98. etiamnum perfectos exercere solet, & vocatur à Græcis *Σιριασις*. Alexander loco citato appellat *χούμυς*. Plinius imitatus Græcos appellat modò ardorē capitis, modò deustionem. Auicennas de hac tractat sub nomine *erisyipelatis* cerebri. Rases lib. 1. Contin. nuncupat *Σιριασις*, sed nolo præterire vnum circa hoc nomen *Σιριασις*: nam Actius lib. 4. cap. 13. vult hanc ægritudinem propterea vocatam esse *σιριασις*, quia, vt videbitur suo loco, fit in hac ægritudine quædam fouea in sincipite infantis. à Græcis autem fouea vocatur *σιρος*, atque inde *siriasis*, alij voluerunt *σιριασις* vocatam esse à Sirio astro, hoc est à canicula, quod scilicet, vt scribit Alexander, tunc temporis hæc ægritudo potissimum gignatur. Non desunt etiam, qui existimant hunc morbum esse illum, quem Plautus appellat morbum solstitialem, quo scribit, tempore suo consueuisse perire Syros omnes, id est, seruos, qui è Syria veniebant. Sed vt cunque sit, Actius loco citato, & Paulus Aegineta libro primo capite decimotertio, definiunt hunc morbum esse inflammationem partium, quæ sunt circa cerebrum, & membranas, ex quorum sententia patet, hunc affectum esse morbum in magnitudine. vel, si loqui placet secundum Galeni consuetudinem libro de Differentiis morborum, capite 5. esse intemperiem cum affluxu materiæ. locum verò affectum esse cerebrum ex eo demonstrat Alexander, quoniam medicamenta refrigerantia cerebro ad-

hibita hunc morbum tollunt. Et quia dixi esse intemperiem cum affluxu materiae, non nihil diffensionis inuenio inter medicinae scriptores in docendo, quodnam sit genus huius materiae. Alexander loco citato scribit propterea siriasim oriri tempore aestatis, quoniam capita infantium pituitosissima sunt, propter quod pituita ipsorum facile sub immenso aeris calore putrefit; quia putrefacta fiunt ardores, febres ardentes, & alui fluxus. Ex quo loco colligitur secundum Alexandrum, hanc materiam esse pituitam, vel humorem pituitosum. Contra Arabes ferè omnes statuunt hanc materiam esse bilem, non quidem bilem illam deustam, sed mitiorem. atque hanc sententiam confirmare nituntur ex calore, ex dolore, & ex vultus pallore, quo infantes sub hac aegritudine afficiuntur. Dicendum est pro hoc diffidio tollendo, materia, quae verè facit hunc morbum, neque esse veram pituitam, neque puram bilem. Non est vera pituita, quia illa frigida, & humida est; humiditates autem puerorum sunt calidae. quod cum intelligeret Alexander i. Problem. 2. dicebat senes canescere, quia abundant pituita; non canescere pueros, quia in iis pituita, quae est frigida, & humida, non abundat. Non est etiam vera bilis, quia in capite humido, & penè aquo excogitari non potest, quomodo calor ante morbum, vel etiam in ipso morbo possit humorem feruidissimum producere. Quae ergo est materia? Est humor, qui dum putrefit, quodammodo adumbrare videtur naturam bilis, non quod sit vera bilis; aut vera pituita. Causae externae sunt aer aestuosus, percussiones, casus, lac. nam sicuti dicebat Lucretius in libro primo de Natura, foetus tenetos caprarum dementari à lacte mero, sic non est dubitandum tenera cerebella infantium à lacte nutricis magnopere percipi, & offendi. Cognoscitur hic morbus, quoniam in syncope apparet fouca facta, propterea quod ardor inflammationis exsiccat cerebrum, quo exsiccato cranium deprimitur suo pondere, & cavitatem facit. adhuc oculi caui sunt
eadem

eadem ratione, ardor totius corporis. adest febris continua, pallor vultus. addit etiam Alexander, imbecillitatem quãdam, vigilias, & alui fluorem. Cæterum malum hoc grauissimũ est, & si est illud idem, quod Hippocrates 7. Aphor. Aphorif. 50. appellat cerebri sphacllum, proculdubio exitialisissimus morbus est, quippe qui solet infantes triduo iugulare; & Hippoc. inquit, si triduum transierit, spem esse salutis, quãquam in coactis prænotionibus dicat etiam septima die hunc morbum infantes perimere. Curationis ratio in duobus potissimum consistit, in refrigeratione, & in materiæ fluxæ dissolutione. Ad refrigerandum hanc cerebri intemperiem operæpretium est diligentia uti, quo nutrix solam aquam bibat, & in iis cibis utatur, qui maxime refrigerare possint, ut est ptisanæ cum emulsione seminum papaueris, brodia ex lactuca, & endiuia; præsertim verò in aere frigido nutrix, & infans tenendi, atque simul in summa quiete & animi, & corporis. Vñs pharmacorũ omnino inutilis, & perniciosus est, quod si tamen alius pueri non respõdeat, subducenda est vel glauce communi, vel clystere facto hunc in modum:

R. Succi ptisanæ vnc. 3.

Seri caprini, vel qualiscunque vnc. 5.

Sacchari rubei vnc. s.

Misce. Extrinsecus laudant ferè omnes vitellum ouitum oleo rosacco, exempli gratia:

R. Vitellum oui crudum num. 1.

Olei rosati vnc. 2.

Succus quoque Heliotropij mirificè commendatur & à Dioscoride, & ab aliis; conuenit etiam succus solatri, lactucæ; sed præsertim succus citrullorum, qui melones ab Arabibus vocantur, & succus cucurbitarum; nam poterunt capi cortex citrullorum, & caro cucurbitæ, atque simul conteri, deinde succus exprimi, necnon folia lactucæ in hoc succo immacerari, ac deinde capiti superponi. etsi desint folia, loco ipsorum panis subtilissimi linei capi poterunt. Sed duo debent ob-

seruari. Vnum est, vt non transcantur hæc remedia refrigerantia, quia periculū est, ne vitantes ardorem, incidamus in glaciē, hoc est, ne ex graui morbo fiat alter grauior. Aliud obseruandum est, vt hæc medicamenta, quemadmodum omnes moent, assiduo mutantur, atque semper vel tepida tempore hiemis, vel frigida æstu tempore æstatis vsurpentur; eò quod si diutius detineantur, solent exsiccare, & incalescere, vnde postmodum tam obfunt, quam iuuant. Ad dissoluendam materiam fluxam, vbi sedata erit inflammatio, erunt omnino auferenda medicamenta refrigerantia, & loco ipsorum vtendum erit primū, quæ modicè discutiant, deinde quæ paullo efficacius; exemplum primi hoc est:

R. Vitellum oui num. i.

Olei chamomelini vnc. 2.

Misce. exemplum secundi:

R. Florum chamomeli p. i.

Foliorum pulegij,

Anethi ana m. s.

Furfurum in petia ligatorum p. s.

Fiat decoctio secundum artem, deinde

R. Dictæ decoctio nis lib. s.

Olei chamomelini,

Anethi ana vnc. i.

Conquassentur omnia diligenter, deinde adhibeantur tepida capiti.

De Coryza, tussi, & anhelitus difficultate. Cap. X.



CAPITIS intemperiem sequuntur nonnulla alia symptomata, quæ ab Hippoc. 3. Aphor. 34. inter affectus puerorum numerantur; atque ea sunt, coryza, tussis, & anhelitus difficultas. nec solum Hippoc. verum etiam Aristoteles. 1. Problem. 16. scribit pueros tentari frequenter coryza,

pro-

profluuiio sanguinis è naribus, & pediculis. Sunt autem omnes hi affectus soboles, & effectus destillationis. Sed forsan curiosum aliquod ingenium intelligere optabit, an, quemadmodum dicebat Socrates 3. de Republica, destillationem tempore suo fuisse nouū morbum, & non nisi tempore Homeri innotuisse; similiter destillatio puerorum eo tempore fuerit noua ægritudo. Breuiter puto ego huiusmodi ægritudinem ipsis pueris, si non naturalem, saltem per familiarem semper fuisse, quandoquidem consequitur penè naturale, omnium puerorum temperamentum. Illud quidem verum est, magnopere referre parentum morbidum semen, quia sicuti tempore nostro infantes, qui oriuntur ex parentibus destillationi obnoxii, mirifice hac ægritudine sollicitantur; pari pacto veterū tempestate cum homines minus destillationibus tentarentur, erat rationi consentaneum, pueros etiam multo minus tentari. Itaque destillatio cum sit defluxus materiæ pituitosæ in subiectas partes, si ad nares materia fluat, fit ille affectus, qui vocatur coryza; si ad partes pectoris descendat, & à spiritu exeunte repellatur, fit ille motus, qui tussis vocatur. Sed si eadem materia magna ex parte in pulmones præcipitetur, & vias spiritus obstruendo, & corpus pulmonis grauando, anhelitus difficultatem inducit. raro autè hæc materia facit in pueris raudines, propterea quod lactentes, vsu lactis assiduo detergunt fauces, neque sinunt in illis partibus pituitam firmari. in adultioribus autem fit etiam raro raudedo, quoniam secundum partes illas pueri valde calidi sunt, cuius caloris ratione facillè exsiccatur pituita in illis partibus. Sunt verò hæc omnia, vt dicebam, symptomata partim in genere excrementorū maturorū, partim verò in genere actionū laesarum. Morbus autem, quem consequuntur, nullus alius est, nisi intemperies semper humidissima cerebri, interdum frigida, interdum calida. Frigida est, quoniam, vt dicebat Rases in practica sua, infantes cum trahant aerem consueto frigidiorum, ne-

P

cessario ipsi cerebrum refrigeratur. Calida autem fit
intemperies in pueris propter varias causas. Primum
ob proprium temperamentum, quod calidissimum
est; deinde ob externas causas, quæ æquæ possunt in-
temperiem calidam, atque frigidam producere. Inter
externas est aer frigidus, atque etiam calidus; ignis, fu-
mus, integumenta nimia, præsertim capitis. & in hac re
frequentissimè errant nutrices; quæ plus nimio cale-
facientes capita infantum, & integumentis, & igne, oc-
casionem præbent destillationibus validissimis. sic
etiam nutricum importuna ingluuies, præsertim verò
crapulæ frequentes puerorum destillationes faciunt.
Iacobus de partibus in Comment. ad caput Auenariæ
3. Doctr. 1. Fen. 3. primi libri scribit, Galen. in Comment.
Aphorism. 24. lib. tertij tribuisse causam tussis infan-
tiam lactis nimie sumptioni, quasi lac haustum vehe-
menti impetu prorumpat etiam in asperam arteriam.
Sed hæc sententia non habetur eo in loco à Galeno, ne-
que etiam mihi videtur digna, ut adferatur; quia illa
tussis, quæ fit ex lactis haustu, non est morbosa, neque
opus habet medici industria, quandoquidem sponte
curatur, ut vna, vel altera vice solo lactentis studio ex-
tinguatur. Cæterum facile est cognoscere pueros hisce
symptomatibus oppressos; ad cognoscendum autem
materiam peccantem, vtrum frigida, an calida sit, opus
est aliquibus signis. nam si calida sit, frequenter ster-
nuunt infantes, color vultus floridus est, fauces rubent,
& dum mammas sugunt, eas magnopere calefaciunt,
ut referant ipsæ nutrices, se calorem sentire. Contra, si
materia frigida sit, rarissimè sternutationes fiunt, nulla
coloris vultus mutatio, nullus calor in ore percipitur.
Malum hoc salutare est, sed si negligatur, quod quidem
fit & à nutricibus, & à pueris, solet interdum non so-
lum asthmata, verum etiam ramices, seu heinias, atque
alia mala producere, præsertim verò solet mortem in-
terdum adferre; quapropter diligenter infantes sunt
ab hoc morbo vindicandi; & tota curationis ratio in
his

his posita esse videtur, vt prouidatur ne materia fluat ad partes infernas, & vt, quæ fluxa est, omnino educatur; deinde vt cerebri intemperamentum corrigatur, quæ omnia vt præstari possint, quod sæpissime dicitur est, magna diligentia adhiberi debet, vt si infans sit lactens; nutritrix omnino & se ipsam & puerum custodiat ab omni aeris excessu, ab igne, a fumo; præsertim autem dimittat usum vini, vel eo parcissime utatur. Sic etiam cibos omnes vitet, qui flatulenti sunt, qui crassos succos gignunt, & qui caput percutere solent, vt sunt aromata omnia, & ea ciborum genera, quæ cum aromatibus condiuntur. & aduertendum est, licet vbi materia calida est, possint concedi aliquantisper & aromata, & calidiores cibi; veruntamen hoc parcissime agendum esse, eò quia omnia, quæ perunt caput, tum materias calidas, tum frigidas eliquare, & fundere apta sunt; materia vero fusæ, & liquatæ omnes has ægritudines, atque etiam alias plures inducere possunt. Cum, vt memoriæ mandauit Auicennas, destillatio sit mater omnium ægritudinum, atque quod dixi, faciendum esse in nutritricibus, eadem ratione faciendum est in pueris ab lactatis; qui sæpè importuna viuendi ratione & grauedinēs, & tusses, & anhelitus difficultates, si non insanabiles, saltem valde diurnas reddunt. Præter vitæ rationem sunt alia remedia; quæ partim ad retinendam fluentem materiam, partim verò ad consumendam iam fluxam conducunt. Paulus Aegineta lib. 1. cap. 7. cuius auctoritatem produxit Auicen: loco citato, scribit ad consumendam humiditatem capitis prodesse, si capita puerorum perfundantur aqua calida; quasi hoc sit efficacissimum remedium ad destillationes, & tusses puerorum finiendas. Sed pace Pauli, & Auicennæ huiusmodi consilium mihi probari non potest, quia calida aqua affusa, si nimium calida sit, offendit, quoniam & materias magis liquat, & sensus infantis imbecillos vehementer percutit. Si autem tepida sit, clarissimum est eam magis relaxare, magis humectare,

& cōfequenter ægritudinem augere. Puto autem Paulum hac in re deceptum eſſe forſan ex malo intellectu ſententiæ Hippocratis, atque Galeni, qui quinto Aphoriſm. 22. dixerunt, calidam capiti affuſam κεφαλαλγους, id eſt, capitis grauitatem tollere. & Galenus interpretans ſententiam Hippocr. dicebat, calidam affuſam capiti diſſipare, & conſumere graues humiditates, à quibus capitis grauitas inducitur. Sed multum differt & capitis grauitatem curare, præfertim in uiris, & curare vel tuſſes, vel grauedines, vel difficultates anhelitus in pueris. quo circa ſi eſſet aliquid capiti adhibendum in hac curatione, potius adhibenda eſſent ea, quæ cutim blandè exulcerant. quoniam ſicuti videmus vlcera in capite ſponte nata, pueros à ſimilibus ægritudinibus vindicare; ſimiliter rationi conſentaneum eſt, vlcera arte facta poſſe eaſdem curare. Ad euacuandam materiam, & diuertendam confert, vt aluus infantis ſit ſoluta, quod fieri poterit vel glande, vel clyſtere. Vomitus etiam maxime conducit ad euacuandam pituitam, quæ & fluit, & fluxa eſt. ac propterea Paulus, Auicenna. & omnes iure ad excitandum vomitum, & euacuandam materiam laudant, vt digito melle intincto, lingua pueri deprimatur, atque ita vomere quodam pacto doceatur. Sic multa alia ſunt propoſita à medicis, ad euacuandam huiusmodi materiam, cuiusmodi eſt mel violaceum cum puluere Ocymi, exempli gratia:

R. Mellis violati vnc. i.

Pulueris Ocymi drach. i.

Miſceatur, & ponatur in ore infantis, deinde mamma porrigatur. hoc enim debet eſſe perpetuum, vt quotieſcunque puer debet ore aliquid ſumere, ſtatim eo accepto porrigatur mamma. Mel ſimplex cum ſeſamo etiam laudatur. Raſes in materia frigida laudat mirram cum melle; in materia autem calida poterit hoc uſurari:

R. Seminum papaueris albi drach. i.

Dragaganti drach. s.

Semi-

Seminum cucurbitæ drach. 3.

Contundantur omnia, & cum decocto sebesten fiat liquor. Sic diadragantum, quod nos parari iubemus cum succo farfæ frequenter vsurpatum, ad tusses finiendas mirifice valet. Vfus autem est, vt in puluerem redigatur, & pulueris scrup. s. misceatur cum modico mellis violati, atque ita infanti lambendum porrigatur. Valet enim ad tussim sedandam, & si difficultas anhelitus adierit, poterit administrari loco mellis syrupus de hyfopo. Extrinsecus etiam cura gerenda est, vt totus thorax infantis mollis conseruetur, quo possit dilatari, & inferuire eductioni materiæ; quare optimum erit vel butyro aqua maluæ loto, vel oleo amygdalarum dulcium, aut amararum & pectus, & dorsum inungere; immò verò poterit etiam offerri ad deglutendum ipsi puero oleû amygdalarum amararum, si sustineat, aut amygdalarum dulcium.

De Dolore, & humiditatibus aurium. Cap. XI.



NT E R morbos pueriles numeratur ab omnibus medicis aurium dolor, qui à Græcis vocatur *αἰτμαλγία*. Hipp. 3. Aphor. 24. numerat etiam aurium humiditates. Est autē dolor iste tristis quædã sensatio, quæ partes circa meatû auditorium vehementer afficiat: afficit autē vehementer eò, quia aures totæ ferè sunt neruæ; & quemadmodû dicebat Hipp. in lib. de affect. internis, cruciatus podagræ fieri acerbissimos propter multitudinem neruorum illius partis. pari pacto dicendum est, dolores aurium esse atrocissimos, quoniam hæ partes maximè neruæ sunt. Sed video dubitari, si neruæ sunt aures, qua ratione Arist. 32. Problem. scribat ipsas esse partes calidissimas, atque iccirco maxime omnium corporis partium esse colloratas, & rubore suffundi? Dicendum est aures posse considerari & secundum partes inter-

nas & secundum externas. Secundum partes internas frigide sunt; secundum externas calida; quonia he partes & cartilaginee, & carneae sunt. & de his loquebatur Aristot. quando dixit, aures esse calidissimas; Ceterum humiditates aurium sunt symptomata in genere excrementorum mutatorum, quae oriuntur propter vitiatam coctionem cerebri. Vitiatur autem coctio ob intemperiem valde humidam cerebri puerorum. Dolor vero symptoma est in genere actionum tactus depravatarum. Laeduntur autem istae actiones propter morbum communem, nimirum solutionem unionis, & propter intemperamentum, quod plerunque cum materia est, quae non solum fouet intemperiem, verumetiam continui solutionem efficit. Causae interna, & contentiue harum affectionum sunt ipsi humores, aut alia corpora. vt humores, seu humiditates varia, pituitosa praesertim, & biliosa: pus, seu sanies: flatus: & vermes. nam haec omnia corpora intra aures detenta magnopere ipsis nocent, vt dicebat Hippocrates in libr. de glandulis. Sed priusquam ulterius progrediamur, duo occurrunt dubia circa has causas, cognitione digna. Vnum est, quoniam Galenus exponens verba Hippocrat. Aphorism. 24. quaerit quam ob causam Hippocrates inter morbos pueriles recenset. solas humiditates aurium, non autem humiditates palati, & narium; & respondens, inquit, hoc ideo factum esse a sapientissimo sene, quoniam excretiones humiditatum per nares, & per palatum naturales sunt, excretionem autem per aures morbosam. Fauere potest auctoritati Galeni etiam auctoritas Hippocratis in libello de structura hominis, in quo recensens vias, per quas natura excernit excrementa, nominat & oculos, & nares; aurium autem nullam mentionem facit. vt eo loco videatur praetermissa excretio per aures, quod non sit excretio naturalis, vt dicebat Galenus. Sed aduersus sententiam Galeni est alia Hippocratis auctoritas, qui in aureo illo libello de glandulis enumerans vias excretionum naturalium, dum

dum loquitur de auribus, explicitè dicit, excretionem per aures esse secundum naturam. Facit etiam aduersus Galenù ratio, quoniam etiam excretiones narium, & palati interdum sunt morbosæ. nam coryza est excretio humiditatum per nares; attamen, vt dixi, morbosæ est, quo fit, vt quemadmodum hæc excretio interdum morbosæ, & interdum secundum naturam est, pari pacto asserendum sit de excretionè humiditatum per aures. Alia dubitatio est, an verum sit, vermes posse aurium dolores in pueris facere, nam si locum auris consideremus, cum sit totus neuueus, & angustissimus, minime capax videtur generationis alicuius animalis. Si pariter consideremus materiam, dicebat Aristoteles 32. Sect. Problem. excrementa aurium esse amara, quamquam in reddenda causâ amaritiei multò inferior videatur esse eius sententiâ sententiâ Galeni, de qua alias dixi: Ex materia autem amara non potest gigni yllum animal; nam solebat dicere Galenus in mari mortuo, nullum animal adulescere, neque generari, quoniam ea aqua amara est. Pro resolutione primi dubij, quod quidem grauissimum est, duobus modis responderi potest. vno modo, quod Hipp. & Gal. 3. Aphor. loquuntur tantummodo de naribus & auribus infantium, in quibus excretio per nares nunquam sit morbosæ, sed solummodo excretio per aures. Verum hæc responsio nō mihi satisfacit, & iccirco accommodatius potest responderi, naturâ excernere humiditates vel spontè, vel coactè. Excernit humiditates per nares, & per palatum spontè, propterea iure naturalis nominatur à Galeno hæc excretio. verum per aures facit quidem natura excretionem, sed coacta; coacta inquam vel à copia humiditatum, vel à loci conditione. Vnde quando Hippoc. in lib. de glandulis ait, excretiones per aures esse secundum naturam, vult dicere fieri à natura, sed non spontè; nam eo in loco enumerat vias, per quas natura excernit, tam spontè, quam coactè. Ad secundam dubitationem dicendū est, vermes in auribus generari ex p̄t-

tuita dulciori, non autem ex parte amara; immò verò humiditates aurium puerorū non sunt amarae, quemadmodum sunt adultiorum, eò quod in ipsis non ea superabundat bilis, quæ humiditati aurium permista, inducere amarorem queat. Neque obstat loci angustia, quoniā anfractus illi aurium, etsi satis arcti sint, capaces tamen sunt pusillorum animalium, quales sunt vermes, qui in auribus gignuntur. Causæ externæ sunt frigus, & calor immoderatus aeris, venti, temperatura humida. nam Arist. 5. de generatione animal. 2. dicebat aures vehementer affici sub constitutionib. temporum humidioribus, à quibus replentur spiritibus, seu flatibus. Casus, percussiones, fricationes nimix aurium inter has causas numerantur. atque est dolor aurium vitium satis graue, & molestum, immò etiam periculosum; quoniam, si, vt dicebat Hippoc. in Prognosticis, & in coacis prænotionibus, pertinax aurium dolor cum febre adultos septima die interimit, multò magis potest interimere infantes, qui propter totius corporis teneritudinem, & propter sensuū imbecillitatem magno pere à quouis dolore affliguntur; & iccirco non est huius mali negligēda curatio. ac primo, quoniam isti dolores sustineri non possunt ab ipsis infantibus, neque etiam à pueris grandiusculis, danda est opera, vt quamprimum leniatur: alioquin perseverante dolore suboriuntur vigilix cōtinuæ, à quibus deinde exitiosa mala oriuntur. Modus sedandi hos dolores, varius est, & in primis vtendum est mitioribus; huiusmodi est aqua, & oleum rosaceū mixta simul, in quibus tepentibus immaceratur spongiola, & deinde supra aurem dolentem ponitur. Sic etiam iuuat lac tepidum pannis lineis exceptum, & super aures positum; quibus si dolor non leniatur, ad aliā transeundum est, vt est decoctum papaueris; nam accipiuntur capita papaueris, & decoquuntur in aqua, atq; eò decocto tepida spōgia tepida immacerata super partem affectā detinetur, atque hi sunt modi, quibus statim necessarium est lenire dolorem.

Sed

Sed quia vera curandi ratio posita est in causarum doloris ablatione, diligenter in primis erit considerandum, quae sint causae doloris. Causae autem cognoscuntur aliquibus coniecturis; nam cum infantes res suas narrare non possint, coniecturis quibusdam cum ipsis agendum est. itaque si à flatu fiat dolor, cognoscemus, quoniam dolor modò abit, modò redit; nam scire an dolor sit tenuius, an pungitius impossibile est in pueris; immò verò dolor in vniuersum aurium hoc solo ferè indicio cognoscitur in hac ætate, quod dum contrectatur hæ partes, pueri vehementius clamant, & tactum auersari videntur. Si fiat dolor à caussis calidis, cognoscitur rubore, & calore ipsarum partium. Si à frigidis, nulla erit mutatio coloris. deinde etiam calida, vel tepida demulcent, quemadmodum in calidis humoribus frigida. Si fiat dolor à pure, vel à vermibus, cognoscitur, quoniam hæc exeunt, & sponte sese manifestant. Itaque vbi dolor fit à flatu, victus ratio & pueri, & nutricis ea debet esse, quæ flatus discutere possit. inter cætera vsus coriandrorum nutrici accommodatus est; debet autem vitari aer frigidus, & ventosus, & puer ita iacere, vt super aurem dolentem dormiat; quandoquidem hoc situ partis calor auctus dissipat flatum. Extrinsecus verò poterit infundi in aurem vel oleum de pipèribus, vel si hoc nimis calefacit, oleum chamomelinum, anethinum. Confert etiam hæc decoctio cum spongia auri adhibita:

R. Florum chamomeli p. i.

Foliorum anethi,

Maioranæ ana m. i.

Anisorum ꝑnc. s.

Bulliant simul secundum artem. Si fiat dolor à vermibus, vel à pure, studendum est, vt diligenter aures detergantur continuo, quod quidem fit vel mulsâ, vel solo melle; & ad euacuandos vermes ea sunt auri infundenda, quæ suo amarore solent hæc animalia enecare; vt est oleum amygdalarum amararum, puluis nitri, pul

urs absinthij poterit oleum hoc pacto parari :

R. Olei communis vnc. 2.

Seminum absinthij vnc. s.

Nitri drach. s.

Bulliant in duplici vase, deinde fiat expressio, & vsurperur. Si sint humiditates, atque puer grandiusculus sit, ita vt expurgari possit, per tres dies sumat hanc potiunculam:

R. Foliorum myrthi,

Bethonica,

Strachados,

Violarum ana m. s.

Fiat decoctio secundum artem; deinde

R. Dictæ decoctionis vnc. 2. s.

Syrupi de absinthio,

De strachade ana drach. 2.

Misce Post acceptam hanc potiunculam purgabitur caput hoc pacto :

R. Pillularum de agarico scrup. 2.

Castorei gr. 1.

Gariophil. gr. 2.

Misce, & cum melle rosato solutiuo, fiant pillulæ num. quinque. Expurgato capite, deinde vtendum est medicamentis, quæ infunduntur, vt desiccantur illæ humiditates, & si materia frigida fuerit, oleum irinum optimum erit, & oleum rutaceum, vel decoctum illud, quod præscripsi in materia flatulenta. Sin autem materia sit calida, oleum rosatum cum oleo chamomelino conuenit, vel huiusmodi decoctum:

R. Florum rosarum p. s.

Hordei,

Lupinorum ana vnc. s.

Contendantur omnia, & in sufficienti quantitate aque fiat decoctio, in quo decocto immacerata spongia apponenda erit. Solent vero isti cruciatus vsque adeo consumaces esse, & graues, vt opus sit descendere ad aliquas operationes chirurgicas. Idco, si ætas f. erat, ad diuertendam

uertendam marciiani, quæ dolorem attrahit, conueniet uti cucurbitulis, primò natibus, deinde etiam ipsis spatulis affixis: & ego quandoque in extremo dolore expertus sum mirifice contulisse vlcera in capite pueri excitata, tum quia retardatur fluxus materiae ad aures, tum quia ipsæ humiditates cerebri, quæ alioquin ruerent ad aures, ferè per ipsa vlcera consumuntur. Sed circa vsus horum omnium medicamentorù debet animaduerti, nunquam esse humiditates fluentes ex auribus retinendas, eò quia, ut dicebat Hippoc. huiusmodi retentio valdè incommodet. Præterea debet obseruari, auribus nunquam infundendam esse aquã, quantumcumque doleant, eò quia aqua maximè noxia est auribus: propter quod dicebat Aristot. loco citato, vrinatores, dum subtus aqua permanere debent, opplere aures oleo, ne lædantur. adhæc debent omnia medicamenta aurium tepida administrari, non frigida, non calida; non in magna mensura, sed guttatim; & dum infusa sunt, prospiciendum est, ut infantes aurem dolentem supinam habeant.

De tonsillis, seu paristhmijis.

Cap. XII.

QUICVMQVE de morbis puerorum tractarunt, copiossimè de iis, qui fiunt in ore, seu monem habuere. & inter alios Omnibonius Ferrarius medicus id fecit in eò libello, in quo breuiter quidem, sed eleganter, doctè, addo & prudenter, tractauit. Quare & nos aliorum exempla sequuti, vitia oris puerorum diligenter tractare conabimur. Initium autem sumam ab eo morbo, quem appellant tonsillas, seu paristhmia; cuius morbi natura ut perspiciatur, sciendum est, naturam ex vtraque parte radice linguæ, glandulas quasdam fecisse, ut illæ generantes saliuam, irrorarent fauces, ne continua locutio

ne exsicarentur. Hippoc. libro de glandulis existimavit factas esse, vt sulciperent cerebri humiditates; sed puto ego ob vtrunq; eas esse à natura fabricatas. Inter os autem, & gulam est quædam via, quæ appellatur à Græcis *ισθμυς*, & cur ita vocata sit, luculenter nos docuit Gal. 3. Aphor. 26. in his partibus ob defluxum materiæ à capite fiunt in pueris tumores quidam inflammatorijs, qui vbi oriuntur in glandulis, vocantur *ἀρνιδες*; Cornelius Celsus lib. 6. medicinæ suæ, & Plinius, atq; alij Latini appellarunt tonsillas. Vnus Serenus medicus, nescio quo spiritu appellavit tolles. Neque possum satis hac in re mirari oscitantiam Altimari in legendo Celfo, qui dubitavit nunquid apud Celsum tonsillæ sint illæ, quæ apud Græcos vocantur, *ἀρνιδες* quando quidem ipsemet Cornelius 7. cap. 12. expressissimè dixit hæc verba tonsillæ, quæ à Græcis *ἀρνιδες* vocantur. Si tumores fiant in isthmo, siue fiant in musculis, siue in tunica, vocantur ab Hippoc. *ναριδευσα*. Sed animaduertendum, confundi sæpè apud medicos has voces *ναριδευσα*, & tonsillas, ita vt alter alterius nomine affectus vocetur. Adnotandum etiam *ἀρνιδες* seu tonsillas interdum significare, vt apud Paullum Aeginetam, nõ solum tumorem inflammatorium, sed tumores duros, & scirrhosos, quos alias vocauit scrophulas. Et vt obiter hoc dicam, quando Legislatores præceperunt, vt seruus laborans antiadibus possit restitui, intellexerunt non de antiadibus inflammatorijs, sed de vetustis, & induratis, hoc est, de scrophulis. Est hic morbus intemperies cum materia, vt appellat Gal. omnes inflammationes; possumus etiam dicere esse morbum in magnitudine aucta, atque hoc intelligendum est, tum de tonsillis, tum de ipsis paristhmijs eo modo acceptis, quo accipit Gal. 3. de Symp. causis 4. & loco citato 3. Aphor. Locus affectus est & glandula vtraque, & tunica isthmi, seu musculus subtus tunicâ. Causæ internæ horum morborum, sunt humores omnes, & sanguis, & melancholia, sed potissimum pituita, (loquor autem de pueris, quorum

quorum capita maximè omnium pituitosa sunt.) Inter causas internas possumus adnumerare ætatem; nam Hippoc. 3. Aphor. 26. videtur existimasse tertiam ætatem, hoc est, eam, quæ est inter tempus dentitionis, & 14. annum, esse huius morbi feracem. Sed hoc in loco oritur dubitatio, quæ mota fuit à Galeno in com. cur scilicet infantes vsque ad tempus dentitionis non tententur hac ægritudine; nam cum sint capite humidissimo & maxime repleto, rationi consentaneum videtur, ut hic morbus, qui fit à fluxione capitis, in ijs frequentissimè gignatur. Galenus, ut redderet huius rei rationem, dixit ab Hippoc. prætermittam fuisse hanc ægritudinem in primis duabus ætatibus; quoniam vsque adeo ægritudines graues sunt in ipsis ut prius iugulentur, quam inchoet hæc ægritudo. Simili enim pacto dicebat Aristot. & Galenus non tentari cor graui vllio morbo, quoniam statim atq; inchoant similes morbi, animalia, & homines intereunt. Sed pace Galeni, non mihi ex toto videtur hæc responsio dubium tollere, propterea quod cõuulsiones lethaliissime sunt in pueris, quæ ipsos statim iugulant, verumtamen Hippocrates eas memorauit. Præterea non videtur mihi à ratione alienum, si fierent hæc ægritudines in pueris, aut, ut melius dicam, si inciperent, posse etiam vsque ad augmentum peruenire; quia si iugularentur pueri, iugularentur propter prohibitam transpirationem, quæ non statim apparet, nisi tumores sint insignes. Non desuerunt qui alias rationes adferre conati sunt, & inter alios Hieronymus Cardanus multis verbis quædam proposuit. Ego autem existimo fidem habendam esse rationi allata à Gal. quod scilicet ad generationem horum tumorum necessarium est, ut materia impetu quodam & copiosè fluat, & ut retineatur. Iam vero si consideremus naturam infantium, & puerorum; hoc est discrimen, quod in pueris attrahitur copiosa materia ad eas partes, & cū attracta sit, non potest dissolui ut par esset, vnde necessariò tumores suboriuntur. In infantibus autem vel nō

fit attractio ad eas partes, vel non sit copiosa; vel si sit copiosa, non retinetur. Attrahitur materia in pueris, & non in infantibus, quoniam clamant, currunt; partes inclinatas ad terram inter ludendum gerunt, soli sese exponunt, quæ omnia mirifice calefacere possunt partes internas, & ratione calefactionis attrahere copiose, & attractam materiam tenaciter retinere. Contra vero infantes non loquuntur, non vociferantur eo pacto, quo pueri; partes capitis non gerunt humiles, sed semper elatiores; quò fit, vt vel non fiat in illis vehemens attractio, vel si materia attrahatur lubrica defluat à partibus illis faucium; vt iure cum hoc speciauerit Hippocrates, accedente quotidiano rerum usu, prætermiserit in prima, & secunda ætate hanc ægritudinem. Causæ externæ sunt aer & calidus, & extremè frigidus; mansio sub sole, exercitationes immensæ, & præsertim capite in tertâ inclinato, vociferationes, potiores; cibi calidi & actus, & potetia. Cognoscuntur vero hæc mala, quia si os pueri aperiat, apparet propè radicem lingue tumores; immò verò si subitis aures extrinsecus tagantur, facile sese offerunt tumores. his accedit color ruber faucium, calor vigens, dolor etiã ad externum contactum, difficultas anhelandi, & deuorandi. Si à materia fiat calida, siue sit sanguis, siue bilis, cognoscitur potissimum colore; quæ dicebat Hippoc. in lib. de humoribus, & Gal. esse verum indice dominantis humoris. Nã si sanguis fuerit, color erit rubeus, calor magnus. si fuerit bilis, color flauus, seu pallidus. si pituita, subalbidus. Vitiu hoc grauissimum est, quoniam terminari solet in alias graues ægritudines, in anginas, in peripneumoniam, vt dicebat Hippocrates in libro de dentitione. Si in tonsillis superueniat alui fluo, rursim soluit, & cum tussi intelligebat præcipuum malum, hoc est, tonsillas ipsas. Curatio eadem debetur, quæ omnibus inflammationibus; & quia tumores sunt, qui sunt à materia, totum studium conuertendum est ad materiam, nõ neglecta tamen ea inferrie; quæ inflammationibus perpetuo iuncta est.

Iam

Iam verò materia partim in fluxu est, partim fluxa, & firmata; ea, quæ fluit, reuocanda est, quod fit duplici via, repulsione, seu repercussione, & reuulsione. Ea vero, quæ fluxa, & firmata est, euacuanda, euacuari autem potest vel per dissipationem, vel per suppurationem. Modi vero, quibus his scopis satisfacere licet, capiuntur ex usu ipsius materiae medicæ, in qua quoniam primū locum obtinet victus ratio, hæc ante omnia institueda est, vt scilicet puer caueat ab omni aeris excessu, caueat à fumo, à sole, ab omnibus corporis exercitationibus; à vehementibus animi motibus, præsertim ab ira, à balneo; & si aluus adstricta est, prouidendum est vt fluat vel clysteribus, vel glandibus, quemadmodum aliàs demonstratum est. nam soluere aluum vllò medicamento per os sumto in hac ægritudine res periculosa est. Abstinendum à vino, & loco eius aqua fit cocta vel hordei, vel cum succo mororum, citoniorum, granatorum; qui potus sunt accommodatissimi. Cibi forbiles in vlu veniunt, prissana, panis tritus cum brodio, cum succo seminum melonum; vitellus ouorum in brodio cum succo omphacino, vel cum succo granatorum; nam acetum, quod forsàn in viris maxime prodest, in hac ætate maiorem quam par est cruciatum infert. Instituito victu, properandum ad scopum primum, comparandum ad discutiendam, & reuellendam materiam; reuellere licebit frictionibus assiduis, ligaturis, præsertim verò cucurbitulis & scarificatis, & siccis. Sed hoc animaduertendum. Galeni consiliū, quod attulit lib. 12. Methodi cap. 19. hac in re sequendum esse, ne scilicet supernis partibus cucurbitulæ affigantur; quoniam cum in partibus supernis sit morbus, & cum cucurbitulæ attrahant à capite, facillimè attrahunt ad affectum locum. vnde multò præstantius auxilium est, eas applicare & lumbis, & cruribus. Pro repellendâ materia in vfu solent esse & gargarismata, & pulueres. gargarismata fiunt ex medicamentis refrigerantibus, & adstringentibus, cuiusmodi istud esset:

Recipis

R. Hordei p.s.
 Florum rosarum rubearum p.t.
 Mirtilorum,
 Nucum cupressi,
 Gariophi. ana vnc.s.
 Aquarum plantaginis,
 Endiuia ana lib.i.

Bulliant ad consumptionem quartæ partis; deinde adde diamoro vnc. 4. Misce, fiat gargarisma. hac eadem intentione parantur pulueres, qui fistula insufflantur in partes affectas; & aduertendum, vt puluis semper sit leuigatus, ne partem affectam, & dolentem vlllo pacto exasperet. fieri autem poterit hoc pacto:

R. Foliorum rubi maior. m.s.
 Florum rosarum rubearum p.s.
 Gallarum,
 Nucum compressi ana vnc.s

Puluerizentur omnia, & leuigentur. Pro euacuanda materia fluxa vt dissipetur, cligeda sunt ea medicamenta, quæ possunt moderato calore attenuare, & materiam in flatum conuertere; vnde ad dissipandum, huiusmodi gargarisma vtilissimum erit:

R. Foliorum anethi,
 Florum chamomeli ana m.s.
 Furfurum p.s.
 Foliorum origani drach. 6.
 Aquæ communis lib. i.s.

Fiat decoctio secundum artem, deinde adde ad colaturam mellis depurati vnc. 3. Misce, & fiat gargarisma, aduertendum etiam huiusmodi gargarismata debere semper esse potius tepida, quam frigida, præsertim vero quæ discutere debent. Sed si materia discuti non possit, & natura suppurationem tentet, ipsa auxiliandum est & internis, & externis medicamentis. Inter externa est diachylon, & alia emplastra, cuiusmodi est istud:

R. Foliorum maluæ,
 Violarum ana m. i.

Coquan-

Coquantur, & pistentur; deinde
R. Dictarum herbarum lib. s.

Butyri vnc. 3.

Farinae tritici vnc. 1. s.

Croci scrup. s.

Misce, & fiat emplastrum. Intrinsicus adiuuare potest
suppurationem decoctum caricarum, vel radicum mal-
uæ, aut potest fieri hic gargarismus:

R. Farinae tritici in petia ligatae vnc. 1.

Caricarum vnc. 3.

Radicum maluæ vnc. 1. s.

Aquæ communis lib. 2.

Bulliant ad consumptionem quintæ partis, deinde co-
leantur, & fiat gargarismus. Vbi ad pus tumores peruene-
rint, solent sponte natura rumpi, & pus exire; id si non
fiat, à dexterrimo chirurgo incidendi & aperiendi sunt:
atque vbi aperti erunt, detergendi prius mulsa, dein
de vino mulso, & postea curandi, vt alia vlcera curari
solent.

De Aphthis. Cap. XIII.

NVMERAT Hipp. 3. Aphor. 24. inter mor-
bos pueriles quædam vitia oris, quæ à Græ-
cis medicis appellantur aphthæ. Cornelius
Celsus lib. 2. capit. 1. vlcera oris serpentina; A-
rabes etiam, & præsertim Auicennas vocant alchota, &
bothor, quemadmodum vocauit etiam Auenzoar. A-
retæus medicus lib. 2. de Acutis cap. 9. testatus est hu-
iusmodi vlcera vocata esse antiquit⁹ syriaca, & ægyptia-
ca. Serenus, & cum eo Isidorus lib. 4. vocarunt hunc af-
fectum oscedinem; sed de oscedine plura habetur in li-
bro. 5. variarum lectionum nostrarum. Sciendum au-
tem, quod tametsi vlcera oris communiter vocata sint
aphthæ, verumtamen hoc nomen *αφθ* apud Græcos
scriptores significat vlcus etiam aliarum partium. nam

Gal. lib. 9. de medicamentis localibus, & Paulus Aegineta lib. 3. cap. 54. scripserunt etiam ulcera quaedam testium vocata esse aphthas, immò verò Hippoc. 2. libro de morbis, monstrat aphthas etiam in pulmonibus generari. Cæterum aphthæ de quibus nobis in præsentia est sermo, vt definiuit Gal. lib. 6. de medicamentis localibus cap. 4. sunt ulcera superficiei oris cum ignea caliditate; & cum dico superficiei oris, intelligenda est tota interna pars oris, quandoquidem in omni parte fit huiusmodi morbus. Ex hac descriptione vnicuique manifestum esse potest, esse morbum in mala intemperie, nimirum calida; & humida, atque in solutione continui; quandoquidem vlcus est. Quæ sit pars affecta, nõ est vt disputetur. quia verò in omni vlcere non solum continuum soluitur, verumetiam substantia aliqua partis deperditur; sic existimandum est in hac affectione aliquam partem amissam esse. Cæterum causæ, quæ substantias, & particulas corporis consumunt, vt habentur apud Galenum lib. 5. de Simplic. medic. sunt omnia ea, quæ acra, mordacia, & exedentia sunt: quapropter causæ huiusmodi vlcerũ necessariũ est, vt res sint acres, mordaces, atq; exedentes, quæ sunt vel humores, vel cibi, vel pharmaca. humores quidem, quæ efficiunt aphthas, aut sunt benigni, aut prauis, & corruptis; quæ admodũ colligere licet ex Gal. 3. in 3. Epid. com. 12. Benigni humores, hoc est, quæ nulla insigni prauitate corrupti sunt, vel sunt pituitosi, falsi: vel sanguinei, vel biliosi, vel melancholici. Cibi, à quibus efficiuntur aphthæ aut sunt ex genere lactis, aut ex genere aliorũ ciborũ calidorũ, quæ vel actu sunt tales, vel potètia. Lac facit aphthas, vel quia acre, & mordax est, vel quia in vetriculo infantis propter immensam sui copiam corrumpitur; & corruptũ cum sit, veluti ardens humores acres, & mordaces in os mittit; qui partes ipsius exedunt. Cibi calidi potentia auctores aphtharum sunt, veluti allia, cæpæ, & quidquid eius generis est. Cibi autem actu calidi sunt quicunque: reperiuntur enim, qui non possunt ferre, vt cibi calidi refrigerentur,

ferunt; quare solent non raro pati aphthas, eò quod oris partes à cibis calentibus incenduntur. Pharmaca pariter faciunt huiusmodi vitia, tum ea, quæ purgant; tum ea, quæ venenata sunt, atque corrodentia, vt est arsenicum, scamoneum. Possumus connumerare inter pharmaca etiam aromata; nam non est dubium, piper diu ore detentum aphthas inducere, quemadmodum & grana cataputicæ, & alia complura medicamenta, quæ sua vi calida, & exedentè vlcera oris faciunt. atque tot sunt causæ immediatæ effectrices ipsarum aphtharum. mediatarum vero aliæ internæ sunt, aliæ externæ. Internarum aliæ sunt naturales, aliæ præternaturales. Naturalis causæ est temperatura corporis calida, ætas puerilis, præsertim verò infantilis. Nam vt testatum habemus à Galeno 6. de Medicamentis localibus 4. & 3. in 3. epid. Comen. 12. atque etiam 3. Aphor. 24. Tres sunt causæ, propter quas infantes potissimum aphthas sollicitantur. Prima est teneritudo, & mollities palati infantium. Secunda causæ est inassuetudo sumendi cibum; nam cum in utero, vt aliàs dicebam, infantes ore non nutriantur, sed per umbilicum, vbi in hanc lucem venerunt, vtentes ore & ad lugendum lac, & etiam ad deuorandos cibos læduntur, & vlcera hæc incurrunt. Tertia causæ est ingluuies ipsorum, propter quam fit, vt sæpe plus lactis sugant, quàm par esset, quod deinceps in ventriculo corruptum huiusmodi vitium facit. Et hinc adnotandus est error nostrarum nutricum, quæ vt demulceant plorantes infantes, frequentissimè mamas præbent; cum præceptum sit veterum medicorum, vt lac non præbeatür nisi tert, aut quater in die. Causæ præternaturales, sed mediataræ aphtharum, sunt febres ardentes, & pestiferæ, quemadmodum colligitur à Galeno 3. epid. Causæ externæ sunt omnes illæ, quæ capita infantium incendere aptæ sunt; mansio sub sole; tempus calidum, vt æstas; regio calida, propter quod dicebat Aretæus in Aegypto, & in Syria abundare hæc vitia tum propter aeris incendium, tum pro-

pter vsum ciborum calidorum, quibus ea gens continuo vescitur. Exercitationes, & labores immodici hæc faciunt; crapulæ, & potus vinorum generosorum, atque tot sunt causæ. Differentiæ autem aphtharum hæc sunt, quod aliæ malignæ, aliæ vero benignæ sunt. Cognoscere aphthas non est difficile, quandoquidem ipsis oculis conspiciuntur, & quæ oculis non videntur, veluti illæ, quæ oriuntur in partibus intimioribus, se se produnt dolore, & vorandi difficultate. Cæterum ut dignoscantur malignæ à benignis, opus est signis; nam malignæ, præterquam quod solent consequi plerumque febres malas, & pestíferas; habent & hoc, quod fetidæ sunt, nigræ, vel liuidæ; dolorem inferunt, profundæ sunt. Ex aduerso benignæ sunt sine tumore, sine profunditate; & si à sanguine fiant, cognoscuntur calore, & rubore. Si fiant à pituita, minus calidæ sunt, minus dolent, colore albo sunt, quæ vero à melancholia, subfuscæ sunt. Aphthæ, quæ fiunt à causis externis; salutare sunt ferè omnes; sicuti illæ, quæ sunt albæ, vel flauæ, superficiales. è contra, quæ sunt nigræ, fetidæ, profundæ, quæ magnum dolorem inferunt, omnes valdè periculosæ sunt. Scribebat enim Aretæus lib. 2. de Acutis, 9. miseriam, & horrendam mortem esse eorum, qui ab hoc morbo consumuntur; eò quod vlcera hæc depascuntur partes oris internas; atque sic & ingenti turpitudine, & insigni cruciatu infantes, & pueros perimunt. Cæterum est hæc in re contradictio inter Cornelium Celsum, & Galenum. Cornelius lib. 6. cap. 11. scribit aphthas in pueris valdè periculosas esse, eò quod corpora horum sæpè consumunt; in viris autem, atque etiã in mulieribus minus esse periculosas. Contra Gal. lib. 6. de Medicamentis localibus cap. 4. & 3. in 3. epid. tex. 12. asserit, aphthas in pueris faciles esse curatu, quippe quæ leuiter adstringentibus curentur. Dicendum est pro conciliatione horum, aphthas posse esse vel benignas vel malignas. Benignæ facilius in pueris curantur, quam in viris, eò quia corpora ipsorum, hoc est, partes palati
cum

cum sint teneræ, & molles, sicuti faciliter læduntur, ita quoque faciliter sanescunt. Ceterum aphthæ maligne in infantibus periculosiores sunt quam in viris, eo quia, ut Celsus scribit, hæc ætas non admittit ea remedia generosa, quæ necessaria sunt pro expurgandis his vlcibus: viri autem cum admittant remedia, iure fit, ut possint facilius liberari ab aphthis malignis quam infantes. Scopus curationis varius, & diuersus est, prout variæ sunt aphthæ. nam si sint benignæ, studendum est statim & intemperiem illam mitigare, atque cicatricem inducere, quæ inducitur medicamentis sicis & adstringentibus. Vnde si factæ sint vitio lactis, videndum est an lac peccet qualitate, vel copia. si propter copiam fiat, prouidendum est, ne infantes plus assument lactis, quam par sit. Sed si lac vitiatis qualitatibus præditum sit, vel statim mutanda est nutrix, vel corrigendum lac. Corrigitur autem, ut docui, & ratione victus, quam tenacissime seruare debet nutrix; & purgatione corporis facta pro ratione peccantis humoris, quemadmodum monstrauimus. ut autem vlcera sanescant, duo sunt medicamenta à Galeno proposita. alterum, quod fit ex succo mororum, & vocatur Diamorón; alterum quod fit ex succo malorum granatorum: vtroque licet vti, quia infantes dulcedine medicamenti attracti, facile illud admittunt. Vtus autem huius est, ut nutrix, vel quiuis alius intingat digitos in hoc liquore, & aperto ore aphthas ipsas tangat. quod si contumax sit vlcus, licebit commiscere vel diamoroni, vel medicamento ex succo puniceorum modicum pulueris aluminis combusti; nam hic puluis coercet serpiginem vlcis, nec insignem vlcum dolorem facit. atque hæc est ratio curationis aphtharum benignarum in infantibus, quam etiam facilem dicebat Galenus. Si autem sint grandiores pueri, & fiat aphthæ cibus, vel medicamentis, omnes causæ efficientes externæ in primis tollendæ sunt, deinceps præscribenda victus ratio, ut scilicet abstineant ab omnibus rebus, quæ caput calefacere possunt, ab acre, ab exercita-

tionem corporis; à vino, ab aromatibus, à fassis, à dulcibus. & quoniam solidi cibi solent exacerbare vlcus. vtdum est cibus forbilibus. cuiusmodi est prillana, panis tritus, oua cum brodio, & omphacio. Post videndum est, an vlcera sint magna, necne. & quia magnas sepe solent inflammationes coniunctas habere, atque consequenter humores à corpore attrahere; & malum augere; eapropter vtile erit cucurbitulas apponere, sed natis, aut in fine dorsi, per quas cucurbitulas licebit euacuare tantum sanguinis, quantum ætas, & corporis habitudo permittet. Post agendum erit medicamentis purgantibus, sed blandioribus, vt est cassia, syrupus rosa. solu. & ad medicamenta localia spectat, in hac ætate licet vt & gargarismo, & linimentis. Linimenta fiunt, vt præscripti in infantibus. gargarismata autem fieri possunt hoc pacto:

R. Hordei torrefacti p. i.
Foliorum plantaginis m. i.
Foliorum rubi,
Corticum granatorum,
Balauft. an. vnc. i.

Fiat decoctio secundum artem, deinde

R. Dictæ decoctionis lib. i.
Diamoron. vnc. 3.

Misce. Si aphthæ malignæ fuerint, atque puer adhuc infans sit, est quidem prauitati occurrendum, verumtamen & ætatis, & teneritudinis corporis infantuli ratio est habenda. Itaq; non licebit in hac ætate ijs remedijs vti, quæ sustinentur à grandioribus, poterit autem medicamentum institui aduersus prauas aphthas, hoc modo:

R. Scordij subtiliter puluerizati drach. i.
Corticum granatorum, subtiliter puluerizatorū scrup. 2.
Aluminis comburisti scrup. i.
Mellis quantum sufficit. Misce, & administratur,

tur, vt docui. Cæterum aduertendum est, siue pulue-
res, siue quid aliud sit administrandum, necessarium
esse, vt cum aliquo misceatur, quod sit ori gratum: nam
in palato posita est facultas gustatoria, vt maxima ratio
sit habenda gustus: propter quod, vt videri potest apud
Galenum 6. de Medicamentis localibus, veteres medici
omnes componebant medicamenta ad aphthas, vel cū
sapa, vel cum melle. Et, vt hoc obiter dicam, in vita Hip-
poc. relatam est in eius sepultura fuisse examen apum,
cuius examinis mel singulari quadam ope curabat
aphthas puerorum. Sed si sit grandiusculus, quoniam
maxime refert, vt statim mali prauitas compescatur, ne
vlcera euadant serpentina, statim inquam studendum
est medicamentis grauioribus prauitatem omnem au-
ferre, ad quod mirifice potest succus granatorum, &
præsertim acidorum: quem dicebat Theophrastus, mi-
rum in modum à putredine conseruare: & aduertend-
um, ne apud Dioscoridem quis decipiatur, quod Ruel-
lius interpres in capite de malis punicis transtulit hanc
vocem *ἀσπύριον*, perinde atque Dioscorides dicere volue-
rit punica esse ori inimica, quod quidem falsissimum
est. vnde ea vox interpretanda est ori ingratum, non
inimicum; & hoc experientia constat esse quid insua-
ue, & ingratum, veruntamen maxime potest ad com-
pescendas putridas aphthas. Sed sæpè vsu venit, vt hoc
medicamentum non sufficiat, vnde ad valentiora deue-
niendum. In quo casu in grandioribus licebit vsu vel a-
qua aluminis magistral. vel vnguento Aegyptiaco, vel
flore æris castigato cum dianorone: quæ omnia non
sunt vsurpanda, nisi in maxima necessitate. Et ratio est,
quia, vt docet Galenus lib. 6. de Medicamentis localibus
in palato duæ sunt latissimæ viæ, quarum vna ad pul-
mones; altera ad ventriculum incedit, propter quod
periculosissimum est, si medicamentum aliquod vene-
natum ad eas partes præcipitetur. Id quod cognoscens
Gal. dicebat, in medicamentis stomachicis haud vtend-
um esse calchanto ob periculum, quod imminet, si

huius medicamenti aliqua pars vel ad ventriculum, vel ad pulmones labatur. præterea etiam quotiescunque vtendum erit his medicamentis, præstabit vti in ea forma, in qua nihil possit vltra palatum ire; quemadmodum fit, quando aphthæ malignæ tanguntur vel oleo chalchanti, vel sulphuris vel aqua sublimata; quæ efficacissimum remedium est, non solum aduersus aphthas serpentes & prauas, verum etiam aduersus praua, & inueterata vlcera, atque fit hoc modo:

R. Argenti sublimati gr. 12.

Aquæ rosarum,

Plantaginis an. vnc. 3.

Ponantur ad lentum ignem in duplici vase ad consumptionem medietatis, vltus est, vt guttula vna tangatur aphtha, quæ si dolorem insignem faciat, deinceps late chalibeato dolor mulceatur.

De Batrachio, siue Ranula.

Cap. XIII.



IT in ore puerorum aliud genus vitij, quod à Græcis nuncupatur *Βάτραχος*, interdum etiam *Βατραχίον*: Latini appellant Ranam, & ranunculam; atque hic affectus non solum fit in pueris, verum etiam in pecoribus, & præsertim in bobus, vt habetur apud medicos veterinarios, & præsertim apud Columellam. Aetius libro 8. cap. 37. & Paulus Aegineta lib. 3. cap. 26. definiunt hunc morbum esse tumorem quedam inflammatorium partium sub lingua, & præsertim venarum in pueris; quæ res, vt exactè intelligatur, sciendum qua parte lingua alligatur palato, seu subtrus summam partem ipsius lingue adesse quasdam venas admodum latas, quæ repleri solent interdum sanguine pituitoso, interdum melancholico. & qui proficitur cognoscere lepram futuram in corpore, solent à tumore, & nigredine harum venarum prædicere futuram

futuram lepram, aut elephantiasim: vbi igitur hæ venæ magnoperè replentur, ex ipsis humiditas pituitosa, & sanguinolenta vel refudat, vel aperto ore exit; ac deinceps collecta intra carnis meatus ibi existentes in tumorem eleuatur, atque hic tumor est ille, qui appellatur rana. vnde captum sit hoc nomen, ignoro, nisi forsân propter similitudinem aliquam, quam habet cum rana, sic dictus est, aut potius quod qui laborant hac ægritudine, solent habere vocem parem voci ipsius ranæ. sed vtrinq; sit, est morbus instrumentalis, & similis: similis quidem, quia est affectus inflammatorius; instrumentalis verò, quia & figura illius partis, & magnitudo aucta est, vt sit etiam morbus in magnitudine, à quo leduntur operationes naturales, & operationes animæ; nimirum motus ipsius partis. Sed dubitabit aliquis, quomodo sit morbus in magnitudine, quandoquidem Galenus libro de Causis morborum capite nono, videtur statuiffe morbos in magnitudine fieri à materia vtili, & naturali. Iam verò hæc materia, quæ facit ranunculum, est materia excrementitia, & inutilis, vt non videatur posse facere morbum in magnitudine. Res hæc difficilis est, & altiorem disputationem exigit. Sufficiat breuiter nunc dicere, morbos in magnitudine aut esse simplices, aut alteri coniunctos morbo. Simplex morbus in magnitudine fit à materia vtili, & sic mammarum magnitudo est morbus in sola magnitudine, item corporis nimia obæfitas. atque hi morbi fiunt à sola materia vtili, & de his loquebatur Galenus. Cæterum morbi in magnitudine coniuncti morbo alteri, sunt omnes tumores præter naturam; qui non sunt simplices morbi, sed vt dicebat Galenus libro de Differentiis morborum quinto, sunt intemperies cum affluxu materiæ, hoc est, morbi in magnitudine ex intemperie. Causa immediata ranunculi est sanguis pituitosus, vel vt dicebat Auicennas, est humiditas pituitosa. Causæ externæ sunt & vociferationes, & incisiones membranæ linguæ. necnon com-

pressiones linguæ à dentibus, quâdo scilicet inter dentes lingua compressa veluti fauciata est. Cognoscitur autem hic affectus primum visu, quoniam tumor apparet, & color tumoris. vt dicit Auicennas, est veluti commistus ex colore linguæ, & venarum; adest feruor, addit etiam Cornelius Celsus lib. septimo capite duodecimo, adest dolorem insignem. Sed est etiã & aliud signum, quia qui laborant hac ægritudine, nō possunt loqui, sed instar ranarum coant. Cæterum hic affectus, si prudenter, & tempestiuè à medico tractetur, est quidem molestus, sed non difficilis curatu. Curatur autem primum recta victus ratione instituta, scilicet abstinentia vini, vsu ciborum qui refrigerent, & quodammodo adstringant: vt est vsus omphacij, æceri, succi granatorum, citoniorum; quibus possunt fieri edulia. Si alius non respondet, clysteribus agendum est; dico clysteribus, quia medicamenta purgantia ore excepta minime conueniunt, sed magis conueniunt clysteres. Si puer grandiusculus sit, inter cætera remedia maxime conuenit vsus cucurbitularum, scilicet ad auocandum fluxum humorum à parte affecta, & cauendum est, ne cucurbitulæ apponantur dorso; quoniam cum trahant à capite, vt à toto corpore, atque capita in pueris sint valde plena, facile contingere potest vt materia à capite tracta, facile in parte affecta susteretur, erunt itaque apponendæ vel natibus, vel cruribus, & pro ratione ætatis sanguis mittendus: immò iuuabit interdum apponere cucurbitulas non scarificatas, fricare extrema, & vti ligaturis. His peractis, deueniendum ad localia, & in primis lenioribus vtendum, sal armoniacus affricatus illi parti, apud omnes commendatur. origanum similiter affricatum valet ad detergendam eam materiam. Si hæc non prosint, deueniendum ad valentiora, vt est flos æris, tragaganthum combustum, alumen; hæc enim redacta in puluerem, & parti affectæ applicata, solent valere ad consumendum eum humorem. Sed si hæc nullum emolumentum adferant, superest, vt deueniamus

ueniamus ad ignem, vel ferrum. Modus vtendi ferro, qui proponitur ab omnibus fere chirurgis, est vt vnino capiatur summitas tumoris, & cultello abscindatur radicitus vniuersus tumor; dico radicitus, quia vt optime adnotauit Cornelius Celsus loco citato, interdum hæc materia in folliculo sita est, nisi autem huius folliculi radices prorsus euellantur, facile posset morbus repullulascere. Vbi verò abscissus est tumor, tum vel sale, vel puluere gallæ, & myrthi sistendus est sanguis; & si non potest sic firmari, deueniendum est ad calchantum combustum. & vbi sanguis firmatus est, vulnus deinceps curandum est myrrha, aloë, thure, atque huiusmodi alijs pulueribus, qui exsiccantes vulnera eadem curant. Sed aduertendum est aloë amarum puluerem tolere reddi, propter quod in multis non est facile vti hoc medicamento.

De Dentitione. Cap. XV.

INTER morbos pueriles recensetur dentitio, de qua opus est vt nunc tractemus. Sed statim occurrit nobis scrupulus non sine animaduersione prætereundus: est autem, quomodo dentitio possit esse morbus, compertum enim est, naturam non intendere morbos, neque facere; sed dentitio est purum naturæ opus; quare non videtur morbus esse appellanda. Dicendum est perfectionem, & generationem dentium esse quidem naturæ opus, atque hanc vnã ab ipsa intendi. Cæterum quia materia non patitur, vt hoc opus à natura fiat sine molestia, & sine dolore, hinc fit, vt ad generationem dentium consequatur morbus, non propter hoc tamen dicendum est, hunc morbum à natura intendi. Cæterum quia hoc naturæ opus pulcerrima, & secretissima problemata habet, priusquã de morbo, qui sequitur dentitionem, loquar, deliberaui nonnulla, sed breuiter, & dilucidè proponere. Primum erit, quid sit dentitio, &

quid sit dens. Secundum cur à natura fiant dentes. Tertium, cur animantia bruta nascantur omnia cum dentibus: vnus autem homo in hanc lucem veniat sine dentibus. Quartum erit, cur dentes decidant hominibus, & renascantur, atque toto vitæ tempore augeantur: conditio sane quæ nullis alijs ossibus communicata fuit. Quintum erit, quo tempore orientur dentes, & vsque quo ipsorum ortus perduret. Sextum, quot sint dentes, & quot ipsorum ordines. Septimum, & postremum, cur fiat vt vnus homo tot molestias, & tot perturbationes sustineat, quo tempore dentes erumpunt, post quæ omnia modum curandi huiusmodi molestias docebo. Dentitio à Græcis medicis duplici nomine vocata est ὀδονίασις & ὀδοντοφωία nostri medici vno nomine dicunt dentitionem, quæ nihil aliud est, nisi dentium prius in alueolis proprijs conceptorum extra gingiuas eruptio; nam cum dentes deberent esse separati, coacta fuit natura singulis singulas & proprias caueas præpare, in quibus primum conciperentur, qui conceptus appellatur à Græcis medicis ὀδοντοφωία; vbi verò extra gingiuas iam cõcepti erumpunt; fit dentitio, quæ appellatur ὀδονίασις, vtrunque autem fit magna cum molestia. Sed ὀδοντοφωία, siue pruritus gingiuarum fit cum minori molestia. eruptio autem dentium fit cum maximo cruciatu, ita vt dixerit Galenus perinde fieri, atque si gingiuæ paxillo pertunderentur. & quia diximus esse dentitionem dentis eruptionem, nunc videamus quid sit dens; sunt enim dentes ossa sententia, quæ à Græcis appellantur ὀδοντες & nos dentes dicimus, eo quod inferuiant edendo, atque vtraque hæc sententia, & Græco, & Latino vocabulo accommodatur. Nicæder appellauit communi nomine dentes omnes νεαντιόους; quanquam sic etiam appellari sint duo posteriores dentes. Et quia dixi dentes ossa esse sententia, sciendum est inter veteres scriptores varias fuisse sententias, vtrum debeant dentes numerari inter ossa, necne. Hippocrat. 3. Aphorism. in eo Aphorism. vbi scribit

higi-

frigidum esse inimicum ossibus, & dentibus, manifestè videtur sciunxisse dentes, & ossa. Aristot. quoque pluribus in locis, & præsertim 3. de Histor. animal. cap. 9. separauit omnino dentes ab ossibus. Cæterum Gal. 6. de vsu partium, & aliis in locis appellauit sophistas illos, qui distinguunt dentes ab ossibus. In hac sententiarum varietate ita puto statuendum esse, quemadmodum docuit ipsemet Aristoteles secundo de generatione animalium capite quarto, vbi scribit dentes, & ossa secundum genus, & materiam idem esse; differre autem secundum speciem, & nomen. Differentiæ naturæ, & speciei, quæ est inter ossa & dentes, in multis posita conspicitur; primum enim ossa omnia in primo hominis ortu fiunt, dentes verò multis diebus post ortum. Præterea ossa vsque ad certum quendam vitæ terminum augentur, siue sit vigesimus secundus annus, siue paulò posterior; dentes autem toto vitæ tempore augentur; ossa secundum maiorem scriptorum partem sensu priuata sunt, dentes non modò sentiunt, verum etiam exquisitè interdum videntur sentire. ossa vbi semel è corpore extracta sunt, nunquam renascuntur (nam fit quidem in fracturis substantia quædam ossibus simillima, sed nunquam fit verum os) dentes verò renascuntur postquam exempti sunt è maxillis. Notat etiam Plinius libro septimo capite decimo sexto, dentes solos inter ossa igne cremari non posse, & tamen putris pituitæ tabe corrumpi. Possumus & illud addere, dentes inter ossa corporis nostri medulla, & pinguedine carere; propter quod à canibus roduntur quidem alia ossa, dentes verò nunquam, eò quod nihil pinguedinis in eis inuenitur. ex quo patet etiam, vt dicebat Cornelius Celsus, eos esse corpora durissima. Cæterum cum sint dentes huiusmodi, vt dictum est, non leuis est quæstio propter quam rationem non videantur sustinere posse frigidum. Quam rem priusquam explicem, videndum est, an verum sit dentes offendi ab omni frigido. etenim Serenus medicus inter alia præcepta, quæ

reliquit nobis ad conseruandos dentes, fuit vt creberrime abluantur frigida lympha: experientia etiam comprobata facit nobis hanc Sereni sententiam, quandoquidem manifestissimum est aqua calidam, si frequenter ipsa abluantur dentes, eos magnopere corrumpere; sicuti certum est experientia a frigido siue vino, siue aqua ablutos dentes mirifice conseruari. Quid igitur dicendum est; debemus ne existimare Hippocratem nos fefellisse, quando scribit frigidum esse dentibus inimicum? Optarem sane, vt hanc rem satis arduam Galenus non pertransisset silentio in eo commento, verumtamen quia id non fecit, sum huius sententiae, verum dixisse Hippocratem, modo tamen accurate & prudenter intelligatur. Nam frigidum duplex est, aliud, quod est potentia tale, aliud quod est actu. De frigido actu, non est existimandum Hippocratem loquutum esse, quia quis vnquam audiuit etiam sub extremo gelu dentes vnquam aut friguisse, aut molestiam peperisse. quocirca non est existimandum Hippocratem de externo frigore, & actuali sermonem fecisse, sed tantummodo de frigido, quod est potentia tale, atque non de omni tali frigido, sed de eo tantummodo, quod summe frigidum est, & quae sit ratio, cur huiusmodi frigidum magnopere noceat dentibus, praclarissime exposuit nobis Aris. 34. Sect. Problematum, Problem. 2. & 3. quibus in locis quaerens Philosophus, cur sit quod a frigido magis laedantur dentes, quam caro, inquit eam esse rationem, quoniam dentes cum sint corpora durissima, maxime exiles poros habent, quo fit, vt ex ipsis omnis pene calor exspirauerit, vnde cum priuati sint calore, non possunt valido frigori resistere. Contra autem carnes, cum in seipsis retineant multo plus caloris, consequenter frigori multo magis resistunt. Finis, propter quem geniti fuere dentes, hic comuniter ab omnibus assignatur, vt possent preparari cibis; cum enim homo, & omnia etiam animalia deberent nutriri cibo valde dissimili, necesse erat multas tractationes, & preparationes subire; & quia esse

esse plerumque debet cibis solidus, fuit quoque necesse, ut aliqua instrumenta pararet natura, quibus solidiores cibos frangeret; & propterea fabricavit dentes, quibus etiam deinceps in multos alios utilissimos usus uti voluit: nam ut docuit Galenus sexto de usu partium, & Aristoteles in libro de animalibus, usum est natura dentibus in hominibus ad sermonem formandum; quandoquidem ubi lingua variis modis ad dentes ipsos appellit, varietatem sermonis facit. usum est etiam dentibus in alium non contemnendum finem, ut dicit Gal. 6. de usu partium cap. 4. & 6. in 6. Epid. tex. 23. nimirum ad discernendos sapes, propter quem usum, inquit Galenus, eos donatos fuisse à natura, nervis mollibus. Nascuntur autem dentes, post ortum hominis, & etiam brutis in utero, non ob aliud quidem, nisi quia in utero brutorum suppetit excrementum ad generationem dentium: in homine nequaquam. Que res, ut exactè intelligatur, illud sciendum est, quod scriptum reliquit Hippocrates in libro de carnibus, scilicet ossa capitis nutiri, humido pingui, glutinoso, & terrestri; quo nutrimento cum ossa prædicta satis superque satiata sunt, excrementum pingue, & adustum, quod superest, natura ad generationem, & continuum augmentum ipsorum dentium usurpat; qui dentes, ut dixi, in omnibus ferè animalibus separati gignuntur; verum sunt reperti aliqui viri, in quibus ita continui erant geniti, ut videretur vnus dens; quemadmodum de Pirho rege Epirotarum prolatum est, & Herodotus de quodam alio narrat. Cum itaque ex huiusmodi materia generationem suam habeant dentes; in brutis, dum sunt in utero, suppetit huiusmodi materia; quoniam sanguis brutorum multo terrestrior est, quam sanguis hominis, qui cum non habeat eiusmodi sanguinem, quo alatur, fit consequenter, ut illi non suppetat excrementum, ex quo possint generari dentes. quod si aliqui sint reperti, qui cum dentibus in hanc lucem venerunt, ut relatum est de Marco Curio dentato, & de quodam alio

Romano, id fuit per accidens, quia scilicet contigit in eo particula in indiuiduo reperiri materiam in utero, ex qua potuerint dentes fieri. Sed etiam alia fuit causa; propter quam natura animalium salutis amantissima voluit bruta cum dentibus nasci, & non hominem; siquidem cum deberent animalia statim ac in lucem veniunt, deferri à propriis parentibus, opus erat, ut possent sese statim sustentare; id quod ut agere commodè possent, voluit eos dentibus armare; homo autem, quia debebat à parentibus suis & amari, & sustentari, multò satius duxit ipsum armare dentibus multo tempore post ortum, quàm in ipso utero; eò maxime quod nulli usus neque eo tempore, neque etiam aliquot mensibus post ortum esse possent. Democritus, à quo Hippocrates noster multa bona didicit, eam sententiam habuit, dentes animalibus, & præsertim homini decidere, quoniam præter tempus oriuntur, hoc est, præter naturæ institutum. Voluit enim hic Philosophus ortus dentium naturale tempus esse ætatem vigentem. Sed quoniam hæc sententia satis refutata fuit ab Aristotele quinto de generatione animal. 8. id tantum dicendum est, quod & ipsemet Aristot. & Hippocrat. in libro de Princip. dixere, decidere dentes, quoniam oriuntur ex materia admodum fluxili, minimè tenaci, minimè dura; renasci autem dentes dicebat Aristot. eò quia fiunt ex osse adhuc nascente; ut nulla etiam sit causa assignanda augmenti dentium, nisi ea, quod cum gignantur ex materia, quæ superest alimento ossium capitis, cumque semper huiusmodi materia suppetat, consequenter fit, ut etiam dentes decedentes renascantur. Ceterum finis, propter quem natura comparatum fuit, ut dentes soli inter ossa usque ad finem vitæ augeantur, hic vnus fuit, ut repararetur, ne prius corrumperentur, quàm homo moriretur; nam quoniam continuo opus est dentium usu in terendis cibis, necessarium fuit, ut substantia ipsorum imminueretur, & ob id nisi continuo augmento repararentur, fierent homines, & animalia sine denti-

dentibus, priusquam morerentur, atque ita male consultum esset à natura. Tempus, quo dentes oriri incipiunt, ab omnibus definitum est septimus ætatis mensis, ante quod tempus veteres in vltu habuerunt cadauera non cremare; verum quidem est nonnullis etiam infantibus ante septimum mensem oriri dentes, cuius rationem scripsit Aristot. loco citato, & 7. de Hist. animalium capite decimo, scilicet lactis ipsius caliditatem, vt quicunque infantes calidiore lacte vescuntur, iis propter ortus dentium. Tempus durationis ortus dentium definitum fuit ab Hippocrate primus septenarius annorum, & secundus, post secundum septenarium; paucis enim amplius nascuntur dentes, præterquam posteriores gemini, à Plinio vocati, qui interdum oriuntur etiam octuagesimo ætatis anno, quæ forsitan fuit ratio, propter quam & Hippocrates, & Ruffus medicus appellarunt hos dentes *pro pueris negit*, quasi tunc oriatur, quando homines iam sapiunt. Cæterum de numero dentium inuenio inter scriptores nonnihil varietatis. Hippocrates, & Galenus secundo de vsu partium sexto, atque omnes ferè, immò verò ipsa experientia docet, homini trigintaduos dentes innasci. Referunt autem nonnulli de populis Turdulis vocatis; qui sunt in Hispania, eos habere plures dentes, quam trigintaduos, sed forsitan hoc etiam fabulosum est. Aristotelès secundo de Historia animalium capite tertio, turpi quodam errore dixit, viros plures dentes habere, quam fæminas; qui error Aristotelis fecit errare & Plinium & Albertum Magnum, & omnes qui ipsum sequuti sunt, immò verò auctor illius libri sub nomine Galeni de ordine partium corporis ausus est affirmare viros trigintaduos dentes habere, fæminas autem solos triginta. Sane, quomodo Diuinus Philosophus in hunc errorem puerilem lapsus fuerit, ego intelligere nõ possum, nisi forsitan, vt existimauit Albertus Magnus, hac ratione deceptus sit, quod viri sunt calidiores, fæminæ autem frigidiores; sed hac ratione deberet mulier plures den-

tes habere quàm vir, quia cum debeant dentes inferri-
re præparationi ciborum, mulieres, quæ sunt frigidio-
res, & consequenter minus cibos digerunt, iure egent
maiori præparatione, & consequenter pluribus denti-
bus. Scio & Hippocrat. & Aristotelem prodidisse, quæ
habent plures dentes animalia esse viuaciora, sed hoc
etiam non ita vsu compertum est, cum elephas sit vi-
uacissimus, & paucos habeat dentes, nisi velimus dicere
hanc sententiam veram esse in genere humano tan-
tum; & iccirco inductum fuisse Aristot. ad existiman-
dum feminas habere pauciores dentes, quia sunt mi-
nus viuaces. Sed vtcunque sit, experientia ostendit tot
esse dentes mulieribus, quod sint & viris. Ordo dentium
hic est, anteriores supra, & infra quatuor sunt, qui *πρῶτοι*
à Græcis vocantur, nostri incilores appellant; atque
qui priores oriuntur, fiunt ex materia tenuiori, quæ ci-
tius suppetit quàm materia terrestris; & quia fiunt ex
hac materia etiam infirmiores sunt, vt & prius cadant
cæteris, & facilius frangantur. Proximi his vtrinque
qui appellantur *κυνόδοντες*, nostri caninos dentes
vocant, quorum munus est frangere; & vt dicebat Ari-
stoteles sicuti prius est incidere, quàm frâgere, ita quo-
que prius sunt incisoriij, deinde fractoriij. Proximi his
oriuntur dentes molares, vocati à Græcis *γέφυροι*, sicuti
ortus ipsorum vocatur *γέφυρος*, isti enim quemad-
modum nascuntur ex duriori materia, & terrestriori, fit
vt tardius erumpant. Postremi omnium sunt gemini,
seu *σφραγισθέντες*, qui nunquam renascuntur. Cur au-
tem tot mala sustineant infantes cum dentes oriun-
tur, iam ex discursu colligere facile est. nam si orientur
dentes, dum infans est in vtero, expers esset huius mole-
stia, quia igitur oriuntur post exitum ab vtero, &
quo tempore adhuc gingiua tenerrima sunt, ac cer-
tum est vbi partes corporis nostri teneræ à re dura per-
tunduntur, suboriri magnos cruciatus, rationi consen-
taneum est, vt etiam in pueris hoc tempore magni do-
lores fiant. Vnde si affectum ipsum spectemus, dentitio
est

est symptoma in genere actionis tractoriæ deprauatæ. Sed si causam continentem spectemus, est morbus factus à solutione cōtinuitatis, & ab ipsa intemperie calida; vt intemperies calida posterius, solutio autem prius fiat. Solutionis autem cōtinui causa est motus, & impulsio rei duræ per teneras gingiuarum partes. aer etiam tanquam causa quædam externa magnoperè cōfert ad generationem ipsorum dentium; propter quod Hippocrates libro de dentitione dicebat, dentitionem, quæ fit hieme, salubriorem esse illa, quæ fit quouis alio tempore. Rases autem libro decimo continentis, diuersam paulò sententiam videtur habuisse, cum scribat, dentitionem, quæ fit vere, esse minus molestiam; quæ fit autem estate, fieri cum pauco dolore. Sed multo potior mihi videtur sententia ipsius Hippocratis, quam dicere possimus diuersa ratione posse dentitionem meliorem esse verno tempore, & meliorem hieme; ita vt hieme quidem fiât minores dolores, sed qui sūt periculosiores simul sunt, quàm tempore æstatis: & veris. Cæterum non est difficile cognoscere, quâdo pueri hoc affectu laborant, quoniam clamant, alui fluxu tentantur; dum mammas sugunt, gingiuis arcuè papillas stringunt; ora illorum veluti incenduntur, & cum gingiua fricantur, veluti demulcentur. Dicebat Hippocrates libro de dentitione, minus molestari conuulsione pueros, quibus in dentitione aluus fluit, etiam si febre teneantur; eos autem, qui sunt pinguios, magis turbari, quàm macilentios. Illud tamen verum est, quod scribit Hippoc. 3. Aphor. 22. à dentitione fieri in infantibus conuulsiones, febres, & alia mala; propter quod n est opus negligere huius affectus curationem, quæ tota posita est in hoc, vt dolor sedetur, & reddatur facilis eruptio ipsius dentis; quod comparatur facillimè, si incendium, seu illa intemperies mitigetur; & si gingiua ita laxa reddantur, vt possit citra insignem perforationem dens extuberare. & ideo studendum est, vt nutrix hoc tempore abstinat, ab usu ciborum calefa-

cientium, ab usu vini, & utatur cibis refrigerantibus; ut est lactuca, endiuia, pultes ex hordeo, & quidquid refrigerare potest. Quo in casu debet nutrix curare, ut papillæ semper frigidae sint; id enim solet maximum esse refrigerium infanti sugenti. Ut autem provideatur ipsis gingiuis, debent nutrices cauere, ne hoc tempore cibum vllum durum mandant; post provideendum est ipsis gingiuis, ut refrigerentur, & ut laxæ reddantur. Inter refrigerantia est succus maluæ, succus lactucae; & soleo ego huiusmodi linimentum componere:

R. Succi maluæ vnc.s.
Butyri aqua maluæ loti vnc.i.
Dimidium vitelli oui.

Misce, & fiat linimentum, quo gingiuæ perungantur. Sed quia sepe fit, ut neque hoc remedio incendium extinguï possit, ad magis refrigerantia accedendum vsq; ad succum solatri, exempli gratia:

R. Succi solatri vnc.s.
Olei rosati drach.6.
Butyri aquæ lactucae loti drach.3.

Misce; & cum hoc frigido actu inungantur gingiuæ. & aduertendum quo tempore inunguntur, esse etiam procurandum, ut gingiuæ digito pariter fricentur, hoc enim solet demulcere dolorem dentitionis. Ad laxandas autem gingiuas omnia sunt in usu, quæ nonnihil pinguedinis habent, non eius tamen, quæ sit combustibilis, quemadmodum sunt adipēs; ea propter laudatur à proprietate lac caninum. Actius laudat mel coctum. Galenus verò quem penè sequuti sunt omnes vndecimo de simplici medicina, mirifice extollit cerebrum leporinum elixum, & ego hoc soleo uti; sed ubi hoc non suppetit, cerebrum hædi, vel gallinarum confert. Præter hæc remedia, quæ intus administrantur, sunt alia, quæ extrinsecus collo appensa, & intus adhibita arcana proprietate prosunt; nam cinis dentis canis rabidi gingiuis affricatus, ut dicunt, facilem reddit dentitio-

dentitionem. Sic dens apri collo alligatus existimatur prodesse; dens etiam lupi: propter quod nō ineptē faciunt nostrates mulieres, quæ vna cum corallis infantium collis appendunt huiusmodi dentes. Sic existimatur prodesse iaspis viridis collo appensus, ita vt stomachum tangat. dens viperæ maris similiter appensus iuuat. dicunt quoque radicem coloquintidis syluestris anulo, seu canali aureo, vel argenteo inclusam facilem efficere dentitionem. Atque hucusque sunt morbi ventris superioris, qui gignuntur in pueris.

De Singultu. Cap. XVII.

SEQVITVR vt ventris inferni morbos pertractemus. Est autem infernus venter vniuersus ille locus, in quo viscera naturalia collocata sunt; quæ tametsi complura sunt, tria tamen potiora sunt, in quibus pueri solent morbos experiri. Primò stomachus, quem dicebat Hippoc. lib. i. de Diæta, instar maris dare, & accipere ab vniuerso corpore. Secundò vesica. Tertio intestina. De stomachi autem morbis primò loquar, qui duo præcipui sunt, singultus, & vomitus. Singultus, ab hoc enim exordiar, à Græcis scriptoribus vocatus est modò *λύξ* modò *λύξις*, atq; inter eos morbos recensetur, qui frequentissime pueros inuadunt. Sed priusquam vltius progrediamur, sciendum, hoc nomen singultus apud Græcos, & Latinos scriptores duos affectus designare. Vnū, qui fit in ventriculo, & de quo solum locus hic postulat, vt loquamur. Alterum in pectore, & in thorace; de quo loquitur Arist. 38. Problem. sect. i. quiq; contingere solet plorantibus, præsertim verò pueris, & mulieribus; qui singultus nihil aliud est, nisi interceptio quædam spiritus, & vehemens eiusdem eruptio. Causæ verò, propter quam pueri omnium facillimè vtrunq; hunc singultum experiuntur, variæ, & diuersæ sunt. Primùm enim singultus stomachi, fit frequenter in

pueris, vt dicebat Galenus libro sexto Aphorism. decimotertio, quod pueri instar brutorum & lacte, & cibis magnopere replentur; ita vt vis ventriculi plenitudine coacta, hunc morbum edere cogatur. Cur autem pueri potissimum inter plorandum singultiant, ea vna ratio est, quod vehementes passiones habent, praesertim vero iram, & voluptatem; vt dicebat Plato. Vbi autem vehemens fit passio, vehemens quoque fit in corde agitatio; ad quod confert maxime ipsius immensa caliditas, atque vbi magna facta est agitatio, spiritus magno impetu emittitur; qui cum confertim exire nequeat, intercipitur, atque interceptus quasi subsultans, dum iterum egredi vult, singultus edit; quos etiam sustinere mulieres facilliter ex eo puto, quod & ipsae vehementer passionibus, & praesertim ira sollicitantur. Sed de hoc singultu, qui est affectus thoracis, vt ait Aristoteles, locus non postulat, vt dicamus. Sed de hoc loquemur, qui est affectus ventriculi, qui que, vt docet Galenus libro tertio de Symptomatum causis capite 2. & sexto Aphorism. trigesimo nono, est motus conuulsioni similis, quo ventriculus noxas ori eius infixas, expellere conatur. Est enim singultus motus, & propterea res praeter naturam; quandoquidem a natura comparatum est, vt ventriculus pro perficienda coctione in summa quiete, & tranquillitate degat, nec alio pacto vnquam moueatur nisi a circumferentia ad centrum, atque id blandissime scilicet, vt alimentum coquendum arcte complectatur. In singultu autem primum mouetur ventriculus, & motus eius est a centro ad circumferentiam, secus scilicet quam a natura sit comparatum: & quanquam dixerim esse motum praeter naturam; attamen sciendum est, motum hunc non ab anima fieri, sed a natura; a natura inquam non legitime operante, sed coacte. Est motus similis conuulsioni, quia, vt dicebat Gal. loco citato, singultus nequaquam vera conuulsio est, quia vera conuulsio est opus musculorum, iam vero ventriculus musculis yndequaue de-

stitutus

stitutus est; similis tamen est conuulsioni, eò quia fit hic motus eo pacto, quo fiunt spasmi, & conuulsiones. Dicitur quoque est, fieri hunc motum ad expellendas noxas ori ventriculi affixas; dicit enim Gal. 6. Aphorif. 39. quæ molestant ventriculum, aut posita esse in spatio, aut in substantia ventriculi ipsius. Quæ posita sunt in spatio, solo vomitu eiiciuntur; quæ autem infixa sunt substantiæ ventriculi, si superficie tenus infigantur, præsertim in ore naufeas cient; sed si penitus infigantur, non naufeas, sed singultus inducunt. Ex his omnibus perspicuum vnicuique esse potest, hunc puerilem affectum symptoma esse in genere actionum læsarum, nimirum in genere motuum deprauatorum. Læditur autem hæc actio proculdubio, quia vt fuit Galeni sententia tertio de Symptomat. caussis capite secundo, læditur facultas, tum expulsiua, tum retentiu; quia facultates lædi solent à morbis: atqui morbi sunt in hoc affectu, & in mala temperie, præsertim frigida, & in continui solutione. Locus autem affectus est ventriculus, præsertim verò eius os. Sed video aliquem dubitare posse, qui fieri possit, vt facultas retetrix in singultu lædatur, quia est motus conuulsioni similis, & in conuulsione perspectum est, solam expultricem lædi; atque scimus lædi retetricem; quando non retinet id, quod retineri deberet: in singultu cum res sit aduersa materia, perniciofa, ea propter non est vlllo pacto res retinenda. ergo non videtur læsa esse retentrix. Explicat hunc locum Galen. loco citato, vbi docet in singultu primario, per se, & semper lædi expultricem: per accidens autem, & non semper lædi retentricem. nam vbi in ventriculo altè sit quidpiam infixum, quod stimulet materiam, vis expultrix insurgit ad eam depellendam. Sed si interdum contingat, vt ventriculus, vel lacte, vel quopiam alio alimento plenus inueniatur, fit vt ex eo motu retentrix offensa, minimè alimentum retinere possit, & propterea illud reiiciat. Vnde patet, quomodo retentrix facultas in singultu non semper oblædatur. Causse sin-

gultus duobus generibus complexæ sunt ab Hippoc-
 nimirum inanitione, & repletione. Cæterum in pueris
 sunt singultus, vt testatur Galenus libro sexto Apho-
 rismo decimotertio & vt colligitur ex octauo libro de
 medicamentis local. cap. 3. à copia, vel qualitate lactis,
 aut nutrimenti. interdum autem, sed raro ob inaniti-
 onem. copiam lactis & nutrimenti offendere expulsi-
 uam, non est opus vt longo sermone probemus. pari-
 ter etiam clarum esse unicuique potest, lac, aut aliud
 nutrimentum si frigidius reddatur, siue acre, & mordax,
 expulsiuam facultatem vehementer stimulare, & con-
 sequenter, hunc affectum efficere. Internæ autem causæ
 præter naturales huius mali sunt, longæ febres arden-
 tes, fluxus sanguinis, vomitus creberrimi, inedia. Ex-
 ternæ verò causæ sunt aer frigidus, cibus acris, vt piper,
 pharmaca calida, & acria. Singultum cognoscere non
 est arduum, quia statim ipso adspectu proditur; nam
 est vulgare prouerbium, nec singultum, nec amorem
 celari posse. Sed si singultus fiat à plenitudine, cogno-
 scitur, quia pueri voraces sunt, vomitus succedunt sin-
 gultui, fluxus sanguinis, & euacuatio sanat ipsos. Si fiat
 à frigiditate, cognoscitur, quia nutrix frigidis eduliis
 vescitur. adhæc cognoscitur ex externis causis præ-
 gressis; & si ventriculi puerorum, vel fomentis, vel pannis
 calidis foueantur, statim singultire desinunt. Si fiat ab
 euacuatione, cognoscitur, quia vel inædiæ, vel fluxus,
 vel vomitus præcesserunt. Sed si fiat propter aci-
 moniam, cognoscitur, quoniam vel cibi in ipsis cor-
 rumpuntur, vel cum sit lac acre, & mordax, frequen-
 ter & dolere, & plorare consueuerunt infantes.

Cæterum est singultus in pueris maximè salu-
 taris. Sed si fiat ex inanitione est exitialis, quia cum
 pueri sint sua natura humidissimi, & pleni, si quando-
 que vehementer exsiccantur, cum id fiat tantummo-
 do ab excellenti causâ, difficiliter restituntur. Pari-
 pacto si fiat singultus, vel cum epilepsia, vel cum alio
 conuulsionis genere, nemo vnquam euadit. Si fiat
 à frigi-

à frigida intemperie, vnus debet esse præcipuus scopus, vt ventriculus calefiat tum internis remedijs, tum maxime externis. & quia vtraque remedia in hac ætate & iucunda, & facilia esse debent, interius propinandum est modicum vel syrupi de mentha, vel de betonica; exterius verò agendum est & pannis calidioribus, & emplastris, & inunctionibus. emplastrum hoc accommodatum erit:

R. Florum chamomeli,

Rosarum an. p. i.

Foliorum sisimbrij,

Origani, calamenti an. m. i.

Bulliant omnia in vino, & fiat emplasma, quod ventriculi ori apponatur. Conuenit etiam huiusmodi linimentum:

R. Olei anethini,

De mentha an. drach. 3. Croci scrup. s.

Vitelli oui dimidium.

Misceantur omnia, & ori ventriculi illinentur. Si fiat vitio lactis, spectandum est, an copia malum faciat, an potius qualitas. Si enim fiat singultus ob nimiam lactis copiam, studendum est, vt infans modicum lactis fugat idem quoque agendum erit, si propter nimium cibum pueri singultiant, scilicet vt parcius alantur. Si fiat ob lactis acrimoniam, purganda est nutrix, vt sæpenuero docui. præterea ore administrari debet puero aliqd, quod conferat. Auicennas laudat nucis Indicę medullam vnà cum saccharo: ego soleo vti saccharo rosaceo cū bolo armeno, vt:

R. Sacchari rosacei vnc. s.

Boli armeni scrup. s.

Fiat mixtura, cuius modica quãtitas in os infantis mittitur. Si ex euacuatione fiat singultus, balnea conueniunt ex aqua dulci, & ex brodio. cibus sit in adultioribus ex vitellis ouorum, ex testiculis gallorum, & ex omni ciborum genere, qui & nutriant accommodatè, & faciliter coquantur. Sunt etiam quædam medicamenta

peculiaris, quæ secreta qualitate putantur finire singultus. Dioscorides enim, & Plutarchus 3. Symposiacorū 1. scribunt eam herbam, quæ vocatur alyssum, siue manu teneatur; siue adspiciatur, siue odoretur, mirabiliter singultus finire; & vt dixi, hoc facit proprietate substantiæ, ob quam dicebat Gal. 6. medic. simpl. huiusmodi herbam etiam mederi rabiei canum. Raby Moyses scribit esse quosdam motus, qui si ab hominibus retineantur, solent finire singultus; nam quanto magis possunt sese abstinere ab aliquo horum motuum, eò magis vtilitatem capiunt. Sic & à Plat. & ab Hippoc. & ab Aristot. scriptum est sternutamentū, potum aquæ, spiritus retentionem singultus omnes curare; sed hæc in pueris, & infantibus difficillima præsidia sunt.

De Nausea, & Vomitu.

Cap. XVIII.

PRÆTER singultum scribit Hippoc. 3. Aphor. 34. frequentissime fieri in pueris duo alia vitia, nimirum Nauseam, & Vomitum; qui affectus motus sunt facultatis expultricis ad depellendas à ventriculo noxas. etenim materia, quæ infestat ventriculum, aut altè infixæ est ori ventriculi, & singultum facit; aut est infixæ quidem, sed non adeò profundè, & vel in ore ventriculi, vel in tunicis eius, & nausea fit, quæ est vanus vomendi appetitus; aut materia continetur in spacio, atque ita vomitum efficit. Tam verò nausea, quam vomitus symptomata sunt in genere motuum deprauatorum; sic enim magis libet appellare cum Gal. 3. de Symptom. causis 2. quam recensere inter excrementa mutata. Actio hæc læsa fit à facultate, vel essentialiter læsa, vel per accidens. Læditur enim essentialiter facultas, vt dicebat Gal. 1. cap. 3. de Symptom. causis, à morbo. Læditur autem per accidens, vel ab humoribus, vel ab alia re externa. Locus affectus

affectus est ventriculus totus, præsertim verò secundum os. Sed priusquam causas huius mali aggrediar, duo pulcherrima problemata dissoluenda sunt. Vnum est, quod maximè facit ad hanc tractationem, scilicet cur pueri, quemadmodum dicit Hippocrates, & Galenus, ita frequenter, & vomitu, & nausea tententur. Aliud, quod quidem pulchrum est, sed veluti obiter dictum, cur sit, quod animalia bruta hos motus præternaturales ferè nunquam sustineant circa ventriculum: nam etsi sine villo delectu, sine vlla ratione impleant sæpè ventriculum: attamen nulla bruta singultiunt, nulla penè ructus emittunt, paucissima vomunt. Etsi enim Aristot. in fine libri de Hist. animal. scribat animalia, quæ latum pectus habent, esse ad vomitum propensiora, inter belluas tamen pauca sunt, quæ vomunt: immò verò Plinius lib. II. cap. 37. scribit, solos canes vomere, eò quod intestina ipsorum in extremis angustiora sunt, ita vt retenta ob angustiam excrementa veluti restagnent in ventriculo. Sed hæc opinio Plinij falsa est: quandoquidem etiam feles, & cati vomunt; & fues, vt à Collumella lib. 6. cap. 10. scriptum est. Arist. etiam 5. de Hist. animal. cap. 5. hyenam dicit vomere; sed vtrumque sit, paucissima sunt bruta in hac animalium sylua, quæ vomitu tententur. Pro primi problematis solutione dicendum, veram causam, & à Galeno propositam, cur pueri frequenter vomitu tententur, eam esse, quod ventriculus maximè laxus, & humidus habent. sicut enim siccitas mirificè confert ad retinendum, haud secus mollities, & humiditas valent ad non retinendum. Accedit etiam pueros, nihil exspuere, non emungere nares, & tamen caput excrementis, & humiditatibus refertissimum habere, quo fit, vt huiusmodi copiosa excrementa in ventriculo delabantur, eoque delata huiusmodi detrimta inferant. Ad secundum autem problema à nemine forsan propositum, dicendum animalia bruta ventriculum & duriorum, & robustiorum esse nata, quod enim duriorum ventri

culum habeant, præclarissimè indicauit Diuus Hipp. 4. de morbis non longè à fine; vbi scribit, Aphricanos populos confueuisse pellibus animalium vti pro indumentis; ventriculis autem pro crumenis, scilicet ob eorum duritiem insignem. Sed & illud etiam efficacissimum argumentum est eorum duritiei, quod cibus spinosis, siccis, & duris vescantur, quæ proculdubio ciborum genera, nisi ventriculos duros reperirent, eos necessariò sauciarent. Habere etiã belluas robustos ventriculos, possumus & alijs argumentis conijcere; nam vacant curis, vacant animi passionibus, vtuntur plerumque simplici cibo, quæ omnia solent in homine maximè ventriculum violare; & præsertim curæ animi, & studia: ob quæ solebat dicere Cornelius Celsus maiorem partem Urbanorum, & eorum, qui literis operam nauant, ventriculo imbecillo esse. His itaque de causis, animalia ratione carentia motus præternaturales in ventriculo non sentiunt: quos sentit homo, & præsertim infans. Peculiariter verò cur animalia non eructent, explicatum fuit ab Aristot. 10. particula problem. 43. vbi scribit, quod cum eructatio sit motus quidam flatus ad partes supernas, bruta cum sicca sint, & collum longū habeāt, ac propterea ventriculum remotiorem ab orē, fit vt minus flatuum gignant, & etiam flatus genitos potius ad intestina, quam ad os ob itineris longitudinem mittant. Quo in loco non possum tacere oscitantiam Aristot. qui 33. particula problem. 15. dixit, homines magis dormientes, quam vigilantes eructare; quæ res licet forsan non sit ita rationi dissentanea, est tamen aduersus quotidianam experientiam; cum vigilantes innumeri, paucissimi dormientes flatus per os mittāt. Caterum cur canes, & feles vomāt, longè alia ratio est, quam quæ proposita fuit à Plinio, si quidem huiusmodi animalia cum siccum, & planè excarnem ventriculum habeant, necesse est, vt is sit ipsis valdè imbecillis. Accedit etiam, quod hæc animalia vtuntur ossibus, spinis pinguibus, quæ omnia in ventriculo imbecillo

facere

facere vomitum non est mirum. Sues autem vomere apud paucos, excepto Columella, reperio; id tamen si verum est, totum tribui debet & pectoris amplitudini, de qua loquebatur Aristot. & quia semper os ad terram tendunt, & magna parte iacent ventre in terra posito. De hyena verò scribit Aristot. non hoc animal vomere; sed ut venetur canes, vomitum humanum imitari, quo maxime delectari solent canes; verum ut dixi, hæc obiter. Causæ vomitus; & nausæ in pueris illæ ipsæ sunt, quæ potissimum à Galeno proponuntur, scilicet laxitas, & humiditas ventriculi, copia frigidorum humorum delabentium à capite, copia lactis, vel cibi; acrimonia, & frigiditas ipsius lactis. Causæ verò externæ sunt aer grauis, foetor, & sapor ingratus; vsus rerum oleaginosarum, & pinguium. Aristot. 3. sect. probl. dicebat, vinum dilutum nimis excitare vomitum, magis quam vinum, & aquam separatim. Cognoscitur autem vomitus suis signis, quoniam est motus manifestus suapte natura: sed si fiat à frigiditate, cognoscitur ex vita antecedente nutricis, quæ vsa sit victu refrigerante, aut potu aquæ nimio; cognoscitur etiam, quoniam vsu calidorum malum leuatur. Sin autem fiat ob acrimoniam lactis, ex eo cognoscitur, quia & ante vomitum, & post vomitum miseri pueri languent, & affliguntur. Sin autem ob copiam vomitus efficiatur, cognoscitur, quia factò vomitu malum leuatur; nam dicebat Arist. 5. Sect. problem. etiã lassitudinem vomitu finiti, quotiescunq; illo euacuantur illa excrementa, quæ lassitudinem inducebant. Pariter si fiat vomitus propter causas externas, cognoscitur, quia ipsæ nutrices, & alij referunt errata commissa, in quibus perquirendis laudo, vt diligentia adhibeatur. Cæterum vomitus facilis curatu esse solet in pueris, sed si diu perseueret, in atrophiam, & tandem in mortem desinere consuevit; quò fit, vt debeant medici vigilantes esse in comprimendo hoc affectu. itaque vomitus, & nausea puerorum, quæ fit à copia lactis, & alimenti, potissimum curatur lactis, &

alimenti diminutione, vt dicebam de singultu. Quocirca in huius affectus curatione instituenda, illud primum erit curandum, vt infans moderatam lactis copiam sumat. Sed si fiat vomitus ob acrem lactis qualitatem, primum nutricis lac corrigendum erit victu, qui possit retundere lactis acrimoniam; deinde corporis purgatione, de qua sæpe, ac sæpius loquutus sum. Sed si purgatio non sufficiat lactis prauitatem corrigere, secundum erit, vt nutrix quamprimum mutetur: nam sunt quædam lactis genera, quæ vsque adeo infantium ventriculis sunt aduersa, vt nulla industria, nulloque studio corrigi possint. Verum si ob stomachi imbecillitatem huiusmodi vitium oriatur, paulo maiori cura opus est, vt confirmetur ventriculus infantis. Laudabat magnopere Auicennas vsum gariophilorum, coriandrorum; quocirca poterit nutrix mandere vel gariophilos, vel coriandrum, atque ita commansum instillare in os infantis modo solum, modo permixtum, aut syrupo citoniorum, aut de granatis, aut myrthino. Extrinsecus multa administrari solent ad coercendos puerorum vomitus, in primis emplastrum de crusta panis accommodatissimum est; fit autem hoc pacto. accipitur magna panis crusta, & super carbonem assatur, vbi assata est, immaceratur vel vino austero, vel aceto; deinde ita immaceratæ crustæ inspergitur hic puluis:

R. Thuris,

Masticis an. drach. s.

Coriandrorum,

Gariophilorum an. scrup. i.

Puluerizentur simul, & inspergantur. Hoc si non iuuat, fit pari pacto emplasma ex

Albumine ouorum,

Thure,

Masticæ, &

Bolo armeno; exempli gratia:

R. Albumen oui,

Boli armeni,

Thuris,

Thuris,

Masticis an. drach. i.

Misceantur diligenter, & panno lineo excepta calida ori ventriculi apponantur. Soleo ego parare ceratum, quod continuo gestet infans supra ventriculum:

R. Olei myrthini drach. 2.

Succi omphacini drach. i. s.

Vini austeri rubri drach. i.

Bulliant in duplici vase, ad consumptionem vini; deinde adde Masticis,

Myrrhæ,

Acatia,

Thuris an. scrup. s.

Ceræ quantum sufficit, &

Resinæ,

Fiat molle ceratum. Commendatum etiam est corallium appensum collo, ita ut tangat ventriculum, cuius usum ego quoque non damno.

De Urine incontinentia.

Cap. XIX.

SEQVUNTUR vitia vesicæ, quæ omnia penè posita sunt in vitiata mictione. Vitiatur autem in pueris mictio dupliciter; vel quia sponte omni tempore urina fluit, ita ut contineri nequaquam possit; vel alio modo vitiatur, quoniam minime reddi potest. Urinæ incontinentia, de qua nunc sum loquuturus, appellatur à Græcis scriptoribus *exerisis* Latini dicunt modò immictionem, modo imingere, modo immeiere, & est affectus præternaturam, quo pueri inuiti urinam reddunt omni tempore. Dixi non sine ratione omni tempore, quia pueri, & præsertim adultiores quemadmodum etiâ & ebrii, noctu sæpè imingunt, hoc est, sponte urinam in lectu profundunt, quæ profusio nequaquam morbosa est.

pana

nam Aristot. 3. problem. vlt. sect. quærens rationem cur adolescentes, præsertim vero quando inebriantur, magis mingant, quam senes, dicit duas ob causas id contingere. Vna, quia cum corpora adolescentium suapte natura humida sint, copiam potus nequaquam consumunt, sed totam in vesicam profundunt; quod quidem senibus minimè contingit, quorum corpora cum sicca; & vt ita dicam, bibula sint, facile quamlibet potus copiam consumunt; & ob id minimum ad vesicam profundunt. Alteram causam habet Aristot. quoniam adolescentes natura somnolentiores sunt quam senes; vnde cum somno facillimè demergantur, fit vt copiosa collecta vrina in vesica sponte profluat. Ex quo discursu colligi potest mictionem factam noctu in stratis solummodo, & ex ebrietate nequaquam morbosam esse in pueris. Et in confirmationem huius, notandum obiter apud Iuris peritos legem esse, vt si puer seruus venalis, qui imingat, vendatur, si hoc patiat in somno tantummodo, aut ob ebrietatem, non esse redimendum. Adferunt causam prudentissimi Iuris periti; quia hoc non fit vitio vesicæ. Habet itaque immictio, de qua loquor hic, vt fiat omni tempore; atque huiusmodi affectus, vt scribit Paulus Aegineta, lib. 3. cap. 25. pueris est familiarissimus. Modus autem, quo morbosus hic affectus oritur, hic est. Natura musculum circa collum vesicæ fabricfecit, non ob aliud, nisi vt retineretur vrina, ne scilicet vesica naturali expellendi facultate irritata vrinam continuo profunderet, atque ita & mores, & animum, & ciuitatem hominis cõtaminaret. id quod intelligens Gal. lib. 6. de Locis affectis cap. 3. dicebat mictionem esse actionem partim naturæ, partim animæ; eò quod à natura fit expulsio, ab anima fit retentio, & retentionis etiam omissio. Quando itaque musculus hic aliqua ratione ita oblaesus est, vt voluntatis imperio minimè obsequatur, fit vt semper natura operetur, & consequenter hoc vitium mictionis fiat. Videri itaque potest hunc affectum esse symptoma in gene-

re actionum læsarum, nimirum retentricis abolitæ. alij recensent inter symptomata excrementorum immodicè; sed siue hoc, siue illo modo ventetur non admodum curò. Sat illud sit locum peculiariter affectum esse musculum circumdantem collum vesicæ, qui musculus affici solet dupliciter, & præsertim in pueris. Vno modo per essentiam; quando scilicet aliqua insigni intemperie, & præsertim frigida, affectus est, siue illa intemperies nuda sit, siue coniuncta humoribus pituitosis, & frigidis. Solet etiam affici per consensum, quando scilicet ad eum non mittitur id, quod mitti deberet, nempe facultas motrix. nam præclare à Galeno indicatum est 3. de Locis affectis, affici etiam dici partes per consensum, quando facultas debita non mittitur ad eas. Causa autem propter quam non mittatur facultas ad musculum huiusmodi, est obstructio nervorum, & præsertim circa spinalem medullam; vt morbus, seu morbi, à quibus hæc actio læditur, sint modò malæ intemperies, modò obstructio nervorum circa os sacrum. Ceterù horù morborum internæ causæ nullæ aliæ sunt, quàm humores pituitosi, & crassi, quibus solet mirum in modum abundare puerilis & infantilis ætas. Externæ causæ huius mali sunt aer frigidus, cibus frigidus, potus aquæ gelidæ, percussiones circa spinam, casus, luxationes vertebrarum. Cognoscitur autem hæc affectus, quoniam pueri adultiore, & strata, & caligas, & indusia semper lotio madida gerunt; nam hunc affectum in lactentibus pueris cognoscere perarduum est, quandoquidem illa ætas voluntariæ excretionis nulla testimonia edere potest. Si fiat ab intemperie musculi, cognoscitur ex complexionem corporis pituitosa, ex usu calidorum, quia calida collo vesicæ adhibita iuuant; vel si hæc non iuuent, & perseveret affectus, signum est causam esse in nervis finis spinæ. Si fiat à causis externis, cognoscitur relatione adstantium, & ipsorum puerorum, qui vel errores victus, & percussiones, aut casus commemorant. Accedit etiam, quod, vt dicebat Hip-

f

procrates 2. prothetic. affectus, qui fiunt à caussis externis & procatarteticis & facilius, & citius curantur. Est verò hic affectus, si fiat ab intemperie, facilius curatu, quam si fiat ab obstructione, vt Galenus 6. de Locis affectis 4. testatur. Sed si fiat ab vlla caussa procatartica, id est, externa, lethalis est, quando præsertim vel casui, vel luxationi aliqua signa copulantur lethalia. Et quoniam plerumque hic affectus in pueris oriri solet ob humores frigidos, & crassos, qui vel intemperiem, vel obstructionem inducunt, ratio curandi in hoc potissimum posita est, vt consumantur huiusmodi humores, & omnis frigida intemperies adimatur; propterea ante cetera pueri continendi sunt in aere calido, & sicco; potius vigilare debent, quam dormire. Confert eos ad iram prouocare, confert quoque exercere, & præsertim post corporis purgationem. Aluus lubrica semper conseruanda, vel clysteribus, vel suppositorijs: repletio omnis fugienda, tam cibi, quam potus. debet enim parcissimè vti vino, & potius subadstringente, & crassiori, ne scilicet facile in vesicam deferatur. Cibi omnes debent esse calidi, & sicci; panis parandus cum furfure, & coriandris. carnes auicularum conferunt salitæ; aromata etiam moderatè sumta. Abstinentum est à piscibus, à fructibus, ab herbis omnibus, & ab omnibus edulijis, quæ urinam prouocare possunt. Instituto victu, quoniam chirurgicis auxilijs nihil opus est, transeundum est ad expurganda corpora puerorum. Primò itaque lenita aluo vel glande, vel clystere, exhibebitur syrupus huiusmodi:

R. Foliorum calamenti,

Plantaginis,

Menthæ ana m. s.

Seminum rutæ drach. 2.

Fiat decoctio secundum artem. deinde

R. Dictæ decoctionis vnc. 2. s.

Syrupi de portulaca,

Syrupi rosati recentis,

Syrupi

Syrupi de absinthio ana drach. s.
 Misce. Postquam præparati fuerint humores, purgabitur vel drach. i. pillularum de hiera cum agarico; vel si puer pillulas non admittat, huiusmodi potu:

R. Mirabolanorum ehebulorum drach. i.

Seminum rutæ drach. s.

Florum violarum;

Rosarum an. p. s.

Fiat decoctio secundum artem. deinde

R. Distæ decoctionis vnc. 3.

Agarici præparati scrup. 2. s.

Infundantur secundum artem: deinde facta expressione adde mellis rosati solutiui vnc. 2. Misce. Purgato corpore, deueniendum ad localia medicamenta; & siue fiat malum ab intemperie, siue ab obstructione, magno opere confert pueros immergere præsertim vsque ad medium dorsum in aqua thermali, quæ calefacere, & exsiccare valeat; cuiusmodi est aqua nostra Aponensis: inuat quoque adhibere lutum thermale, præsertim offi sacro. Fiunt etiam inunctiones ex oleo costino, & vulpino; quæ si non sufficiant, ascendimus etiam ad oleum euphorbij, ad vesicatoria, atque etiam ad ignem, quamquam corpora puerorum quanto teneriora sunt, tanto etiam blandius, & mitius sunt tractanda. Gal. 9. de Medicamentis localibus, & in libro de facile parabilibus, multa remedia proponit, & inter alia proponit cerebrum, & testiculum leporis combustos, & potu datos; laudat etiam myrrham, calamentum, cochleari cum sua testa combustam, & potu datam. Ad hæc laudat vesicam ouillam, & suillam similiter in puluerem redactam, & potu datam. Diosc. verò commendat semen rutæ in puluerem redactum, & exhibitum. Sed duo hic notanda sunt, vnuni est quod tamen Galenus nominatim proponat vesicam suillam, & ouillam: Virtus tamen & facultas harum non est ex proprietate ipsius animalis, sed potius ex proprietate membri; quan-

doquidem, vt docuit Auerrhoenus. 5. lib. Collect. membra quæque ratione similitudinis iuuare putantur, similia membra; vt quodlibet cerebrum cerebro humano, quodlibet cor cordi, & sic de cæteris. Alterum adnotandum est lib. 20. cap. 13. Plinium latenter damnare Dioscoridem, quod dixerit semen rutæ in hac ægritudine conferre; & damnat auctoritate Hippocratis, qui lib. 2. de Dieta scribit, illud prouocare yrinam; vt si prouocet yrinam, non videatur conuenire posse in ipsius incontinentia. Sed vehementer allucinatus est Plinius, primò quia Hippocrates non expressè dixit semen rutæ valde yrinam prouocare, verùm quod magis prouocet yrinam, quàm aluum. Sed dato etiam quod prouocet yrinam, non inconuenit conuenire quoque in yrinæ incontinentia; quæ cum fiat à crassis, & frigidis humoribus, proculdubio semen rutæ sua vi calefactoria, & exsiccatória valde conuenire potest.

De Vrina suppressione.

Cap. XX.

QUÆRITUR I R C A vesicam patiuntur pueri alia quædam vitia non contemnenda, & præsertim incurere solent yrinæ difficultatem; qui affectus duplicem naturam sortitus est. Aut enim nihil planè yrinæ redditur, & appellatur huiusmodi affectus *isouria* à Græcis; quam definiens quandoque Galenus dicebat esse suppressionem yrinæ cum mortis periculo. Alter affectus est, in quo guttatim yrina redditur, & vocatur à Græcis medicis *sparyouria*. Marcus Varro in lib. de re rustica appellauit lotium substillum, & veteres Latini appellarunt quoque substillationem. Differunt hi affectus inter sese dumtaxat secundum magis, & minus; quia in substillatione redditur paucum quid yrinæ, in Ischuria verò nihil. Sunt autem symptomata in genere excrementorum immutatorum, cum excrementa

menta vesicæ non reddantur, vt deberent. Excrementa verò mutata sunt symptomata à Galeno secunda nuncupata, & propterea dependent ab aliquo priore symptomate, nimirum ab actione læsa. Læditur autem actio expulsiuæ facultatis, tum essentialiter, tum etiam per accidens. Læditur essentialiter ab intemperie frigida nuda, potissimum autem humoribus coniuncta: etenim ab hac intemperie expulsiua facultas imbecillis reddita, aut non potest expellere vilo pacto lotium, aut saltem non potest eo pacto, quo deberet. Læditur autem per accidens à morbo instrumentali, nempe ab obstructione, quæ cum canalem vesicæ offendar, aut ex toto impedit vrinæ cursum, aut magna ex parte. Fit verò obstructio in pueris, tum à lapide, de quo mox loquar, tum maxime ab humoribus viscidis, & crassis; atque hæc causæ internæ sunt horum affectuum. Causæ verò externæ sunt aer frigidus, cibi frigidi, & crassi; vna crassa, aquæ lutulentæ, potissimum autem lac, siue nutricis, siue alterius animalis, nam dicebat Hippocrates 4. lib. de Morbis, quod quale est victus genus, quo nutritur, tale euadit & lac; & quale est lac, tales fieri pueros qui illud sugunt. Vt si lac sit pituitosum, crassum, & terrestre, similia lotia in pueris gignantur, adhæc caseus, lagana, seu crassa edulia legumina, & pisces præsertim lacustres, & palustres inter has causas recententur. Facile est hunc affectum cognoscere, quia pueri, vel nihil vrinæ reddunt, vel illam guttatim, & cum gemitu emittunt. Quod si fiat propter intemperiem frigidam, ex eo cognoscitur, quoniam si fricetur pecten, si calefiat, si comprimatur, vrina protinus redditur. Ex aduerso si fiant hi affectus ex obstructione, cognoscitur, quia quantumcunque comprimatur pecten, nihilo secius vrina impeditur. Cognoscitur etiam ex anteacto victu, & deinde ex eo quoque quod pueri antea assueti sunt vrinas reddere turbidas, & lutulètas. Est verò vterque hic affectus grauis, & difficilis: quandoquidem in pueris omnia naturalium facultatum im-

pedimenta valdè periculosa sunt, & iccirco festinandū est in horum curatione. Primum itaque danda est opera, vt victus, aut nutricis, si lactens sit puer, aut ipse puer, si sit adultus, corrigatur. Vnde fugiendum est otium, omnis repletio, vina crassa, aqua impura, legumina, edulia crassa, lac, caseus; & praesertim fugiendus est aqua mineralis potus, quam dicebat Auicennas efficere yrinae difficultatem. Praeter victum, cum scopus sit yrinam omni ingenio prouocare, studendum est in primis, vt excrementa, quae sunt in ventriculo, & in primis vijs expellantur; & propterea necesse erit primum vnc. 2. vel 3. Mellis rosati solutiui lenire aluum. Post praeparandi erunt humores hoc liquore:

R. Mellis rosati simplicis,

Oximellis simplicis,

Syrupi de betonica ana drach. 3.

Misce. hoc enim aut solo vti debemus, aut admisto modico brodij. sat enim est, vt praeparantur humores existentes & in ventriculo, & in primis vijs; qui postquam praeparati fuerint, euacuabuntur hoc bolo:

R. Floris cassiae drach. 5.

Specierum hierae drach. 1.s.

Misce. vel si potus erit exhibendus, ita componetur:

R. Mellis rosati solutiui vnc. 2.

Electuarij lenitiui drach. 3.

Decocti cordialis vnc. 2.

Misce, & fiat potus. Postquam humores hunc in modum erunt blandè expurgati, nihil aliud superest, nisi vt ad diuretica, & ad prouocandum lotium omni ingenio properetur, tum medicamentis internis, tum externis. Intus maximè laudo decoctum fenecionis, vel centinodij, vel saxifragiae. decoctum etiam ciccerum maximè laudo: poterit etiam hoc decoctum parari:

R. Radicum asparagi p.s.

Foliorum saxifragiae,

Capilli veneris an. m. l.

Ciccerum rubeorum p. l.

Fiat

Fiat decoctio secundum artem, cuius vnc. 3. exhibean-
tur cum modico sacchari, & corpore ieiuno. Exterius,
vbi vrina à puero reddi non potest, primo vnguibz o-
leo scorpionum perunctis fricandus est diligenter pec-
ten, atque etiam comptimendus; si non iuuat, deco-
quenda est parietaria in oleo rutaceo, & factum emplaf-
trum pectini imponendum, radix mei decocta in oleo
rutaceo, deinceps contusa, & imposita pectini ad idem
valet. Soleo ego accipere cucurbitam, in qua diu conser-
uatum fuerit oleum, & eam curo poni in aqua fer-
uente, ac deinceps virgam pueri iubeo conijci in os cu-
curbitulae, & huiusmodi remedium efficacissimum ef-
se expertus sum ad prouocandam vrinam puerorum.

De calculo Vesicae, & Saryrismo.

Cap. XXI.

INTER alias causas, quae faciunt difficul-
tatem mictionis in pueris, dixi esse lapidem ve-
sicæ, qui à Græcis vocatur λιθιασος Hippoc. 4.
de Morbis appellauit lithidam; nostri medici
communi appellatione modò calculum, modò lapi-
dem vesicæ. De quo, priusquam tractemus, videndum
est an hic morbus sit homini proprius, an communis
cum cæteris brutis. Aristot. 10. Sect. problematum,
problem. 12. scribit calculum vesicæ fieri tantummodo
in homine, in brutis verò numquam; & affert rationē,
quia bruta, vel non habent vesicam, vt pisces, & aues;
vel si habent, canalis vesicæ ipsorum amplus est, vt faci-
le vrinae terrestria excrementa exeant; homo autem, in-
quit Aristot. angustum habet canalem vesicæ. Cui sen-
tentia adstipulatus etiam fuit Absyrthus, & Geroes
Medici veterinarij, qui, vt habetur in libro Medicinæ
veterinariæ, cum diligentissimè perscrutati sint vitia
mictionis in belluis, nullam mentionem fecerunt lapi-
dis vesicæ; quo fit vt credibile sit hos insignes scriptores,

nec experientia, nec ratione didicisse hunc morbum fieri in iumentis. Ex altera parte est Vegetius lib. 2. Medicinæ mulorum cap. 12. vbi non solum commemorat hunc morbum in brutis, verumeriam & signa, & curationem edocet. Petrus etiam Aponensis in Com. problematis nuperrimè citati scribit se vidisse calculum in vesica suis. Sed est etiam & ratio, quia bruta continuo urinam reddunt crassam, lutulentam, & simillimam urinæ hominum laborantium calculo. adhæc comparatissimum est, bruta scatere excrementis terrestribus, & crassis; vt rationi consentaneum videatur, etiam ipsa tentari huiusmodi ægritudine. Dicendum est breuiter, sententiam Aristot. intelligendam esse, vt pluri inum; eò, quod sicuti frequentissimè homines calculo laborant, ita rarissimè fit propter rationes antedictas, vt cetera animantia simili morbo capiantur; id quod intelligens Vegetius, noluit silere huiusmodi affectum. Quod si verò obijciatur, bruta urinam habere crassam, & excrementa terrestria, non est mirum, quia excrementa, quæ in lapidem conuerterentur, partim per amplum vesicæ canalem exeunt, partim in cornua, rostra, & vngues conuertuntur; adeo vt manifestum esse possit, hunc morbum peculiarem esse homini. In genere autem humano peculiariter afficiuntur calculo pueri, vt prodidit Hippocrates 3. Aphor. 27. & cum Hippoc. Galenus, Auiuennas, & reliqui Medicinæ scriptores. Est tamen hoc intelligendum de pueris tantummodo masculis, nequaquam autem de puellis, & mulieribus. nam diligentissimus Auicenn. 18. 3. tract. 2. cap. 12. scribit, neque puellas, neque mulieres faciliter tentari lapide vesicæ, propter tres causas; quia scilicet habent canalem vesicæ breuem, latum, & rectum; non autem anfractuosum, adeo vt sententia Hippocratis sit interpretanda de pueris masculis, qui frequenter lapide vesicæ tentantur. Sed hac in re est dubitatio; nam omnes scriptores comparantes lapidem vesicæ, & rennum in pueris, tum in senibus dixerunt, pueros frequenter

quenter lapide vesicæ laborare, & frequentius quàm senes; lapidem verò renalem senibus esse magis familiarem. iam verò huic sententiæ quotidiana experientia refutari videtur, quandoquidem multò plures cōspiciuntur senes, qui lapide vesicæ laborant, quàm pueri. Alexander etiam siue Trallianus, siue Aphrod. videtur dubius hac in re fuisse; nam lib. 2. Problem. 4. scribit & pueros, & senes æquè laborare calculo vesicæ. Cæterum libro 1. Problem. 109. & 110. quærens rationem, quamobrem pueri calculo vesicæ magis tententur quàm senes, inquit ex eo esse, quia pueri poros vreticos habent angustiores, & facultatem expulsivam robustam, quo fit ut materia non possit retineri in his locis; sed cum stimulet vehementer facultatem expulsivam à renibus exploditur in vesicam, ubi concrefcens in lapidem euadit. Senes verò inquit Aristoteles cum habeant meatus vreticos latiores, cumque habeant facultatem expulsivam infirmam, fit ut urinæ crassamenta detineantur in renibus; & consequenter ibi in lapides concrefcant. ad eò ut videatur hæc res controuersa, vtrum pueri magis, an senes calculo vesicæ laborent. Pro resolutione itaque huius rei, dicendum est, calculum vesicæ duplicem generationem habere. Altera est, qua lapis primùm fit in renibus, deinde explosus in vesicam per accretionem augetur; quem vnicum modum generationis omnium vesicæ lapidum cum Fernclius esse voluerit, longè, lateque deceptus est. Alter modus generationis est, quo immediatè lapis in vesica generatur. His constitutis, dicendum est pro quæstionis resolutione, lapidem qui immediatè efficitur in vesica, frequentius in pueris fieri, quàm in senibus; atque de hoc interpretandum esse, tum Hippocratis tum aliorum sententiam. Lapidem verò, qui non immediatè fit in vesica, sed primò in renibus generatur; hunc verum est frequentius in senibus reperiri, quemadmodum quoti'diana experientia comprobatur. Cur autem pueri potissimum laborent lapide, qui in vesica immediatè

generatur, explicuit Galenus tertio libro Aphorism. vigesimo sexto, & tertio in sexto Epid. Comment. 15. Quibus in locis scribit, ppter ea pueros huiusmodi ægritudine magis inf. stari, quàm senes: quoniam vtraque causa generationis lapidis multò maior, & efficacior in eis est, quàm in senibus. nam cum pueri voracissimi sint, innumeros crudos humores cumulant, qui in vesicam delapsi, fiunt materia lapidis generationis. adhæc pueri natiuo calore robusto admodum valent, qui materiam in vesica repertam, faciliter in lapidem indurat; vt dicebat Hippocrates quarto de Morbis, indurari ferrum igne. Senes autem etsi abundant crudis, & terrestribus humoribus, quia tamen ipsorum calor imbecillis est, fit vt in vesica, vbi facultas caloris minor est, lapis minimè gignatur. Cæterum præter Galeni rationem Auicenn. loco citato attulit tres alias causas. Vnam facultatis expulericis robur. Alteram vasorum angustiam. Tertiam humorum tenuitatem. Est verò lapis in vesica morbus, & morbus in numero. Sed hoc etiam in loco dubitari potest, vtrum verè sit morbus in numero; nam Galenus in Arte medic. capite nonagesimo primo, manifestissimis verbis reposuit inter morbos in cauitate: præterea videtur potius lapis esse causa morbi, nempe obstructionis. quàm morbus. Est enim regula Galeni secundo capite, libro de Differentiis morborum, quod non est subiectum sanitatis, non potest esse subiectum morbi. atqui lapis in vesica non potest esse sanitatis subiectum; igitur neque ægritudinis. Dicendum est pro solutione, non inconuenire eundem morbum sub pluribus generibus contineri; nam lapis in vesica potest esse, tum morbus in cauitate, si spectetur locus vbi positus est; tum morbus in numero.

Est enim omnium medicorū receptissima sententia morbos in numero fieri modò ex materia vtili, & naturali, vt est sextus digitus; modò ex materia toto genere præternaturali, qualis est lapis. Itaque huius morbi causæ internæ materiales. sunt humores crassi, pituitosi,

pituitosi, atque tenaces. Causa autem effeatrix, est caloris magnitudo, non quidem præseruantis, vt videtur censuisse Paulus Aegineta, sed naturalis. Causæ etiam internæ, sed mediatae huius mali sunt, in primis angustia canalis, deinde proprietas hæreditaria. nam Aui-cenna in fine capitis præcitati, docet hunc morbum etiam fieri paterna hæreditate. His causis addere possumus etiam lac nutricis. Namque Hippocrates libro quarto de Morbis, loquens de hoc morbo, præclaram & memoria dignam doctrinam nobis reliquit, vbi scribit, lapidis vesicæ originem vniuersam ferè pendere ex lacte, quod homines in infantia sugunt, quod lac, si impurum sit, non solum lapides, verum etiam alios morbos inducit. Impurum autem ait fieri lac, quando aut nutrix vescitur cibis pituitosis, & crassis; aut quando suapte natura est vel pituitosa, vel biliosa, vel aquosa, vel sanguinea. Et notandum eo in lib. Hippoc. sub nomine aquæ sæpius intellexisse humorem melancholicum, vt alias docui. Iam verò à nutrice huiusmodi affectio imbibi potest, vt Hippocrates inquit, cum lac impurum ab infante exfugitur: si enim venas latas habeat, quæ à ventriculo in vesicam tendant. huiusmodi impura materia in vesicam defertur, vbi cum vrina subsidet, perinde atque aqua turbida in vase aliquo conuassatur, & deinde quiescens sedimentum in medio facit; quod deinde sedimentum vrinæ à pituita instar collis conglobatur, & tandem conglobatum indurescit, haud aliter vt videmus indurescere ferrum in fornace. atque hic est modus generationis lapidis ex lacte relictus ab Hippocrate. Causæ externæ sunt illæ omnes, quas proposui, dum tractarem de Ischuria, & Stranguria. Quinq; signa proponuntur ab Hippocrate, quibus cognoscitur præsertim in pueris lapis vesicæ. Vnum est, quod cum dolore, & gemitu mingunt. Alterum, quod guttatim mingunt. Tertium, quod sæpè vrinæ sanguis commixtus exit. Quartum est sabulum in vrina perpetuò ferè apparens. Quintum & postremum

inflammatio vesicæ. possumus addere his & aliud si-
gnum, nempe præputium pruriens; ob quod videmus
pueros hac ægritudine affectos, frequentissimè scalpere
genitalia. Cæterum in pueris hic affectus non solet esse
exitialis: quandoquidem si non aliis remediis, saltem
excisione curatur. Illud verum est, nisi curetur excisio-
ne, pueros plerunque consueuisse mori, eo quod in hac
ætate mirificè augetur lapis, ita vt crescentibus annis à
natura minimè sustineri possit. In curatione huius vitij
instituenta, debent medici ante omnia alia diligenter
animaduertere, num pueri sint orti ex parentibus cal-
culosis, quia quod dicebat Plutarchus in libro de Sera-
numinis vindicta, filios Podagricorum esse statim cu-
randos, idem quoque dicere par est de filiis calculoso-
rum parentum. Est autem huiusmodi curatio posita in
recta victus ratione, & propterea statim prouidendum
est, vt pueri abstineant ab importunis motibus, præ-
sertim a cibo; vt fugiant omnes cruditates, crapulas, vi-
na crassa, aquas impuras, cibos viscidos, & crassos; vt ca-
seum, lac coagulatum, cerebella, & extrema animalium:
præsertim verò incumbendum est, vt dum lac fugunt,
nutrix vtatur victu extenuante, & ab omnibus crassis,
& viscidis abstineat. Cæterum si præter paternam dis-
positionem, iam lapis in vesica esse appareat, diligen-
ter cogitandum est, vtrum lapis sit tener, & vix inchoa-
tus; an verò sit diuturnus, & durus. Vbi malum in ini-
tio est, conandum est medicamentis manifestis, & arca-
nis lapidem comminuere, & expellere. plura autem
sunt, quæ ad hoc magnoperè valere putantur, vt est san-
guis hircinus, anonis, cetrach, saxifragia, radix petroseli-
ni, sceniculi; lapis spongiæ, lapis iudaicus, lapis qui
inuenitur in felle bouis; nam redacti in pulueres, &
cum vino tenui, aut decocto anonidis propinati, lapi-
des recentes, & teneros comminuere consueuerunt. So-
leo ego exhibere pueris drach. 2. vel 3. therëbinthinæ
lotæ liquatæ, & cum vnc. 2. aquæ anonidis commisce-
re. Alexander i. libro Problematum medicinalium 108.

qua-

quærens cur sit, quod in lapide pueri, qui calore condensatur, utamur potius medicamentis calidis quam frigidis, cum secus esse debere videatur, duas causas adfert. Vnam quod exustio magnopere confert ad lapidum diminutionem, cum videamus omnia ea, quæ comburuntur in minutas arenas, & in cinerem plerumque comminui. Aliud, inquit Alexander, interdum medicos uti etiam refrigerantibus medicamentis, tum ad mitigandum renum incendium, tum maxime ad facultatem expulsivam corroborandam. Sed pace huius gravissimi auctoris, nihil horum mihi satisfacit; nam etsi medicamenta calida aduersus hanc ægritudinem administremus: non tamen ea adhibemus, quæ exurant, & ratione exustionis lapidem in minutas arenas conuertant; quia sicuti videmus hoc opus fieri ab igne vehementissimo, & flagrantissimo; ita quoque esset necesse euenire in vesica, quod tamen citra exitiale detrimentum sustineri non possent. Adhæc minime fatendum est frigida conferre in hac ægritudine, eò quod facultatem expulsivam corroborent; quoniam huiusmodi facultas non frigore, sed calore pro instrumento utitur. Quamobrem multò satius est, ut dicamus non quælibet calida medicamenta in hac ægritudine exhiberi, sed ea tantummodo, quæ tenuium partium sunt, eò quod medicamenta huiusmodi tenuia potentissima sint ad lapides recentes frangendos; ut non ratione caliditatis hæc remedia quarantur, sed potius gratia tenuitatis partium. Ad frangendum autem hunc lapidem proprietate valet guttur gallinæ combustum, & in puluerem redactum cum vino exhibitum; eringij etiam decoctum à proprietate valet. Sed illud operæ pretium est, ut intelligatur, quotiescunque libebit uti huiusmodi medicamentis, quæ vel manifesta, vel occulta facultate profunt, prius corpora puerorum aliquot diebus esse immergenda in balneo aquæ, in qua cocta sit malua, aut lapatium, aut radix altheæ; ut scilicet emollita aliquantisper materia faciliter obse-

quatur medicamentorum viribus. Si autem lapis magnus sit, atque durus, ita ut nullis medicamentis vinci possit, deueniendum est ad excisionem, & prius pedibus eleuatis agitandus est puer, ac deinceps eo pacto facienda est excisio, quo docuit nos Paulus Aegineta; & aduertendum, ut etiam prædixi, huiusmodi opus non vsque adeo verendum esse in pueris, ut in viris: quia tutius & facilius fit hæc sectio; immo retulerunt mihi Nursini lithotomi se non raro accipere pueros è media via impurgatos, atque ab iis lapides ferro extrahere cito, & tuto; ut non sit vsquequaque audiendus Auenzoar, qui præcipit medicis, ne vnquam interessent huic operi. Fuit enim ipse doctissimus, & exercitatissimus Medicus, sed ut ipsemet de se narrat libro primo tract. 8. cap. 23. ita timidus erat, ut in syncope incideret, quotiescunque videbat aliquem vulnecari: ob quod dicebat sese chirurgiam exercere noluisse.

De Satyrismo. Cap. XXII.



VRIVS QVAM finem imponam tractationi de morbis vesicæ, optimum erit, ut scrupulum quendam adimam. Nam Hippocrates libro tertio, Aphorismo vigesimo sexto, inter alios puerorum morbos, quos recenset, adnumerat satyrismum; quid autem per satyrismum intellexerit, diuersas video fuisse sententias. Aliqui recentiores putarunt Hippocratem intellexisse priapismum, qui est morbus, seu tentigo præternaturalis ipsius pudendi. nam etsi satyrismos apud Aristotelem tertio de Generatione animalium, cap. decimo, & apud Aretæum, atq; Galenum, significet frequenter elephantiasim; significat tamen etiam priapismum; quamquam Paulus Aegineta videatur paulò diuersam proposuisse differentiam, & priapismi, & satyriasis. Et quia poterat aliquis obiicere huic sententiæ, nõ posse in pueris fieri priapismum, seu hanc tentiginem, quoniam semine carent,

respon-

respondemus ex Hippocrate, in lib. de Genit. pueros habere quidem semen, sed illud non erumpere propter vasorum, seu venarum angustiam: ad cuius rei confirmationem potest adduci illud, quod à Diuo Hieronymo memoriae proditum est, nempe nutricem quandam prægnantem redditam fuisse à puero decem annorum, quem ipsa aluerat, & cum quo conuersata fuerat. Alij existimarunt sub nomine satyrismi ab Hippocrate intellectam fuisse ipsam elephantiasim; & inter hos fuit Brasauola, & Fuchsi. Alij probare conati sunt, primum, nõ posse elephantiasim ab Hippocrate intelligi; eò quod nõ sit morbus proprius puerorum; deinde asseruerunt, hanc vocem apud Hippocratem significare tumores quosdam, qui oriuntur in glandibus aurium, cuiusmodi depinguntur in vultibus satyrorum; & ad hanc suam opinionem adstruendam adducunt Galenum, qui in libro linguarum Hippocrat. hanc vocem proponens, cuiusmodi etiam significatum adfert. Vnde cum ea vox nullibi vsurpata ab Hippocrate reperiatur, nisi hoc in loco, rationi consentaneum videtur, non aliud eam significare, quàm quod dictum est. Ego verò cum videam Cornelium Celsum interpretantem hunc aphorismum, huius vocis nihil meminisse; cumque etiam Galenus, & Stephanus Atheniensis in suis Commentariis satyrismi nullam faciant mentionem, in hanc sententiam venio, vocem illam potuisse forsitan ab aliquo nimis diligenti scriptore, insertam esse. Verù si legitima est, magis mihi placet, vt interpretemur satyrismum priapismum, quàm vt interpretemur, vel elephantiasim, vel illos tumores; eo quod etiam in pueris, vt nuper dicebam, verè efficiatur hic affectus, de quo mihi visum est hæc pauca proponere.

o s s o

De Vitiis intestinorum. Cap. XXIII.

PLATO in Timæo dum fabricam intestinorum persequeretur, inter alia dixit, summum Opificem hæc membra animalibus fabricasse, vt ciborum receptacula essent: hominum verò intestina flexuosa fecit, vt diutius in ipsis retinerentur & cibi, & excrementa; ne scilicet homo à contemplatione auocatus continuo ventri, & cibis indulgere cogere tur, haud secus & Aristoteles & Galenus de intestinis sensisse videntur, vt sit communis omnium sententia intestinorum munus esse, tum vt excrementa ciborum susciperent, tum maximè, vt ea expellerent; propter quod non solum ampla, vacua, & capacissima reddita sunt; verum etiam & retentrice, & expultrice facultate prædita. Vtrum autem intestina facultatem etiam attractiuam sortita fuerint, non postulat hic locus vt disputemus. Illud quidem necessarium est scire, cum intestinorum functiones sint, & retinere debito tempore, & expellere excrementa, huiusmodi functiones vitari, quando aut debito tempore non retinent, aut debito tempore, modo, & mensura non expellunt. Si debito tempore non retineant, sūt fluxus ventris, de quibus statim loquar. Sin autem nec debito tempore, nec debito modo, aut mensura expellunt, sit aliud genus vitii, quod à Medicis nuncupatur alui adstrictio: hunc affectum non videtur recensuisse Hippocrates inter morbos pueriles. quemadmodum non omnes persecutus est. Veruntamen Auicenna etiam pueros hac affectione tentari, & curatione indigere docuit, quem nos sequentes, dicimus hunc affectum in pueris nihil aliud esse, nisi dispositionem quandam præternaturalem, qua pueri nec debita hora, nec debita mensura feces corporis reddunt. Dixi debito tempore, quoniam fuit sententia Hippocratis. Prognost. 15. debere omnes homines, vt plurimum mane feces egerere, cò quod tunc temporis omnis coctio celebra-

celebrata sit; nec propter hoc infertendum est, cibum, prout quotidie assumitur, sic quoque quotidie exire debere; quoniam, ut idemmet Hippocr. testatus fuit 4. de Morbis non longe a principio; cibus altera quaque die exit, humores autem tertia die. Idem dum 2. Prognostic. de vicibus, quibus faeces quotidie expelli debent, loqueretur, dixit aut bis, aut ter in die egerendum esse, semel autem noctu. Sed sapissime miratus sum, quod huiusmodi sententiam nobis reliquerit, quemadmodum etiam Galenus videretur ipsum tanquam hae in re superuacaneum damnassee; nisi, ut aliqui dicere voluerunt, asseramus Hippocratem loquutum esse secundum Graecorum morem, quasi ipsi toties in die faeces excernerent. Sed utcumque sit, debent faeces quotidie exire, & secundum mensuram, & secundum qualitatem ciborum. Secundum mensuram, quoniam pueri, qui plurimum edunt, plus excrementorum egerere debent; qui minus edunt, pauciora quoque excrementa reddant necesse est. Pari pacto qui edunt, aut panes sursuraceos, aut herbas, aut radices, multas faeces egerere debent, & qui ex aduerso, vel oua, vel carnes edunt, minus quoque excrementorum debent reddere. Summatim quo cibi, qui capiuntur, minus nutriunt, plures faeces facere debent; & ex aduerso, qui vescuntur maioris nutrimenti cibis, minus egerant opus est. Ceterum est hic affectus symptoma in genere excrementorum mutatorum, cum faeces pauciores reddantur, quam par est; & quia haec symptomata secundaria sunt, & propterea ab aliquo primo pendunt; primum symptoma est lesio actionis expultricis. nam huiusmodi lesio fieri solet, vel quia primum offenduntur intestina, vel quia offenduntur per consensum. Offenduntur autem per consensum, quando vel faeculas expultrix non mittitur ob resolutionem alicuius nerui, vel muscui; quae resolutio fit, aut ob morbum in intempetie, aut ob obstructionem. Vel fit haec lesio, quia non mittitur bilis ad intestina, quemadmodum mitti deberet. nam, ut

compertum est, natura ad hoc, vt intestina quotidie stimulentur ad deponendas faeces, constituit ductus, & canales quosdam, qui à vesica fellis ad intestina perferunt bilem, quæ deinceps perlata sui acrimonia stimulat facultatem expulsiuam. Vbi itaque huiusmodi bilis non mittitur, actio expulsiua necessariò labefactatur, non quod intestina primum patiantur, sed quia facta est obstructio in antedictis meatibus, cuius merito expulsio intestinorum vitatur. Vbi autem expulsio hæc vitatur ob protopathiam intestinorum, fit, vel quia expulsiua facultas offensa est, vel quia adest aliquod erratum in intestinis, quod huiusmodi actionem impedit. Læditur autem facultas intestinorum, aut propter morbum instrumentalem, nempe propter aliquem tumorem, aut cicatricem: Vel propter morbum similem, hoc est, propter aliquam intemperiem. Sed priusquam ulterius progrediamur, proponenda est contradictio in verbis Galeni: nam libro primo de Tuenda valetudine capite 13. dum luculentissimè persequeretur causas omnes adstrictionis alui, posuit inter alias intemperiem frigidam, & siccam, tum intrinsecus, tum extrinsecus factam. Cæterum quinto in sexto Epid. tex. 27. explanans sententiam illam Hippoc. refrigeratio quæ sunt in ventre dura, inquit fieri nequaquã posse, vt intemperies frigida interna vnquam aluum adstringat. reddit rationem, quoniam vbi frigida est intemperies, vel in ventriculo, vel in intestinis, necessario vitatur coctio, fiunt cruditates, & eò sequenter potius aluum liquari, quàm siccarì. Ex quibus verbis clarissimè patet, repugnantiam euidentem esse in verbis Galeni. Et eum hanc contradictionem à nemine propositam adhuc viderim, apud me non est admodum facilis solutu: puto tamen dicendum esse, intemperiem internam, aut insignem esse, aut mediocrem, & aut fieri à sola interna causa, aut fieri etiam ab externa. Si intemperies frigida sit valdè insignis, dicò eam facere alui siccitatem, & ratio est, quia tametsi vitietur coctio,

ctio,

atio, & propterea fiant crudi humores, vitiatur tamen etiam expulsiua facultas, & propterea alius retinetur; atque hoc pacto loquutus videtur Gal. i. lib. de Tuentia valetudine. Sed si intemperies frigida non sit vsque adeo insignis, vt laedat virtutem expulsiuam intestinorum, fit alui potius solutio, quam adstrictio; quemadmodum 6. Epid. significasse videtur Galenus. Possimus etiam dicere intemperiem frigidam factam ab externo aere, licet interna sit, exsiccare aluum; factam autem intrinsecus absq; vlla occasione externa, aluum liquare. Sed alij etiam examinare hanc pulcherrimam contradictionem poterunt. Illud autem certissimum est, quod scribit Galenus eodem loco 6. Epid. scilicet a frigore externo indurari faeces, non quod intemperies insignis efficiatur in intestinis, quae eas induret, perinde ac videmus indurari lutum ab immenso frigore, sed quia musculus anum cingens, & contractioni ipsius famulans vehementer refrigeratur: atque refrigeratus vehementer adstringit; ob quam adstrictionem cum faeces in intestinis diutius retineantur, necessario durae, & aridae euadunt. Laeditur quoque expulsio propter aliquod erratum, quod vel intra intestina sit, vel extrinsecus accidit. Intra intestina sunt humores viscosi, & crassi, qui obuoluti faecibus, eas inter sese colligant, vel intestinis affigunt, ita vt vel ægerime, vel nullo modo exeant. Erratum autem, quod extrinsecus accidit, est vel in aere ipso; nam certum est aliuos fieri adstrictas magis tempore hiberno, quam aestiuo. atque sic dicebat Hippocrates 3. Aphorismi. 10. flantibus Aquilonibus ventres durari; somnus etiam immodicus, otium consummatum, profunda cogitationes aluum sicant; praesertim autem ad alui adstrictionem faciunt errores, qui committuntur vel in potu, vel in cibo; nam si puer parce bibat, si vinum crassum, & adstringens sumat proculdubio aluum adstringitur. Pari pacto si plus, minusue cibi capiat, faeces non redduntur; si cibi adstringentibus utatur, si ordine praeposito, ita vt primum ad-

stringentia, deinde liquida sumat. Similiter dicebat Hippocrates secundo libro de acutis, eos, qui prandere consueti sunt, si prandium dimittant, aluum ipsis adstringi. atque hæc est series omnium earum causarum, quæ in pueris morbosam alui adstrictionem facere possunt. Dixi enim morbosam, quoniam sæpè usu venit, ut pueri aluum adstrictam habeant, & tamen ab illa nihil detrimenti capiant; cuius quidem Medicus nullam curam gerere debet. Sed video aliquem dubitaturum, quæ ratione fieri possit, ut puer multum edens paucas fæces egerat, & simul tamen sanus vivat; nam videtur hoc, & præter rationem, & præter auctoritatem scriptorum esse. Præter rationem, quoniam excrementa retenta præterquam quod vim inferunt intestinis, solent etiam per vniuersum corpus vapores mittere, à quibus vniuersus ipsius status violatur. Est etiam præter auctoritatem, quoniam dicebat Hippocrates in libr. de aere, aquis & locis, eos, qui aluum fluidam habent, nunquam morbis acutis tentari, & præsertim pleuricidè: idem etiam in penult. Aphorism. lib. 2. dicebat in senibus adstrictam aluum meliorem esse, in iuuenibus verò liquidam; quam deinceps sententiâ mutuatus Celsus libr. primo cap. 3. dixit, in iuvene fusâ aluus, in senè adstricta melior. Et magnus ille Auenzoar in initio sui libri dixit convenisse inter omnes Medicos ad tuendam sanitatem maximè necessarium esse, ut aluus liquida sit. quæ omnia si vera sunt, quomodo igitur fieri potest, ut puer cum aluo adstricta sanitate fruatur? Dicendum est, rarò quidem usu venire, ut pueri, qui sunt aluo adstricta, sani vivant; veruntamen si id quandoque contingat, non alia ratione evenire, nisi quia maxima pars excrementorum aridorum à natura, vel in halitus insensibiles euacuatur, vel per vesicam educitur. nam habetur apud Aristot. 4. de Generat. anim. in fine cap. 4. vaccâ fuisse in Perintho, quæ cum anum natura oclusam haberet, & propterea fæces non redderet, vixit tamen: eò quòd, ait Aristot. per vesicam

vesicam extremēta natura exernebat, id quod in pueris fieri posse, non est rationi dissentaneum. Cognoscitur hic affectus, quoniam pueri non egerunt quotidie & tamen plorant, aut si grandiusculi sunt, capite afficiuntur, & si quando faeces reddunt, id faciunt cum gemitu, & dolore. Si verò pueri aluo sint adstricta propter aliquem errorem in cibo, aut potu commissum, nō erit difficile cognoscere ab adstantibus ipsis, vt non sit opus multa sollicitudine in signis huiusmodi perquirendis. Sed si vitium hoc ab internis causis oriatur, paulò maiore diligentia opus est. Cognoscemus enim fieri malum ab intemperie frigida, si maciam in corpore, pallorem, ructus & flatus adesse viderimus. Sin autem fiat propter humores viscidos, & crassos, cognoscemus, quia faeces quandoque cum exierint, semper huiusmodi humoribus obuolutæ erunt. Pari pacto si fiat, eò quia bilis ad intestina non permeet, cognoscemus, quia corporis color luteus erit, faeces autem aut albæ, aut subcineritiæ. Ceterum dicebam alui adstrictionem in aliquibus nihil ferè detrimenti adferre, in pluribus tamen, & præsertim pueris voracibus admodum periculosum esse; quia etsi statim morbi non fiant, tamen longo tempore concipiuntur, & tandem erumpunt, quãdoquidem, vt prodidit Hippocrates, morbi in corpore nostro non generantur subito, sed longo tempore geniti, subito expullulant. Quamobrem si diutius adstrictio perseueret, omnino prouidendum est; prouidendi autem ratio in pueris, posita est in duobus; in ipsius scilicet accidentis correctione, & causæ sublatione. habet enim hoc vitium eas conditiones, vt vno, atque eodem tempore liceat Medicis, & causis occurrere, & symptomata sedare. Pro aluo itaque, vel quotidie, vel frequenter pueris mouenda sunt multa remedia, quæ (cum tenerima corpora tractentur) blanda, & mitia sint oportet. In lactentibus pueris studium Medici debet esse, vt nutrix iis cibis vtatur, quæ aluum mollire possunt; vt maluis, ficibus aridis, passulis, iure caulium;

& ne longus sim, omnibus iis ciborum generibus, quæ aluum soluere possunt, nam sicuti lac generatur ex sanguine, ita sanguis ex cibus; vt non sit dubitandum lac affici qualitate ciborum, quibus nutrices vescuntur. puero autem lactenti quæ adhibenda sunt, debent omnia esse potius externa remedia, quàm interna. Inter externa fiunt enemata cum butyro: fiunt etiam glandes ex lardo, melle, & radice maluæ; porrum etiam sub cineribus allatum, & ano puerili inditum, prouocat faeces. Soleo ego interdum curare, vt coriandra saccharo condita imponatur in anum, quia titillant facultatem expulsuam, nec vllam vim inferunt. Præter hæc fiunt medicamenta, quæ extrinsecus vmbilico apposita, aluum pueri soluunt. nam soleo accipere, aut dimidium albuminis oui percocti, atq; indurati, & replere butyro cum modico, aut coloquintidis, aut granis duob. scamoneæ. Fel babulum illitum vmbilico valet ad idem, succus cyclaminis cum æquali portione olei amygdalarum dulcium, & adipis gallinæ si illinatur vmbilico, ad idem quoq; valet. Vbi verò puer grandiusculus est, laudat Paulus vsum therebintinæ, cui ego adhæreo; caricæ etiam cum modico cnicus sumtæ iuuant. immò panis quoq; multo fursure confectus, & passulis, in continuo vsu sumtus, ex Hippoc. sententia ad feces educendas prodest. Ius brassicæ, maluæ pueris grandiusculis adhiberi potest. Similiter etiam glandes, & enemata præscripta pueris lactentibus. Atque hic modus, & ratio, qua statim licebit occurrere ipsi alui adstrictioni. Cæterum vt causæ vincantur, illud primò addendum est, vt omnes errores externi aboleantur; id quod fiet, si in lactentibus pueris victus ratio nutrici præscribitur, quæ nullo pacto adstringere aluum valeat. Vnde arcenda erit ab orio, ab vsu vini adstringentis, & acerbis, ab vsu ciborum crassorum, & qui facultate sint adstrictiora, vt sunt mespila, citonia, forba, corna, berbere, & tandem quidquid adstringendi facultate pollet. In pueris grandiusculis itidem agendum erit, vt scilicet

cibus

cibus vtantur aluum emollientibus; ab adstringentibus abstineant; in somno, & vigilia, in exercitationibus corporis moderatè se gerant; & aquilones ventos fugiant. Si fiat adstrictio propter intemperiem intestinorum figidam, erit inuigilandum in lactentibus, vt vel lac corrigatur cibus calefacientibus, vel mutetur nutritrix. ad hæc ventriculus, & vmbilicus pueri erunt fouendi huiusmodi fomento:

R. Vini optimi lib. s.

Foliorum calamenti,

Abrotani, Menthae,

Origani ana m. s.

Bulliant simul, & cum spongiola foucatur venter vni. uersus. iuuabit pariter huiusmodi inunctio;

R. Olei nardini

Sampfucini, vel de

Menta ana drach. 3.

Pulueris gariophilorum scrup. s.

Cerae parum.

Misce, & fiat linimentum. Si fiat propter humores viscidos, & crassos, vtendum erit iis, qua incidere, & attenuare possunt, vt est oxymel, syrupus de prassio; hæc enim & lambendo puero data, & à nutrice vsurpata maxime iuuare possunt. Vbi autem fit alui adstrictio, eò quod bilis non penetret ad intestina, tota curationis ratio posita est in tollendis illis obstructionib. & propterea si puer fit grandiusculus, iuuabit decoctum erythrodani, citerum rubeorum, radicum fœniculi, vel asparagi; vsus etiã cetrach, & capilli Veneris prodest. nam in ætate, & in corporibus puerilibus medicamenta fortiora non sunt adhibenda.

De Aluo nimis fusa. Cap. XXV.



CONTRARIVS huic affectus fit & alcer in pueris, nimirum quando aluus illis fusa magis est, quàm conueniret, id quod pueris frequenter contingere solet, & præsertim quã

do dentes emittunt, vt scripsit Hippocrat. 3. Aphorism. 25. Est enim hic affectus alui nimia laxitas, qua pueri, & frequentius, & plus egerunt, quam par sit pro ratione cibi, & potus. Dico pro ratione cibi, & potus; quia pueri, qui plurimum comedunt, si plurimas feces edant, non est in ipsis affectio morbosa. Est autem hic affectus symptoma in genere excrementorum immodice, quod symptoma pender a læsa actione, tum retentricis, tum expultricis facultatis. Leduntur verò huiusmodi actiones, vel propter aliquam intemperiem, vel aliquod vitium intestinorum, vel quia ipsis intestinis accidunt, quæ accidere non deberent. Intemperies intestinorum, quæ facit in pueris aluum laxiorem, est, vt dicebam cum Galeno, frigida intemperies; ob quam vitiosa coctio, & corrupti cibi faciunt huiusmodi fluxum. Sed est etiam & intemperies humida, merito cuius facultas retentrix, quæ in sicco posita est imbecillis reddita cum ætænere non possit feces, facit vt ab illis expulforia facultas concitata expellat & magis, & frequentius quam par esset. Quæ accidunt intestinis puerorum, & alui perfusionem faciunt, plura sunt: in primis enim est humiditas à capite ad ventriculum; & à ventriculo ad intestina delata; sic enim crebro fieri alui fluxum docuit Hippocrates in libro de Affectibus internis: adhæc sunt corrupti cibi, qui cum acrimoniam acquirant, ad intestina prolapsi expulsiuam facultatem irritant.

Sunt item ichores acres, & mordaces; & hinc est quod pueri, quo tempore dentiunt fluxu alui sollicitari solent; quandoquidem cū opus illud nature sit, vt dicebat Democritus, violentum; ac gingiuæ veluti acubus terebrentur, insignes cruciatus fiunt, ob quos in illis partibus calor præternaturalis excitatur, à quo attrahuntur humores ad eas partes; qui inibi putres, falsi, & acres redditi, necnon ad stomachum deinceps, & intestina præcipitati, mirifice expulsiuam facultatem excitant, & consequenter alui fluxus inducunt. Pari pacto humo-

humores biliosi solent aluos puerorum concitare; imò vero solent interdum intestina ipsa sauciare, & dysenterias facere. Ex externis causis austinus aer magnopere valet ad soluendam aluum; sic immoderate exercitationes corporis, usus ciborum nimium liquidorum, & eorum, qui aluum soluere apti sunt. Facile est cognoscere huiusmodi ægritudinem, quandoquidem non solum pueri frequentissime feces reddunt, verum eas semper liquidiores quam conuenit. Si vero fiat ex ciborum corruptione, cognoscemus, quia feces fetidissime sunt, apparent cibi inconcocti, ructus etiam creberrimos pueri edunt. Si fiat propter dentitionem, cognoscemus ex signis ipsius dentitionis, quæ alias monstrauimus. Si fiat malum propter ichores, & humores biliosos, cognoscetur etiam, quia feces biliosæ erunt, flauæ; & si sauciata fuerint intestina, feces sanguinolentæ erunt, & mucis sanguineis oppletæ. Si autem ab aliqua intemperie originem duxerit malum, cognoscetur, quia nulla alia signa causarum aderunt; & præter hæc, signa aderunt vel intemperiei frigidæ, vel humidæ. Cognoscetur vero malum fieri ex destillatione, si puer catarrho laboret, & ad pulmones non delabatur: sique feces ipsæ spumosæ fuerint; nam spumosas feces capitis affectionem indicare alias docui. Si demum ab vlla causa exteriori malum profiscatur, intelligemus per obseruationem factam circa mores, & vitam puerorum; in qua obseruatione faciendâ hortor vt sollicitus, & diligens quisque sit. Cæterum dysenteria omnis in quolibet corpore perniciofa est; quare etiam in pueris semper est timenda. Dicebat autem Cornelius Celsus vna die fluere aluum, atque etiam pluribus, sæpè pro valetudine esse, modò febris absit, & malum intra septimam diem finiatur. Vnde non statim debemus, vbi pueri alius nimis fluit, timere, aut prouidere; quia sæpè importuna diligentia in comprimendis fluxibus puerorum exitialis esse solet. tunc autem est prouidendum huic morbo, quando nimis diuturnus est; quia si diutius fluxus

perseuerat, solet pueros in atrophiam, & ex ea ad mortem perducere. In instituta curatione fluxus alui puerorum, primum illud videndum est, an puer lacte adhuc utatur, an vero adultior sit. Si lacte utatur, studium totum conuertendum ad nutricem, quæ, si fieri poterit, omnino mutanda erit; quandoquidem in diuturnis infantium fluxibus nihil præstantius reperi quam lac permutare; id si fieri non possit, corrigendum erit, si causa fuerit calida, primum curandum est, ut nutrix victu utatur refrigerante; abstineat à potu vini, & loco eius utatur aqua chalybeata, vel vino subadstringente, sed paucifero. Cibis quoque subadstringentibus utatur, & refrigerantibus, ut ptisana cum succo citoniorum, pulpa ex farre, ex oriza, ex millio, necnon berberis etiã mespilis, & tandem omnibus, quæ refrigerare, & adstringere valent. Infanti verò utile erit huiusmodi unguentum illinire supra umbilicum, & ventriculum:

R. Olei myrthini,
Citoniorum an. drach. ʒ.
Pulueris masticis,
Corallorum rubeorum,
Acatie an. scrup. s.
Cerae parum.

Misce, fiat linimentum. Ex aduerso si causa effectrix fluxus fuerit frigida, nutrix uti debet rebus calefacientibus, quemadmodum vino subadstringente, aromatibus, carne optima; & cum brodijs incoqui poterunt menta, origanus, serpillum. Pueri autem ordinabitur huiusmodi inunctio:

R. Olei de absinthio,
Masticini an. drach. ʒ.
Pulueris abrotani, Consolidæ,
Boli armeni ana scrup. s.
Cerae parum.

Misce, & fiat linimentum. Laudant plerique coagululum hædi. Aristot. verò 3. de Historia animalium cap. 21. scribit aduersus alui profluvia magno perevalere coagululum

coagulum leporis & cerui; quocirca poterimus etiam nos sine periculo hoc remedio uti, ita ut non transcendamus vniquam in hac aetate scrup. sed optimum erit quo tempore puer utetur hoc genere praesidij, ut abstinat a suscipiendo lacte, & eius loco utatur panatella cum lacte amygdalino. nam sicuti coagulum extrinsecus lac condensat, sic si exhiberetur importune, periculum esset ne idem faceret. Vbi vero puer grandiusculus est, primum videndum erit, an alui fluxus sit obortus propter cibi corruptionem; quod si ita euenit, nihil facere debet Medicus, quod corruptos cibos retinere possit, sed sat erit pueri ventriculū corroborare huiusmodi oleo:

R. Olei nardini,
Masticini an. drach. ʒ
Pulueris corallorum rubcorum drach. i. s.
Cerae parum.

Misce. Si vero alia causa fuerit, & praesertim fuerint humores pituitosi a capite descendentes, prouocanda erit omni diligentia vni decoctis seminum communium, asparagi, petroselinii, ameos; parantur enim decocta, vel in brodio, vel aqua, & propinantur puero; quae cum prouocent vrinam, diuertunt materiam pituitosam ab intestinis. Sin autem oriatur malum ex confluxu humoris biliosi, studendum erit, ut humor ille attemperetur, & ut prouideatur, ne intestina ab eo humore ulcerentur. Idcirco arcendus erit puer a vino generoso, a cibis acris, & dulcibus: immo vero ab omni vino. Utendum erit, vel pulte ex hordeo, vel ex milio, vna cum succo granatorum acidorum, citoniorum; syrupus de ribes optimus est, succus berberorum cum saccharo, miua citoniorum. Prae ceteris autem soleo ego uti felicissime enemate ex milio cocto, & per colum transmissio, vna cum decocto myrabolanorum, exempli gratia:

R. Decocti myrabolanorum omnium vnc. 6.
Succi milij per colum transmissi vnc. 4.

Misce, & fiat clyster. Soleo etiã vti huiusmodi syrupo:

R. Tapsi barbati,
Consolidæ maioris an. m. s.

Fiat decoctio secundum artem. deinde

R. Dictæ decoctionis vnc. 2. s.
Syrupi de ribes vnc. i.

Misce. Serum chalybeatum præstantissimum est, vbi fluxus alui fit ab humore bilioso, & potest exhiberi pueris ad quantitatem vnc. 6. vel 8. pro captu. Si autem intestina sint vlcerata, ita vt iam dysenteria sit facta, studendum est vlcera illa per sanare, & si sordida sint purgare. Vfus Zedoariæ commansæ diu, & deinde de glutiæ mirificè prodest. Valet etiam huiusmodi confectio:

R. Conferuæ de ribes vel berberorum vnc. i.
Thuris drach. i.
Masticis drach. s.
Pulueris consolidæ scrup. 2.

Misce, & drach. 2. vel 3. singulo mane sumantur. Brodiũ gallinæ antiquæ, in quo verbascum sit coctum, prodest, & ad dysenteriam, & ad quemlibet fluxum pertinacem. Nam dicebat Gal. 6. de Simplicibus medicamentis gallinæ antiquæ ius aluum adstringere, pari pacto iecur asietis, vel bouis assatum, & in puluerem redactum, si cum modico lactis chalybeati, aut decoctione verbasci propinetur, vtilissimum esse solet. poterit autem exhiberi vel dimidium scrupuli, vel scrup. i. cum vnc. 3. vel 4. lactis chalybeati. Est quoque necesse vti in his casibus cœnematibus sed aduertendum, ne illa sint acria, & mordacia, qualia solent fieri ex muria mirificè à Galeno cõmendata, quoniam hæc in pueris acerbissimos dolores faciunt, nec sustineri in hac ætate sine periculo possunt. Inuabit autem in initio hic clyster:

R. Aquæ hordei,
Chalybeatæ vnc. 8.
Sacchari rubei vnc. i.

Misce, & fiat clyster. hic enim valet in principio, quia modicè

modicè exsiccat, abstergit, & mundat vlcera; quæ ubi sunt mundata, postmodum sicanda, & curanda sunt; atque tunc huiusmodi clyster valet:

R. Seri chalybeati vnc. 9.

Thuris,

Boli armeni,

Pulueris consolidæ ana drach. 3.

Sanguinis draconis drach. 5.

Misce, & fiat clyster.

De Tenesmo. Cap. XXVL

QUO S T fluxus, immo verò in ipsis, & ex ipsis fluxibus solet pueris suboriri alter affectus admodum molestus, qui à Grecis appellatur *τενεσμος*. Medici Latini vocant modo Tenesmum, modo Tenesmonem. Et est hic affectus quidam appetitus inanis egerendi feces cum dolore, & molestia. Dicitur enim inanis appetitus: quia etsi continud pueri desiderant feces egerere, atque etiam id contentur facere; tamen nihil propemodum expellunt præter mucos valde exiguos. Dicitur etiam cum molestia, & dolore, quia nunquam hic affectus est absque aliqua molestia, & cruciatu; vt optimè docuit Cornelius Celsus. Vnde notandum hoc obiter, morbum, quo periit Pomponius Atticus, non fuisse Tenesmum, vt male Medici illius temporis persuaserunt; quandoquidem ille affectus fuit sine dolore, vt legitur in illius vita, cum Tenesmus necessariò alicui dolori, vel molestiæ iungatur. Est verò hic affectus symptoma in genere actionis ractoriæ læsæ, & in genere expulsionis læsæ deprauate, & diminutè. Læditur autem hæc actio, quoniam hæc facultas essentialiter læsa est, nimirum, vel ab intemperie frigida, vel calida intestini recti, & vltimi cum materia frequenter, raro sine materia. Materia verò est humor crassus, viscidus, adhærens, nec mordacitatis expertus. nam cum huiusmodi humor tenacissimè inhercat

extremo intestino recto, sua illa acredine, & intricata qualitate stimulat facultatem expulsiuam, quæ excitata tamen omni conatu nitatur eam expellere, cum tamen non possit ob tenacitatem, veluti diuellitur tunica ipsius intestini, atque in ipsa diuulsione fit & appetitus, & dolor. Causse antecedentes huius mali frequentissime sunt alui fluxiones præcedentes; fit enim, ut cum continui humores eas partes tangant, & percussant, deducantur tandem ad intemperiem, vel frigidam, si humores, sint pituitosi, vel calidam, si sint calidi. Vnde postmodum fiunt non solum intemperies, sed & inflammationes. Vnde obseruauit ego sæpe pueros hoc malo fuisse tætos, quod super saxum frigidum, vel terram, aut herbam frigidam sedissent; nam ex huiusmodi longa sessione, non est dubitandum intemperiem frigidam intestinum rectum contrahere posse. Est etiam quedam species medicamenti venenati, appellata dorchnium, à qua scribit Nicander in alexipharmacis huiusmodi affectum generari. Etenim cognoscitur hic affectus, quoniam pueri appetunt, & conantur sæpe fæces egerere, ita ut interdum vi conatus extra propellant ipsum anu. Fæces, quas educunt in hoc conatu, paucissimæ sunt, mucosæ, sanguinolentæ; & si malum fiat ab intemperie calida, calor percipitur à pueris in ano, rubor adest, iuuant remedia refrigerantia. Pari pacto si fiat malum ab intemperie frigida, multo minor est dolor, nullus adest calor, aut exiguus; nullus rubor, ac demum calfacientia auxilia profunt. Solet hic quidem morbus, si ab initio, & diligenter tractetur, tandem finiri feliciter. Sed contingit etiam interdum, ut propter continuos dolores, vigilias, & ploratus, pueros ipsos deducat, & in febres lethales, & in corporis consumptionem, & tandem in mortem; quapropter erit opus eos statim curari. Et quia rarò pueri lactentes huiusmodi vitio tentantur, opus erit, si quando tententur, nutrices, aut pueros adultos arcere ab omnibus cibis acetosis, salis, acris, dulcibus, utendum autem ijs, qui yrinam prouocare possunt.

possint. & si malum fiat à causa frigida, erit incedendum, quemadmodum in fluxu supra dixi. Pari pacto si materia fuerit calida, peculiariter autem ad dolorem sedandum, & ad illum appetitum inanem mitigandum, adhibentur pueris infellus, fomentationes, suffumigationes, & glandes, siue suppositoria. Infellus ex decocto verbasci, aut dictamni Cretenfis, & tapsi barbati mirificè prodest ad Tenesinum puerorum sedandum; vt etiam valet ipsum decoctum verbasci. Fomentationes quoq; fiunt ex vino adstringente, in quo cocti sint myrabolani chebuli, & folia verbasci; nam accipiuntur spongiolæ, & imbutæ eodem viâo apponuntur ano. Suffumigationes fiunt ex resina, therebintina, ex picæ colophonia, ex corticibus illis, in quibus manent nuclei pini inclusi. nam soleo ego curare, vt contundantur hæc, & ligna pini, & contusa super carbones conijciantur, ac deinde puer fumum ano attrahat; atque hic fumus mirificè valet, & ad appetitum sedandum, & ad demulcendum dolorem. Sic etiam valet therebintina, si super carbones iniecta supponatur ano ita vt fumus ipsam ingredi possit. Si verò hæc non iuuerint, componantur glandes, quæ in anum immissa, dolorem tollunt.

R. Opii gr. 4.

Croci scrup. 1.

Thuris scrup. 1.

Cum luteo oui assati formetur suppositorium, & in anum immittatur; huiusmodi enim, præterquam quod dolorem lenit, & tollit, habet etiam vim consumendi, & exsiccandi humores illos, qui adherentes extremo intestino faciunt malum, & præsertim si humores calidi sint.

*De torminibus intestinorum.**Cap. XXVII.*

HIT in puerorum intestinis alter affectus, qui non solum homines, & bruta, verum etiam pueros magnopere torquet; ut iure à Latinis vocatus sit hic affectus nomine torminum. Sed dubitari merito posset, qui fiat ut intestina usque adeo ingentes, & sauos cruciatus sustineant; quandoquidem cum deberent recipere excrementa dura, & aspera: coacta fuit natura ea oblinire adipe, & mucos, ut sensum obtusum haberent; quod dixit Galen. 5. in 6. Epid. 28. & alibi sæpè. Si itaque intestina obtuso sensu prædita sunt, non videtur rationi consentaneum, ut ingenti dolore affici possint; quandoquidem vbi dolor magnus est, ibi quoque, ut sensus sit egregius, necesse est. Nam etsi Plinius quandoque videatur etiam arboribus dolorem tribuisse, ea potius fuit ipsius ingenij luxuria, aut quia Pythagoricos sequeretur, qui & dolores, & lacrymas in arboribus ponebant. Si itaque intestina non possunt sustinere dolorem insignem, cur est, quod & pueri, & homines sæpè usque adeo doloribus intestinorum vexantur, ut quod retulit Galenus secundo, de medicamentis localibus, inuenti sint, qui ob doloris magnitudinem se ipsos interemerunt? Dicendum est id, quod videtur proposuisse Galenus 5. lib. de usu partium, cap. 10. vbi querens, qui fiat ut intestina dolores, & mordicationes sentiant, atque interdum à bile atra exulcerentur, inquit hoc iccirco contingere, quia cum intestina sint anfractuosa, atque etiam valde longa, diutius in ipsis humores retinentur; qui deinceps retenti, paulatim internas intestinorum tunicas denudant à mucis, atque ita ipsorum substantiam corroduunt, & dilaniant. Ve iam sit aperta ratio, propter quam & intestinorum sensus sit obtusus, & tamen extremos cruciatus sentiant. Est dolor hic, sicut & reliqui
omnes

omnes; symptoma in genere actionis tactoria deprauata. Deprauatur autem actio à morbo, qui est vel intemperies insignis, vel solutio continui, vel vtraque. Causa porro intemperiei, atque solutionis continui intestinorum, sunt modo flatus, qui & refrigerantes intestina, & ipsorum tunicas diuellentes, dolorem inducunt. Sunt etiam humores vel frigidi, vel pituitosi & viscosi, vel calidi, vt lac corruptum, humor biliosus, melancholicus; quamquam hos dolores à melancholico humore oriri perquam raro contingat. Sunt etiam inter has causas vermes, qui etiam omnem ætatem sollicitare soleant; præcipuè tamen vexant pueros, interdum lactentes, sæpius autem ablactatos. Externæ causæ sunt aeris frigiditas, frigiditas pedum, vsus ciborum frigidorum; cibi dulces, præsertim autem hos dolores in pueris facere solent fructus omnes fugaces, qui hanc ætatem magnopere delectare consueuerunt. Cognoscuntur autem pueri dum his doloribus torquentur; quoniam plorant, mammæ refugiunt, sese torquent, & incessanter perclamant. Sed priusquam alia signa percurrant, conuenit huic loco, vt proponam pulcherrimum problema propositum ab Aristot. 27. problema sectionis 9. scilicet, cur sit, quod homines, & præsertim pueri dum dolent, maxime clamant: Vbi autem metuent non solum non clamant, immo verò alto silentio tenentur. Ratio huius verè Aristot. digna est: homines dum dolent, magna vi spiritum retinere in partibus spiritui destinatis; vbi autem spiritus diu retenti sunt, cum non possint capi, & sustineri, magno impetu erumpunt; in qua eruptione cum aerem frangant, vehementem sonum, & clamorem faciunt. Contrarium autem, inquit Aristoteles, contingit in metuentibus, quorum præcordia cum refrigerentur, atque pauci spiritus in ipsis sint, toti vnà cum calore congregati circa cor ibi manent, nec extra vllò impetu profertur. Cæterum causa propter quam in dolore homines, & præsertim pueri spiritum retinent, est, inquit Aristoteles,

quoniam sicuti natura comparatum est, ut bruta partim cornibus, partim unguibus, partim dentibus indota sese defendant, sic sponte naturæ, ubi aliquis dolor in corpore est, homines calorem nativum ad locum dolentem trahunt, & consequenter etiam una cum ipso spiritus, qui huiusmodi caloris, & vehicula, & domicilia sunt. Si dolor efficiatur à flatibus, cognoscetur, quia dolor modò vehemens est, modò remissus; modò abscedit, modò reuertitur. adhæc erumpunt crepitus & ano & ore, qui etiam dolores leuant. Sin autem fiat ab humoribus, cognoscitur, quoniam dolor magis permanens, & magis continuus est. & si fiat ab humore pituitoso, fæces exiguæ egeruntur, atque illæ mucis oppletæ: quemadmodum si fiat dolor à biliosis humoribus, cognoscitur, quia fæces crocæ exeunt. sicuti si à lactis corruptione, vel acrimonia fiat, cognoscitur, tum notis ipsius lactis, tum maxime quoniam fæces quæ egeruntur, corrupti lactis speciem præ se ferunt. Porro dolor omnis qui perseverat in omni ætate, periculosus est, maximè autem in ætate puerili; quam dicebat Plato in lib. 2. de Legibus, & alibi, à dolore, & à voluptate quasi à quibusdam tyrannis magnopere affici. Afficit autem maximopere dolor intestinorum hanc ætatem, & inter hos dolores sæuissimi, & exitiales esse solent, qui fiunt à vermibus, & qui diu perdurant. quapropter diligenter, & sollicitè debet etiam curatio huius affectus intelligi. Primum enim si dolor fiat à lacte corrupto, aut aliquo pacto vitiatò, quamprimum est nutrix mutanda, si sint lactentes, dico quamprimum, quia doloris, & symptomatis magnitudo tantè refert, ut non permittat corrigi lac; quia usq; quò hoc fieret, tormento possent pueri interimì. Si autem fiat dolor à flatu, atque puer lactens sit, ante cætera providendum est, ut nutrix abstineat ab omni genere eduliorum flatulentorum, vitet legumina, lagana, herbas, fructus fugaces, præsertim verò castaneas, vina crassa. præstabit autem vti coriandris, fœniculo. & quod dico de victu nutricum,
idem

idem quoque dicendum est de victu eorum puerorum, qui iam grandiusculi, & adultiores sunt. Ipsi verò pueris ea sunt administranda auxilia, quæ propriè anodyna nuncupantur à Gal. 5. de Simplici medicina cap. 18. & sunt ea, quæ calefaciunt in primo gradu, quæque materiam dolorificam euacuant, incidunt, attenuant, & dissipant; cuiusmodi est oleum anethinum. quare poterimus in his casibus, vel vèntri pueri illinire largè oleum anethinum, vel habere omentum castrati, & incoquere, aut frigare in oleo anethino; ac deinceps ipsi vèntri superponere. porò si flatus dissipari, aut excludi nõ possint, duo remedia solent administrari. Vnum est, vt clyster, hoc est instrumentum illud, quo imponimus enemata, vacuum blandè in intestina iniiciatur, atque lignum deinceps extra trahatur. solet enim aer in intestinis puerorum inclusus huiusmodi artificio extrahi. Alterum auxilium est, vt clysteres iniiciantur; & si puer lactens sit, sufficet vnc. 2. vel 3. olei anethini lumbricati iniicere per clysterem. Sin autem grandiusculus sit, poterit ciminum, & anetum in oleo dulcissimo incoqui, ac deinde olei huiusmodi percolati vnc. 6. vel 8. pro captu, poterunt per clysterem iniici. Et, quemadmodũ alias monui, aduertendum est, vbi flatus excludi debet ab intestinis puerorum, illud fieri debere blandissimis remedijs, quandoquidem si calidiora administrantur, atque in intestinis fomes flatuum reperiatur, euenire solet, vt auxiliij loco sæpè dolores acerbiores euadant. Si fiat dolor in adultioribus pueris à materia pituitosa, enitendum est huiusmodi remedijs propositis blandè dolorem mitigare. interim verò ipsi causæ occurrendũ erit, vt scilicet humor pituitosus, & crassus incidatur, attenuetur, & euacuetur. Erit autem accommodatã hæc potio:

R. Foliorum anethi,

Origani,

Cimini ana m. s.

Fiat decoctio secundum artem. deinde

v a

R. Dictæ decoctionis vnc. 3.

Oxymellis simplicis,

Syrupi bifantini ana drach. 3.

Misce. Vbi præparata erit materia, euacuanda est, & ad ipsam euacuandam nihil præstantius reperitur vsu hieræ simplicis. quare si infans sustinere possit; & sine febre sit, optimum esset exhibere drach. i s. hieræ cum vino, quemadmodum faciebant veteres. Sed si puer auerfetur amarorem medicamenti, hoc exhiberi poterit:

R. Electuarij lenitiui drach. 5.

Specierum hieræ drach. i

Misce, & fiat bolus. Vbi autem dolor fit ab humoribus acris, & mordacibus, cuiusmodi sunt biliosi, studendum est ipsum sedare, & per interna, & externa remedia. Exterius conuenit vsus olei rosati lumbricati, vel folijs, vel admisti cum pari portione aut olei anethini, aut chamomelini. Conuenit etiam omentum præditum frigerè in oleo rosaceo lumbricato, & apponere ipsi umbilico. Iuuant etiam clysteres parati primum ex fero, vel ex aqua hordei, deinde ex lacte, ex ptisana hordei. Soleo ego hoc parare tum in lacte corrupto, tum etiam in humoribus biliosis:

R. Ptisanæ vnc. 7.

Olei anethini vnc. 2.

Vitellum oui num. i.

Misce, & fiat clyster. Præter hæc remedia debet Medicus sollicitus esse in euacuandis ipsis humoribus; quandoquidem cum sint tenues, semper parati sunt, vt facilliter euacuentur. Erit autem accommodatum ad euacuandum hunc humorem in grandiusculis:

R. Diaphoenich drach. i. s.

Rhabbarbari puluerizati scrup. 2.

Pulpe tamarind. drach. 3.

Misce. Vel si potu erit vtendum, poterimus biliosos humores hoc pacto euacuare:

R. Decocti tamarind. vnc. 2. s.

Rhabbarbari electi scrup. 2.

Spicæ

Spicæ grana 2.

Infundantur omnia secundum artem. deinde facta diligenti expressione, adde electuarij lenitiui vnc. z. Misce, fiat potus. Sed si nulla ex his remedijs iuuerint, quid agendum, ne pueri crucientur, & intereant? deueniendum est ad ea medicamenta anodyna, quæ sensum obtundunt, & adimunt; & quæ non proprie anodyna vocari scribit Galenus. Solent nutrices offerre pueris requiem Nicolai; sed sicuti hoc medicamentum laudo interdum, & prudenter ysurpatum; sic minimè laudare possum eas nutrices, quæ, vt ipsæ dormire possint, continuo hoc remedio infantes saturant; quandoquidem præter cætera mala, quæ in pueris facit nimius opiatorum vsus, solent quoque mirificè mentem, & intellectum hebetare; quare vel rarissimè erit vtendum, vel, si puer grandiusculus sit, multò satius erit, alicui ex clysteribus prædictis immiscere modicum, vel eiusdem requiei, vel phylonij Romani; ita vt non transcendatur horum medicamentorum, vel scrup. s. vel ad plus scrup.

1. Sed, vt dixi, hæc cura coacta, & impro-
pria non nisi vigente summa
necessitate est effi-
cienda.

FINIS LIBRI II.



HIERONYMI

MERCVRIALIS

DE PVERORVM

MORBIS

LIBER III

De nomine, & definitione Lumbricorum.

Caput I.



VCVS QVE hæc doctrina, in superioribus omiffa, dilata de Lumbricis, excepta est ex lectionibus supra secundum Epidem. pridem habitis. Superest vt de animalibus intraneis, hoc est, de vermibus pertractemus; quandoquidẽ perfectio huius tractationis illud etiam postulat. Erunt autem, quæ tractabo de hac materia, quatuor. Natura, Differentiæ, Signa, & Curatio. Circa Naturæ contemplationem, & nomen, & essentiã, & causas omnes primo adducam. Apud Græcos Scriptores vocantur hæc animalia *ἐλμύγες*: atque hoc nomen commune est ad omnes species, immo quandoque etiam aliquas species particulares significat. Cæterum inuenire etiã est apud Hippoc. & 1. & 4. Epid. *ἐλμύγες*: Latini Medici, atq; etiã alij Scriptores vocarunt modo Lumbricos, vt Cornelius Celsus lib. 4. suæ Medicinæ, modo

modò Vermes, modò intrancorum animalia, vt appellauit Plinius. Sed circa hoc nomen duo adnotada sunt. Vnum est, nomen Lumbricorum etiam communicari ijs animalib⁹, quę cum similia sint Lumbricis hominũ, tamen nascũtur sub terra, & præsertim locis lutulentis, & aquosis; atq; sic etiam Columella, & Plinius, & alij Auctores linguę Latinę, vocasse inueniuntur. Aliud aduertendum est differentiam esse apud Scriptores Latinos inter vermes, & vermina, seu verminationē; quia vermes proprię sunt hæc animalia, quę & inter ipsa viscera viuentium generantur, & etiam intra terrę viscera. Vermina autem dicuntur tormina intestinorum, non vermes ipsi; sic quoque verminatio appellatur torsio, quemadmodũ apud Senecã Epistola 97. Quare si quãdo apud Scriptores rei Latinę, & apud Medicos iumẽtorũ, legere contigerit vermina, & verminationē, sciendum rem esse distinctã à lumbricis, de quibus agimus. Itaq; lumbicus nihil aliud est, nisi animal, seu substantia animalis formã referens, in corpore hominis nata, varię lædens operationes. Dixi animal, vel res animal referēs, eò qd̃ latus lumbricus, vt apparebit, quando tractabimus differentias, nõ proprię animal est; sed, quẽadmodum dicit Hip. 4. de Morbis, est quãdã substantia adnata intestinis ipsis, q̃ animalis formã representat quodammodo. Dixi in corpore; quia licet oriatur præcipuē hæc animalia in intestinis; tamen oriuntur etiã in alijs locis quemadmodũ suo loco patebit. Addidi quoq; hominis, eò quod animalia bruta maximè rentari solent hoc genere affect⁹ vermium; verũtamen neq; tẽpus, neq; locus postulat, vt de ijs agamus. Dixi varię lædens operationes, quòd, vt demonstrabo latius, hæc animalia modò dolores, & cruciatus inducunt miros, modò corpora contabescere faciunt, modò epilepsias, modò phrenitides, variaq; alia mala inferunt. Ex hac descriptione clarissimelicet colligere, Lumbricum in homine esse morbum, quemadmodũ docuit Gal. lib. de differ. morb. 8. & lib. 44. Meth. 19. atq; toto genere præter na-

turam, & inter morbos in numero ipsum cōnumerādū esse; p̄pterea quod substātia quaedā est superflua, partibus solidis corporis adiūcta, nō tamen ob hoc interedū est, morbū esse de predicamento substātia, quādo nō ea substātia verē morbus est, sed p̄ter naturalis dispositio, ab ea excedente substātia facta. Hac itaq; sit essentia Lūbricorū, de qua tractaturi sumus; quē essentia cū proficiscatur à suis causis proprijs atq; quatuor sint genera causarū, efficiēs, formalis, finalis, & materialis; op̄ est diligenter circa vnuscuīusque causā speculatione versēmur.

De causa efficiente Lumbricos.

Cap. II.

QUO ad causam efficientem spectat, fuit omnium recte Philosophantium sententia, animam huius duplicem esse causam effectricem, alteram externam, alteram vero internam, & immediatam. Externa nihil aliud est, nisi vis quaedam coelestis, qua medio causarum immediatarum animalia format, & fingit; qua siue sit facultas formatrix Gal. siue sit potens ille factor Calcodea Auicennae, cuius mentio habetur 16.3. tract. 5. cap. 1. siue sit anima mundi Platoniorum, non est quod hoc loco disputemus. nam certum est nihil aliud per hanc voluisse Aristot. intelligere, quando 2. lib. Phys. scripsit, solem, & hominem generare hominem, quam etiam intellexit, quando 3. de Gener. animal. cap. 11. mentionem facit cuiusdam caloris vniuerso inexistentis; qui prout a corporibus plus, minusve recipitur; sic nobiliora, aut ignobiliora animalia producit. Est ergo causa externa Lumbricorum effectrix calor iste coelestis, proxima vero & per se est calor corporis internus; dico per se, quia tamen ad generationem concurrat etiam frigus attemperans calorem; concurrat tamen per accidens, non per se, quemadmodum colligere licet ex Aristotele 2. de generatione animalium cap. 4. & lib.

libro quarto Meteororum. Sed quia calor noster duplex est, alter viuificus, alter vero igneus, & putrefactorius sciendum ad generationem animalium fere concurrere hunc vtrumque calorem, sed diuerso plane modo; nam calor putredinalis, & igneus disponit materiam, & putrefacit, non quidem immediate ad recipiendam formam, sed ad recipiendam dispositionem caloris viuifici, qui calor deinde viuificus non solum disponit ad recipiendam formam, verum etiam informat, & efficit animalia ipsa; nam clarum est eundem factorem, & efficere, & preparare sibi materiam. Vnde dictum est calorem hunc viuificum non solum inducere formam horum animalium, verum etiam preparare sibi materiam; adeo ut calor putredinalis nihil aliud habeat, nisi quod putrefaciens materiam ipsam facit, ut facilius disponatur, & tractetur a calore viuifico. Quod enim calor igneus, & putredinalis, neque generare animalia, neque disponere ad formam suscipiendam possit, luculentissimum habetur testimonium Aristotelis secundo de Generatione animalium capite tertio, quo in loco scribit, ignem nullum animal generare posse. Sed video statim ingeniosum aliquem dicturum, nonne Aristoteles quinto libro de Historia animalium decimonono, scribit in fornacibus Cypri, ubi vitur chalcitis, fieri quasdam bestiolas quae volant, quod etiam habetur confirmatum apud Theophrastum libr. de igne, & apud Antigonum de Mirabil. auscult. Respondeo posse animalia in his fornacibus reperiri, sed nequaquam generantur illic; verum cum prius latebant in illa terra quae vitur, ignis deinceps vi exeunt ex ea, atque volitant. quod etiam intelligi debet de ea sententia Herodoti, qui apud Aetium libro nono capite trigessimono, scribit in febribus generari Lumbricos, si quidem a calore febrili nequaquam generantur haec animalia, sed quae prius genita erant, & latebant, ob caloris febrilis vehementiam agitantur, & e corpore exeunt. Est ergo calor viuificus ille, qui Lumbricos efficit, qui

ne blandus, & mitis est, non autem vehemens, aut mordax, & vorax; propter quod alucinatus est vehementer Montanus, qui dixit in pueris lactentibus non fieri lumbricos, quia in ipsis non est adeo calor viuificus vehemens, quemadmodum requiritur in generatione horum animalium; nā calor blandus, & mitis esse debet, non magnus. Et cur in lactentibus non fiant vermes, multo melior est assignata causa quarto de Morbis ab Hippocrate seu à Pölybo, quam ab ipso Montano, vbi scribit in pueris, dum vterō clausi sunt, generari vermes, eo quod feces in ipsis retinentur, postquam verò exeunt in lucem, non generari; quoniam in ipsis feces nō amplius retinētur; & ob id ait sagaces nutrices, & solertes matres consuuisse statim pueris exeuntibus in hanc lucem offerre medicamenta, quæ possint exonerare intestina, & depurare ab iis excrementis, quæ recita generant Lumbricos.

De causa formali Lumbricorum.



FORMALIS causa horum animalium nulla alia est, nisi ea anima, vis, & forma, qua & viuunt, & mouentur; quanquam Albertus Magnus libro vigesimoprimo de animalibus videatur hoc asseruisse, quod lumbrici nullum alium sensum habeant, præterquam tactus, & gustus, medio quorum radices plantarum rodunt, atque nutriuntur per quandam fissuram, quæ in ipsorum ventribus reperitur. Sed vt vera est sententia ipsius Alberti in animalibus huiusmodi extra hominem, pariter etiam vera inuenitur in animalibus, & lumbricis humanis, nisi quod hæc ore licet obscuro nutriuntur.



De

*De caussa finali Lumbricorum.**Cap. III.*

AVSAM finalem nullam habere lumbricos nō defuere qui opinati sunt, sed potior semper mihi visa est sententia Auicennae, qui 16. tertiij. tract. 5. cap. 1. duos fines omnium lumbricorum constituisse videtur. Vnum, vt materia huius mundi, & praesertim animalium, per generationem lumbricorum depuraretur; si quidem si materia putrida ita remaneret, & ex ipsa nullum animal fieret, adeo cresceret putredo, vt maxima detrimenta inferret. Alterum finem posuit Auicennas horum animalium, vt scilicet tum ipsorum generatione, tum etiam nutritione excrementa copiosa corporum consumantur. Et quanquam sententia ipsius Auicennae videatur esse de lumbricis, qui vbiunque nascuntur; peculiariter tamen intelligenda est de animalibus genitis in corpore humano, quae etsi interdum bonam materiam corporis consumant, id tamen est per accidens, scilicet propter multitudinem, & copiam immoderatam; eo quod vbi immodice excrecant, & excrementa consumunt, & etiam vtilia alimenta; sed si non admodum crescant, aut magnitudine, aut multitudine, superflua tantum consumere videntur. Verum hoc in loco duo oriuntur problemata. Vnū si est morbus lumbricus, quomodo fieri potest vt habeat causam finalem; si quidem morbus cum sit res praeter naturam, proculdubio ab ipsa, neque vlllo fine, neque vlllo modo factus est, aut fit. Praeterea cum dictum sit & lumbricos mundi, & lumbricos corporum nostrorum vtilis esse, nunquid tanta sit vtilitas eorum, qui in nobis sunt, atque est eorum, qui extra corpus generantur. Vt primo problemati satisfiat, ad memoriam reuocare nobis debemus, duplicem esse naturam, aliam vniuersalem, aliam verò particularem. Si vniuersalem spectemus, proculdubio lumbricus non est praeter hanc na-

turam, neque sic morbus appellari debet; & propterea quando diximus, duos esse fines lumbricorum, respicimus hanc naturam. Sed si spectemus naturam particularem, proculdubio lumbricus est præter intentionem ipsius, & vt talis, morbus est, simulque nullum finem habet in corpore nostro. Ad secundum problema respondemus, nequaquam tantam esse utilitatem lumbricorum in hominibus genitorum, quanta est eorum, qui in mundo sunt propter tres causas. Vna est, quia intestina sortita sunt à natura facultatem expulsiuam, merito cuius etiam si non gignantur hæc animalia, tamen expelluntur ex corpore excrementa, & putredines, in mundo autem nequaquam. Vbi cum non sit hæc facultas expultrix, quæ consumat, & in alium mundum expellat putredinem, vtilissimum, ac penè necessarium est alia fieri, quæ huiusmodi excrementa, & putredinem consumant. Secunda ratio est, quia si proportionem animalium generatorum in homine ad ipsa corpora spectemus, & comparemus ad animalia genita in mundo, multò magis exsuperant animalia nostra materiam corporis nostri, quàm animalia mundi exsuperant corpus, & materiam vniuersam; vt hinc fiat, posse magis nocere hæc animalia in homine, quàm in mundo ipso. Tertia ratio est, quia et si & generatione, & nutritione sua huiusmodi animalia in homine absument excrementa: absument tamen interdum alimenta vtilia, & necessaria: in mundo vero solummodo superfluas, putridas, & excrementitias partes cõsumunt: vt hinc apparere possit, multò maiorem esse utilitatè lumbricorum mundi, quàm lumbricorum animalium.

¶

De

De causa materiali lumbricorum.

Cap. IIII.



VAE sit materia ex qua animalia intrancorum gignuntur, opinionum diuersitatem inter veteres inuenio. Hippocrates siue alius auctor quarto de Morbis hanc sententiam habuisse videtur, generari ea ex stercore. Aristoteles autem quinto de Generatione animalium capite decimonono, cum enumerasset varia animalia, quae gignuntur ex putri materia, dixit aliqua gigni ex excrementis animalium, atque haec ipsa *ἐλμυθας*, seu lumbricos esse; quasi censuerit ipse ex omnibus excrementis corporis nostri gigni lumbricos. Sed quod ad Hippocratis opinionem spectat, sanè vera nequaquam videtur; uandoquidem si vermes gignantur in variis corporis nostri partibus, sequeretur ibi etiam reperiri stercorea, quod absurdissimum, & à ratione alienum est. Præterea stercorea in corpore nostro paruo tempore manent, vt dixit Hippocrates, interdum altera die à sumto cibo exire, quo fit vt non sit tempus idoneum ad huiusmodi generationem. Sed quod magis refert, stercorea sunt partes siccae, & omni vitali humiditate exhaustæ, propter quod idonea materia huius generationis nequaquam esse possunt. Sic etiam Aristotelis sententia nequaquam firma esse videtur, quia cum multa sint in corpore nostro excrementa. planum est ex determinato aliquo genere gigni, quod genus cum non determinauerit ipse nequaquam eius sententiam sequi possumus. Oribasius libro tertio Aphorism. 30. quem inter posteriores sectatus fuit Montanus, habuit hanc sententiam, ex omni humore corporis nostri posse gigni, & verè gigni animalia intrancorum, immò quod peius est, existimarunt hanc sequutos esse & Aristotelem, & Galenum. Sed ratio potissima, qua ad hoc credendum impulsus fuerunt, est varietas colorum horum animalium; quia cum conspiciantur Lumbrici modò

colore fuluo , modò albo , modò subnigricante infecti ,
 modo rubei , statim arbitrati sunt horum colorum va-
 rietatem non aliundè proficisci , quàm ex varietate hu-
 morum , ex quibus fiunt . Verum mea sententia & Ori-
 basius , & Montanus sunt alucinati . Primum quidem ,
 quia adscripserunt eam & Aristot. & Gal. sententiam ,
 quàm nec vnquam somniarunt . Si enim verba Aristoteli-
 telis videamus loco citato , nihil aliud sonant , nisi fieri
 Lumbricos ex excrementis , tam intra animalia , quàm
 extra repertis . Similiter si videatur Galen. 3. Aphorism.
 26. vbi tractat de his animalibus , multum abest , vt eo
 loco asserat fieri ex omni humore : Ad quod peius est ,
 præter rationem , & absurdū omnino est existimare ex
 omnibus humoribus fieri hæc animalia : Quod enim
 non fiant ex sanguine , satis compertū esse potest , quia
 sanguis nunquā ad tãtam putrefactionem peruenit , vt
 ex eo gignantur animalia ; imò verò Alexander Trallia-
 nus libro duodecimo , cum referat quorundam sententiam ,
 qui putarunt nullam fieri putredinem in venis ;
 ex eo illud comprobabāt ; quia in venis , vbi est sanguis ,
 nunquam animalia oriuntur . Non etiam possunt fieri
 hæc animalia ex humore melancholico , eò quia hu-
 mor frigidus , & siccus est : vita autem animalium vi-
 uentium , vt vbiq̃ testatus est Aristoteles & Hippo-
 crates , in calido , & humido posita est , vt satis manife-
 stum esse queat , idoneam non esse materiam melan-
 cholicam , quia frigidus , & siccus succus est , qualitatis
 nimirum contrariæ . Neque etiam fieri possunt ex flua-
 bile , quia est sententia Aristotelis animalia ab iisdem
 conseruari , & nutrirī , ex quibus fiunt ; sed hæc animalia
 interimuntur amaris rebus : igitur non possunt ex a-
 maris gigni , quia sic conseruarentur potius ab ipsis . Ac-
 cedit his , quod Galenus quarto de Simplicibus medi-
 camentis scribit in mari mortuo , quod flumen Iordā-
 nis in sacris literis est appellatum , nullum animal ge-
 nerari , neque conseruari ; eò quia aqua illa propter bi-
 tumen est amarior . igitur fieri nequaquam potest hoc
 exemplo

exemplo Galeni, vt ex simili humore amaro viuāt, aut producantur illa animalia: Quam rationem cum Paulus Aegineta libro quarto capite vigesimo septimo examinasset, addidit non posse hæc animalia gigni ex humoribus vllis calidis; propterea quod cum non possint ipsi hæc animalia alere, non possunt etiam generare; remanet igitur, vt dumtaxat generari possint ex pituita. Sed pituita duplex est, alia est naturalis, quæ cum alijs humoribus conficitur, aut perficitur in iecore, & sanguini miscetur. alia est pituita, quæ communiter vocatur humor crudus, quod memoriæ proditum habetur à Galeno tertio de Alimentorum facultatibus, atque etiam alijs locis. Ex pituita naturali existente intra venas nequaquã fieri possunt hæc animalia; quãobrem remanet vt generentur ex ea tantum, quæ humor crudus vocatus est. Hac determinatione iam patet aditus ad conciliandos Galenum, & Auicennam, & posteriores omnes; quandoquidem cum Galen. 3. Aphorif. 26. ex humoribus crudis fieri Lumbricos asserit, & cum Auicennas 16. tertij. tract. 5. dicit fieri ex pituita in uoluta stercoreibus, idem omnes dicunt; quia ea pituita nihil aliud est, nisi humor crudus, & genitus, atq; productus in ventriculo. Hanc sententiam sectati sunt Alexander in Epistola de Lumbricis, Paulus Aegineta loco citato, Columella inter Latinos etiam libro sexto capite vigesimo octauo dixit, Lumbricos generari ex materia cruda. Sed dicet quis, quomodo igitur Paulus, & Alexander interdum dixerunt generari hæc animalia ex cibis corruptis; Dico hoc etiam esse verum, quandoquidem alia est materia mediata, alia immediata. Immediata materia, ex qua sunt Lumbrici, est humor crudus, seu pituita: mediata verò materia sunt cibi corrupti, quia vbi cibi rectè in corporibus conficiuntur, non sunt crudi humores, & consequenter nec fit materia vermium; & propterea in istis nequaquam gignuntur; Vnde eos vehementer falli sciendum est, qui falsa quadam opinione ducti, crediderunt in omnibus ho-

in his etiam sanis generari vermes, quandoquidem,
 vt sæpe videtur ex Anarome, inueniuntur corpora, in
 quibus nulli vermes sunt. Cum itaque materia inedia-
 ta sint cibi corrupti, ex quibus generantur succi crudi,
 sciendum est eos omnes cibos aptissimos esse, vt ex ipsis
 fiat hæc animalia, qui sunt faciles corruptui, & qui non
 possunt probe concoqui à stomacho. Sunt autem cibi
 tales, vel propter quantitatem, vel propter qualitatem;
 propter quantitatem clarissimum est interdum con-
 tingere, vt cibi nequaquam coqui possint; & hinc est,
 quod & pueri propter immensam voracitatem, & illi,
 qui gulæ, & ventri sunt dediti, vehementer cruciantur,
 & tentantur his animalibus. Secundum qualitatem ci-
 bi sunt facilis corruptionis illi, qui sunt crassiusculi, &
 qui malos succos gignunt; vt sunt fructus omnes, cu-
 iusmodi etiam in pueris sunt carnes. Auenzoar libro 2.
 tract. 7. capite vigesimo secundo, scribit fieri Lumbricos
 ex usu frumenti, & farinae non coctæ, eò quod huius-
 modi ciborum genera facile corrumpuntur, & produ-
 cunt crudos succos. Verum potest dubitari hoc loco,
 nunquid res dulces, quemadmodum existimat vulgus
 maliebre, sint aptæ ad generationem Lumbricorum.
 Fuerunt aliqui inter recentiores, qui opinati sunt hanc
 vanam esse vulgi opinionem, adducti ad hoc creden-
 dum hæc ratione, quia sapor dulcis positus est in qua-
 dam partium, & succorum temperie; vbi temperies
 adest, non potest, dicunt isti, adesse putrefactio. Et quia
 isti videbant ob frequentem dulcium esum magnopere,
 & frequentissime vexari ab his animalibus pueros,
 dixerunt non ob id esse, quod ex ipsis gignantur ani-
 malia hæc, sed quia dulcedine tracti Lumbrici huc, at-
 que illuc per corpus cursitant, vt hæc dulcedine fruantur;
 in qua cursitatione non solum vellicant intestina,
 & pertundunt, verum etiam quandoque adscendentes
 in ventriculum ipsum miserè cruciant, & lacerant, Sed
 huiusmodi sententia aliqua ex parte vera, aliqua ex par-
 te falsa est. Est quidem vera, quod Lumbrici dulcedinem
 persequen-

persequentes, infestant pueros, & homines; sed est falsa, quod dulcia non sint apta ad generationem vermium; quia etsi sint optimè temperata, dulcia tamen temperata quando corrumpuntur, eò maiorem contrahunt putrefactionem, quo sunt temperatiora. Habemus exemplum in homine. Nam quod est inter animalia, quod temperatioribus rebus utatur ipso hominè? nulum planè, erāt enim æquum, & conueniens eius temperatura; attamen non inuenimus animal vllum, cuius stercora magis forteant stercoribus humanis; eò quod temperatā quando corrumpuntur insigni putrefactione afficiuntur. Videamus modò an dulcia facile corrumpantur; dico propter duo ea facile in nobis corrumpi. Primum; quia cum sint temperata, sunt posita in medio extremorum, quæ verò sunt in medio facile inclinant, & facile deflectuntur ad alterum extremorum, quòd quidem nò contingit in corporibus intemperatis. Accedit etiam aliud, quod dulcia omnia supernatant facile omnibus aliis cibis; & cum propter suauitatem copiosè sumi consueverint; hac ratione etiam facile corrumpuntur. Est & altera ratio, quia dulcia priusquam bene coquantur in ventriculo; attrahuntur à vicinis membris; & propterea permanentia cruda, sunt materia idonea generationi vermium. Neque est quod existimemus per accidens hoc esse, scilicet ratione mali vsus; quia experientia quotidiana comprobatur, etiam illis, qui moderatè comedunt res dulces, & in aliis non delinquant, abundare lumbricis; immò verò Hippocrates quarto de Morbis manifestè dicit ex vsu lactis propter dulcedinem hæc animalia fieri. fiunt itaque ex humoribus crudis, & pituitosis. Sed quid dicemus ad argumenta Montani ex coloribus facta? Dico animalia hæc non fieri simpliciter ex ipsa putrefactione, sed, vt colligitur, ex Aristotele tertio de Generatione animalium vndecimo, ex coctione, quæ coniungitur ipsi putrefactioni; putrefactio enim ex sui natura destruit, non generat. Sunt diuersissima; & contraria

actiones generatio, & putrefactione; verum materia ipsa putrefacta coquitur à calore solari, vel à calore nativo; ex qua deinde coctione fiunt animalia. Et quia potest huiusmodi coctio modo maior, modò minor esse; sic possunt ex varietate coctionis varij acquiri colores in animalibus. Experientia etiam comprobatum est, vel tantillo maiorem coctionem variare insigniter colores rerum coctarum. Possimus & alio modo respondere, tametsi hæc animalia gignantur ex crudis humoribus, nihilominus ratione alimenti variari possunt colores ipsorum; ita vt si alimentò nigro, aut flavo vtantur, ita & ipsi etiam inficiantur; si alimento rubro, ruborem contrahant, & sic de aliis. Neque hoc mirum videatur, quandoquidem Aristoteles tertio de historia animalium capite sexto exemplis, & rationibus docuit, & propter aquas, & propter alios cibos colores pilorum animalium vehementer mutari. Præter causas immediatas, quæ ad lumbricos generationem concurrunt, sunt & alia, quæ diligenter spectanda sunt, veluti est temperatura, sexus, ætas, locus, regio, & tempus. Inter temperaturas ea maximè est obnoxia lumbricis generandis, quæ ferax est humorum crudorum, & pituitosorum, cuiusmodi est temperatura frigida, & humida; nam quæ est sanguinea, minimè omnium crudos humores producit. Biliosa autem, & melancholica prorsus inepta est generationi animalium, quò fit, vt sola frigida, & humida quantum sit ex sese, apta sit generandis lumbricis. Dixi quântum sit ex sese; propterea quia omnes temperaturæ possunt lumbricos facere, modò in ipsis propter errores externos gignatur materia illis apta. Atque hoc experientia quotidiana comprobatur, quandoquidem licet quotidie videre & biliosos, & melancholicos lumbricis abundare, & tunc præsertim, quando propter ingluuiem cibi in ipsis corrupti, vberem materiam suggerunt. Muliebris sexus propter hoc maximè promptus est ad generandos lumbricos, quod propter variatas concoctiones plurimi humo-

humores crudi in ipsis fiant, ex quibus vermes producuntur. Inter viros verò & mulieres omnis ætas planè idonea est generandis lumbricis, sed maximè omnium ætas puerilis, hoc est, ab ablactatione vsq; ad decimumquartum annum. Senes etiam post pueros infestantur vermibus ob vitiatas coctiones: memini enim, dum Anatome elapsis annis in hoc gymnasio administraretur, visum esse senis cadaver; cuius intestina tota lumbricis erant referta. Sed occurrit hoc in loco dubitatio. nam Gal. 3. Aphorism. 26. scribit, pueros lactantes minimè lumbricis infestari, & adfert rationem, eò quòd tamen si in hac ætate materia sit copiosa: tamen ita calor ab humiditate superatur, vt nequeat ea animalia producere. Sed aduersus Galenum est auctoritas Hippocratis, & experientia. Hippocrates enim quarto de morbis libro scribit, in pueris, dum adhuc sunt in vtero matris, generari lumbricos, & propterea in vsa esse, vt mulieris statim aliqua offerat ipsis in lucent editis medicamenta, vt per ipsa educantur excrementa, & huiusmodi animalcula. Est & hoc contra experientiam, quandoquidem & qui medicinam faciunt, frequenter vident etiam in lactentibus pueris fieri lumbricos. Pro cuius rei resolutione, statuendum est, veram esse Galeni sententiam vt in pluribus, & in illis solum, qui lacte solo videntur; nam si qui pueri reperiuntur, qui inter lactandum etiam lumbricis infestantur, est iccirco, quòd præter lac etiam alia edulia assumunt; quo fit, vt morem nostrarum fæminarum damnare soleam, quæ lactantibus pueris statim etiam panem coctum offerre conantur. docuit enim nos Natura tandiu esse procreatos lacte solo nutriendos, quousque in vberibus pabulum sufficit. Sed quid dicemus ad Hippocratem? fateamur etiam, quòd ipse dixit, verum esse, nò propter hoc tamen eius sententia contraria est sententiæ Galeni: quandoquidem aliud est non fieri lumbricos in pueris lactentibus, aliud est eos fieri intra vterum matrum; qui vbi pueri lactant, vt ait Galenus, eorum calor

nequaquam vincere, & informare potest humorem excrementitium. In utero autem materno præter calorem foetus cum adsit etiam maternus, ille quidem efficax est, & potens ad superandum, & informandum excrementum, quo fit ut sit statuendum pueros solo lacte visitantes minimè omnium infestari lumbricis.

De loco ubi fiunt Lumbrici.

Cap. V.

DE loco ubi fiunt hæc animalia intra corpora nostra, inuenio inter veteres Scriptores maximam cōtrouersiam. Galenus primo de Locis affectis capite quinto tradens indicia, quibus cognoscuntur affecti loci, inquit, esse morbos aliquos ita proprios vni parti, ut statim ex ipsis dignoscantur affectæ partes; & huiusmodi asserit esse lapidem in renibus, in vesica, necnon Lumbricos in intestinis; quasi velit ille in intestinis dūtaxat Lumbricos fieri. Aduersus Galeni sententiam Petrus Aponensis Conciliator differentia in longa disputatione contendit demonstrare, ubique in corpore nostro generari Lumbricos exceptis vitalibus partibus. Atque sententiæ huius viri multa placita, & scripta antiqua attestari videntur. In primis autem magnus Hippocrates, qui in libr. secundo de Morbis mulierum, non longè à fine apertissimè scribit, etiam in utero Lumbricos generari. septimo etiam Epid. in Historia filij Dini mōstrat, alibi quoque quàm in intestinis generari posse Lumbricos; ex quibus Hippocratis locis clarissimè colligitur, etiam in aliis corporis partibus generari posse Lumbricos. Eiusmodi quoque sententia videtur fuisse Aristot. qui 5. de Histor. animal. cap. 59. cū traderet generationem Lumbricorum, dixit, produci ex excrementis intra animalia existētibus; quasi voluerit maximus Philosophus, non vnum locum generationi horum anima-

animalium esse deputatum; id quod etiam clarissimè confirmare videtur 2. de Hystor. animal. cap. 15. vbi scribit, vermes generari in capitibus cervorum: neque verò solus Aristoteles hanc sententiam habuisse videtur, immò verò locus est præclarissimus apud Alexan. lib. 1. cap. 15. vbi narras oraculum quoddam ab Apolline Pythio Democrati Atheniensi traditum, demonstrat etiam in capitibus caprarum vermes generari, quos conferre epilepsiæ docuit oraculum; mirum fortasse non erit in aliis brutis generari vermes in capite, sed magis est mirum, quod Scriptores referunt etiam fieri in hominibus. Rases libro primo cap. nono, & Auicena. 1. tertij. capi. de sodea, apertissimè docent fieri capitis dolorem etiam à vermibus in capite humano generatis. Præter hos Scriptores sunt etiam & aliorum testimonia. Plutarchus 8. symposiacorum nono scribit, Ephebum quendam Atheniensem Lumbricum unà cum semine reiecit: & Gentilis Fulgias Medicus satis nobilis se quoque vidisse testatur, vermem vrina reiectum. Auenzoar lib. 1. tract. 2. & Alzaraius cap. de tussi, memoriæ prodiderunt, etiam in cæna pulmonis vermes generari. Paulus Aegineta lib. 4. ex inguinibus, & naribus sese reiectos vidisse Lumbricos apertissimè testatus est; Ex quibus omnibus testimoniis perspectum unicuique esse potest, nō in vno loco corporis nostri Lumbricos generari; & ideo sententiam Gal. non esse verā, cū scripsit in solis intestinis fieri. Quid igitur dicendum est in hac dubitatione? Statuendum est, mea sententia, Lumbricos, aut verè tales esse, aut veris similes; Lumbrici veri duntaxat in intestinis generantur, cur id fiat dicam suo loco. Lumbrici autem non veri possunt generari in variis corporis nostri locis; quandoquidem potius vermes, quàm veri Lumbrici sunt appellandi. Itaque quotiescunq; aut Hippocrates, aut Aristoteles, aut alius quispiam auctor tradiderunt fieri vermes in aliis corporis partibus, ipsorum sententia intelligenda est; non de Lumbricis veris, sed de genere vermium, quod Lum-

bricos æmulatur. Quod si vel ex inguinibus, vel ex vmbilico, vel ex naribus lumbricos esse reiectos scriptum est, existimandum est, non eos in illis partibus esse genitos, sed ex intestinis in eas partes fuisse expullos. Nam Hippocrates quarto de Morbis scribit interdum hæc animalia præ fame in iecur ascendere, atque ibi incredibiles cruciatus excitare. Scribit etiam Alexander in libro suo de lumbricis interdum hæc animalia præ inedia perforasse intestina, & per vmbilicum exiisse. Idem etiam arbitrari debemus de lumbricis, qui exeunt ore, non quod in ventriculo gignantur, quemadmodum malè existimauit Petrus Aponensis; quoniam præclarissima est sententia Aristotelis quarto Meteororum capite tertio, in ventriculo non generari lumbricos, sed quod ex intestinis in ventriculum reiecti, deinceps vomitu reiciantur. Verum video dicturum esse aliquem, Cur igitur Theodorus Priscianus Medicus antiquus docuit nos, etiam in stomacho fieri lumbricos? Dico, forsân huius viri eam sententiam fuisse, vt materia quidem, ex qua fiunt lumbrici, gignatur in ventriculo, sed non ipsi lumbrici: sicuti hæc quoque sententiam habuit Galenus. Aphorismo vigesimo sexto. Fiunt itaque veri lumbrici solum in intestinis, sed differentia est, quia rotundi gignantur in gracilibus intestinis: Ascarides vocati procreantur in crassioribus: latum autem lumbricum cum interdum longissimus esse videatur, ita vt duodecim pedum mensuram excedat, opinandum est in omnibus intestinis fieri. Cur autem in intestinis, & non alibi fiant hæc animalia, est multiplex ratio. Vna, quia materia ex qua fiunt, nimirum succus crudus, in intestinis ita copiosus solum reperitur, vt possit sufficere generationi, & nutritioni horum animalium; reperiuntur quidem succi crudi etiam alibi in nostro corpore, sed qui ita pauci sunt, vt omnino inepti euadant ad generanda hæc animalia. Alia ratio est, quia ad generationem lumbricorum non solum requiritur materia idonea, verum etiam

locus

locus capax, & spacium idoneum; intestina autem sunt huiusmodi. Venæ verò cum sint angustæ, nequaquam receptacula horum animalium esse possunt; similiter nec alię cavitates. Tertia ratio est, quia natura sollicita vitæ animalium voluit hæc, quę sepe vitam tollunt, in iis potissimum procreare locis, vbi & minimè omnium lædere possint, & facile à corpore reici.

De nonnullis concausis lumbricorum. Cap. VI.



PRÆTER locū intimum confert quoque locus externus ad lumbricorum productionem: Nobilissimus enim auctor Theophrastus lib. 9. de hist. plant. cap. vlt. scribit populos Aegypti, Armeniae, Arabiae, Siliciae, Siriae lumbricis infestari. Ex aduerso Tracas, & Phryges populos prorsus huius mali immunes esse. Similiter inter Græcos, Thebanos esse lumbricis liberos, & quod magis mirum est, cum Boetij, & Athenienses finitimi sint, tradit Boetios laborare lumbricis, & Athenienses nunquam eos sentire; Quem locum dum in suos libros trãfferet Plinius, nõnulla est mentitus, sed ipsius correctionem alias tradidimus in nostris variis lectionibus. Tempus idoneum generationi lumbricorum, vt scribit Hippocrates sexto Epidim. & secundo Epidim. est Autumnus, aut, quemadmodum alibi dicit, anni occasus, hora diei vespertina. Cur in Autumno potissimum gignantur lumbrici, videtur Aristoteles causam attribuisse paucitati humiditatis; scribit enim hic Philosophus quinto de Historia animalium capite 15. Ascaridas generari Autumno propter humiditatis paucitatem; Sed cum eo in loco loquatur de aliis Ascaridibus, non de illis, qui gignantur in corporibus nostris, minime hoc loco eius sententia, alioquin dubia examinanda erit. Auicennas autem, cur Autumno fiãt lumbrici, videtur causam attribuisse

fructibus; nam cum eo tempore homines, & praesertim pueri satientur fructibus, ex iis postmodum facile pituitosi, ac crudi humores excrementitij fiunt, & facile copiosi vermes gignuntur. De vespere autem an fiant vermes, siue infestent eo tempore, sane admodum sum anceps: quandoquidem nequaquam experientia comprobatur eo tempore magis hunc morbum infestare quam alio; nam & noctu, & meridie qui habent lumbricos, promiscue vexantur. Sed si sententia Hippocratis defendenda sit, dicerem suo tempore hoc verum fuisse, eo quod cum homines die semel ederent, atque haec animalia in corporibus famelicis acerbiora euadant, iure vespere potius infestari consueuisse; quo scilicet tempore corpora magis famelica erant. Cur autem pestilenti tempore, quemadmodum in praeterita constitutione est visum, frequentissimi lumbrici videantur, puto rationem esse, non quod potissimum eo tempore fiant, falluntur enim qui sic credunt, quandoquidem cum morbi pestiferi quam citissime ingulgent homines, quis credere possit spacio vnius, vel alterius diei tot generari vermes. Itaque iccirco pestilenti tempore vermes copiosi videntur, quia eadem corpora subiecta sunt & pesti capiendae, & lumbricis generandis. Nam corpora quae pesti sunt praeparata, sunt ea, quae abundant crudis, & multis excrementis, atque etiam calida sunt: eiusmodi autem sunt ea quae apta sunt ac disposita gignendis lumbricis.

De differentiis Lumbricorum. Cap. VII.

DIFFERENTIAE lumbricorum duum apud Scriptores reperiuntur esse generum; quorum alterum a figura desumitur, alterum a colore. Quo ad figuram, scribit Alex. in Epist. de lumbricis, in hoc conuenisse omnes scriptores Medicinæ, tria esse genera lumbricorum. Vnum, quod appellatur lumbricus rotundus. Alterum quod vocatur lumbricus latus.

Et

Et tertium quod vocatur ascaris . atque vt à postremo-
incipiam, ascaris, siue ascarides sunt lumbrici parui in-
star vermium, qui oriuntur in crassis, & extremis inte-
stinis. quos voluit Hippocrat. secundo de Morbis mu-
liebribus etiam fieri in vtero mulierum. habent autem
ascarides hoc peculiare, vt fiât poti⁹ in iumentis, quàm
in hominibus; propter quod Hippocrates quarto de
Morbis & Cornelius Celsus lib. 4. cap. 7. Hippocratis fe-
stator ascaridas siluerunt, quasi raro fiant in hominib⁹,
aut saltem rarius in hominibus, quàm in iumentis. Por-
ro inter homines, vt testatur Hippocrates tertio Aphor.
6. pueri adulti, & iuuenes magis infestantur quàm cæ-
teri: immò verò Auicennas. 16. 3. tract. 5. cap. 2. videtur
censuisse fieri potius in iuuenibus, atque in ijs excerni
sæpenumero stercorebus inuolutos. Cur vero potius
ascarides fiant in iumentis quàm in hominibus diuersi
diuersas attulerunt causas. nonnulli existimarunt ideo
hoc esse, quia iumenta cum minus conficiât cibos, ij in
ipsis magis corrumpuntur, ac propterea facilius gignū-
tur vermes. Corrupti autem magis inde probatur, qa
stercora fetida magis egerunt. Sed ratio horum mini-
mè mihi probatur; quandoquidem si propter corrup-
tionem, & propter fetorem fierent in iumentis ascaris-
des, par esset vt magis fierent in hominibus, eò quia in
ipsis sũt deteriores corruptiones, & ex eo cognoscitur,
quia stercore humana peius olent quàm stercore bruto-
rum. Alexander primo problemate 27. docet, stercore
hominum iccirco peius olere quàm stercore brutorum,
eò quod homines cum varijs cibis vtantur, illi promt⁹
corrumpuntur, & consequenter peius olent. Montanus
etiam causam, cur ascarides in iumentis generentur, ad
ferre conatus est, vbi scribit, iccirco fieri in iumentis po-
tius quàm in hominibus, eò quod calidiora bruta sunt
homine, esse autem calidiora probat, quoniam confi-
ciunt paleas, & stramina. quæ minimè homo potest
conficere; Igitur, inquit Montanus, ascarides cum gi-
gnantur à maiore calore, iure merito in brutis calidio-

ribus potius fiunt, quàm in homine. Sed pace Montani, tres grauiſſimos errores commiſit. Primum enim falſiſſimum eſt, aſcaridas generari à maiori calore; nam animalia maiora neceſſario requirunt maiorem calorem, qui extendat in omnem diſenſionem, iam vero lumbrici teretes, & lati ſunt multo maiores aſcaridibus; quare neceſſario requirunt maiorem calorem. Præterea que pluri indigent calore animalia in ſui generatione, ea iure debuerunt procreari in calidiori loco. Sed alij lumbrici ab aſcaridibus gignuntur in locis calidioribus, nimirum in inteſtiniſ ſuperioribus; quare iure in ſui generatione requirunt maiorem calorem. Adhæc ſunt alij lumbrici in ætate calidior: Aſcarides verò in ætate minus calida; itaque etiam hac ratione videntur Aſcarides egere pauciore calore in ſui generatione. Eſt igitur primus error Montani, cum dixit, aſcarides fieri à calore maiori. Alter error nec minor eſt, cum ſcripſit bruta eſſe calidiora homine. Ariſt. enim 4. Sectione problematum, problem. 7. quærens de homine multa, clariffimis verbis demonſtrat eſſe omnium animalium calidiſſimum, & humidiffimum. Sectione etiam 10. problem. 55. quærens, cur cætera animalia ſæpius capiant cibum ſiccum, quàm humidum; homo verò è contrario ſæpius capiat humidum, quàm ſiccum, inquit idè eſſe, quia homo cum calidiſſimus ſit, opus habet refrigeratione; quæ refrigeratio præſtatur melius à cibo humido, quàm à ſicco. Præterea Ariſtoteles in lib. de Longitudine, & breuitate vitæ, inquit hominem, & Elephantem eſſe longioris vitæ præ cæteris omnibus animalibus, quia habent copioſiorem calorem, nec non purius, & viſcidius humidum. Si igitur cauſſa caloris eſt viuacior homo cæteris brutis, proculdubio neceſſarium eſt, vt ſit calidior; nam malè probaretur, & leonibus, & tauris eſſe homo viuacior, niſi certum eſſet calorem, qui eſt cauſſa vitæ, copioſiorem eſſe in hominibus, quàm in brutis. Tertius error commiſſus à Montano eſt, quia ex leuiſſimo argumento conatus eſt probare homine eſſe

esse belluas calidiores, nimirum ex eo, quod bruta paleas conficiant, quas homo conficere non potest. Nam Aristot. 10. sectione problematum, problemate 9. tradens rationem, propter quam multa bruta utuntur cibis siccis, inquit esse propter temperaturę similitudinē. Est enim sententia Galehi in arte medica, temperaturas conseruari à similibus. quare cū asinus, camelus, equus, mulus habeant siccas temperaturas, propter earum cōseruationem opus habent alimentis siccis. Sed dicit aliquis: si hoc verum est, cur igitur Theophrastus 2. de Causis plantarum cap. 6. inquit, corpora sicca, & macra indigere pingui, & largo alimento, atque eò magis proficere in caloribus, in robore; cum ex aduerso, vel nullam, vel minimam capiant vtilitatem ex alimento sicco. Respondeo corpora sicca, & macra, vel consistere in latitudine sanitatis, vt. morbosa esse: quę consistūt in latitudine sanitatis, vel conseruentur opus habent simili cibo; si sicca sunt, sicco; si humida, humido; quę verò morbosa sunt à contrarijs potius iuuantur. Et de his cum loqueretur Theophrastus, dixit iure corpora macra, & arida indigere pingui, & largo alimento; atque propterea nō est necessarium calorem maiorem esse in brutis quod conficiant paleas. Clarius verò adhuc demonstrauit hoc Theophrastus, qui 4. de Causis plantarum cap. 10. disputans, cur sit quòd cętera animalia melius nutriantur hordeo, quàm tritico; & ex aduerso homo melius alatur tritico, quàm hordeo, inquit, cibum ferè vnicuique animali proprium esse datum, quem melius conficit quàm cibum non sibi, sed alijs animalibus datum: & hinc est, quod equi melius aluntur hordeo; muli similiter, quos si nutrias tritico, facile interimes. Ex aduerso homo melius nutritur tritico, quam hordeo, non ob aliud, nisi quia vt dicebat idem Theophrastus, triticum est cibus homini à natura tributus. quapropter quod bruta melius conficiant paleas, quàm homo, non est propter caliditatem, sed est propter proprietatem huius cibi; qui cum sit brutis à

natura datus, & proprius, iure etiam ab ipsis melius cō-
 fitur. Quæ est igitur caussa, cur ascarides in iumentis
 potius fiant, quam in homine? hæc sanè nulla alia est,
 nisi quia bruta magis vitioso vtuntur alimento, quam
 homo; præterea frigidiora sunt, & ratione frigiditatis
 fiunt in ipsis ciborum corruptiones idoneæ ad genera-
 tionem ascaridum. Ita namque esse, facit vt credam au-
 thoritas Aetij, & Pauli; qui omnes dixerunt ascaridas
 generari propter vitiosum alimentum, propter frigidita-
 tem, & propter corruptionem. Accedit etiam Aristote-
 telis testimonium, qui lib. 5. de Histor. animal. cap. 29.
 præter ascaridas, qui fiunt in hominibus; aliud etiam
 genus esse dicit, quod extra animalia sit, atque hoc etiã
 Theodorus Gaza potius bipulas, quam ascaridas verte-
 re voluit, quas inquit Aristoteles generari ex humida-
 te, quæ multum sedimentum crassum habet, & propte-
 rea gigni huiusmodi bipulas Megaris, & in operibus.
 Ad similitudinem ascaridum generantur etiam in ho-
 minibus ex excrementis multam facem habentibus,
 (cuiusmodi sunt in brutis, potius quam in hominibus
 ipsis) rotundi lumbrici, qui sunt vermes longi, & tere-
 tes. Fiuntque in intestinis superioribus; quos etiã scri-
 bit Alexander, & iure, sæpè in ventriculum adscendere,
 & vomitu rejici; propter quod puto deceptum fuisse
 Montanum, & alios, qui existimarunt lumbricos tere-
 tes in stomacho generari, cum hoc esse falsum ex Aristo-
 telis sententia docuerim. Cæterum duas condiciones
 horam docet esse Hippoc. 4. de Morbis: Vnam quod
 fiant in infantibus intra vterum; scribit enim ex lacte
 dulci, & pingui in pus feruidum conuerso, fieri lumbri-
 cos in infantibus intra vterum maternum. Aliam con-
 ditionem tribuit Hippoc. lumbricis rotundis, scilicet
 eos parere; Quæ sententia mihi semper suspecta fuit
 admodum, quia si, vt mox videbitur, lumbricus latus
 secundum Hippoc. parere non potest, multò minus vi-
 detur tribuendum esse hanc conditionem ipsis rotun-
 dis: quare nisi dicamus lumbricos teretes parere ma-
 teriam,

teriam, ex qua fiant alij lumbrici: & ideo dictum esse ab Hippoc. parere, planè non video quomodo ipsum, vel Polybum tueri possimus: eò magis quod Aristoteles 3. & 5. de Hist. animal. apertissimè dixit, omnes Lumbricos hoc peculiare habere, vt alia animalia nò gignat. Vnde cum neque alia gignant, nec similia, necessarium est fateri, aut falsam esse sententiam Hippocratis, aut intelligendùm esse, ita vt dicat præparare materiam ad suscipiendam formam alterius. Latus lumbricus à Grecis dicitur *ασπίς*, & præsertim ab Hippocrate, quemadmodum docet Herotian^o in Onomastico Hippocratis. Latini verò imitati Græcos, potamias dixerunt, eò quod & longitudine, & forma referunt fascias illas, in quibus inuoluuntur infantes. Dixi enim propter longitudinè, quandoquidem & ab Hippocrate, & à Plin. lib. 11. cap. 33. relatùm est, visos esse interdum huiusmodi lumbricos latis longitùdinis tricenorum pedum, atque etiàm pluriùm. Porro Aetius quidem & Paulus Aegineta fuerunt eius sententiæ, huiusmodi lumbricum latum nihil aliud esse, nisi corticem, seu membranam intestinorum interiorum conuersam in figuram animalis; sed quid voluerint Scriptorès isti docere, planè ignoro; nã si loquantur de pellicula illa, quæ necessario facta est ipsis intestinis à natura, proculdubio absurdum esse videtur, vt ex ipsa possit fieri animal, tum quia materia arida est, vt sunt omnes membranæ, & ideo inèpta generationi animalium, tum præterea quod vbi gignantur lumbrici lati, deberent statim homines interire, aut saltem semper incredibiles cruciatus fieri; quia vbi pellicula illa abraditur, videmus excitari incredibiles cruciatus; sin autem non intelligant de hoc cortice, sed de humiditate oblita ipsis intestinis, hoc facillè concedo, verum tamen hæc nequaquam est membrana cingens ipsa intestina, sed est humor crudus mucilaginosus ad tuenda ipsa intestina ab asperitate stercoreis à natura ipsis oblitus. Puto autem & Aetium, & Paulum deceptos esse duobus; tum quia fieri potest, vt dum excernuntur lū-

brici lati, simul etiam aliquid corrodatur ipsius tunice
 intestinatorum: tum quia Hippoc. 4. de Morbis de lum-
 brico lato verba facies, inquit esse *ὅμοιον περι ἐν τῆσι ἑσ-
 τῶν λευκῶν*, id est, veluti abrasionem albam intestino-
 rum. In quibus verbis nequaquam voluit Hippoc. significare,
 esse ipsam tunicam, sed assimilari abrasioni albæ inte-
 stinatorum. Quare latus lumbricus fit ex eadem materia,
 ex qua fiunt & cæci, sed rarissime fit, propter quod di-
 cebat Gal. 5. Aphor. 26. ab Hippoc. ipsum silentio præ-
 termisum esse, quia rarissime hoc genus animalis fit in
 homine. Causa autem, ob quam rarissime fiat, est, quia
 & longo tempore, & multa materia in sui generatione,
 & augmento opus habet; vnde cum non facile sup-
 perat copia materiæ, & cum etiam prius excernatur à
 natura, quam adolescat; fit ut quam rarissime conspi-
 ciatur hic lumbricus in hominibus. Cæterum fuerunt
 inter veteres Medicos, qui existimarunt latum lumbric-
 um parere alia animalia: atque hi ducti sunt hac ratio-
 ne, quod qui laborant hoc genere mali, emittunt quæ-
 dam cucurbitæ seminibus similia, quæ etiam animalia
 videntur. Atque huius opinionis volunt aliqui fuisse
 Aristot. 5. de Hist. animal. cap. 19. ἐδ' ἀποκτείν, seu pa-
 rere nescio quid simile semini cucurbitæ. Sed si Aristot-
 elis verba considerentur, potius videtur contrarium
 voluisse; quandoquidem scribit, nullum genus lum-
 bricorum aliud animal aliquod efficere. quod si scribit
 latos lumbricos aliquid parere; nō intelligit quod ani-
 mal pariat, sed aliquid aliud. Manardus Medicus lib. 4.
 Epistolarum medic. cap. 1. refert se audiuisse à quadam
 muliere, quæ dicebat se lumbricum latum eiecisse; in
 quo alij vermes inerant; quasi hoc exemplo demon-
 straret istud lumbricorum genus parere. Cæterum Hip-
 poc. 4. de Morbis, falsam esse horum sententiam tribus
 rationibus ostendit. Vna est, quod fieri nequaquam po-
 test, ut animal vllum tot fœtus edat, quot apparent se-
 minibus cucurbitæ similes; Altera ratio est, nequaquam
 locum intestinatorum capacem esse tot fœtuum, quot
 dicuntur.

dicunt. Tertia est, quod si laboranti lumbrico lato præbeatur medicina, aut potio purgatoria, vel exit lumbricus in formam globi redactus, & figuratus; vel si non educatur, sed relinquitur medicamento, tamen longus erit, & abruptus; Ex quo loco colligitur etiam, cur fit, quod appareant excrementa illa feminibus cucurbitæ similia, quoniam lumbricus latus, aut vi medicamenti, aut inter exeundum contractus in ea minima segmenta diuiditur; quæ postea excrementa, æmulantur formam feminum cucurbitæ. Atque hinc potest colligi, nugas esse, quas dicunt Arabes de lumbricis cucurbitinis, quæ doquidem nulli sunt tales. Habentur itaque tres species lumbricorum apud Græcos Medicos. Sed dubitatur numquid Auicennas 16. tertij. tractatu 5. habuerit eandem sententiam de speciebus lumbricorum, eò quod ferè omnes interpretes existimarunt ipsum fecisse quatuor species; verum & ego huius sum sententiæ, cuius est Manardus loco citato, verè tria solum esse genera lumbricorum, videlicet rotundos, qui ab Auicenna longi, & rotundi nuncupantur; ascaridas, qui ab eodem Auicenna parui, & minuri vocantur; nec non lati, qui ab eodem longi, & lati nominantur; ita vt dicendū sit, lumbricorum alios esse longos, alios esse paruos; rursus longorum alios rotundos esse, alios latos; paruos autem esse ascaridas solos. Sed dicit aliquis, quomodo ascarides parui appellari debent; nam Galenus in lib. de Linguis Hippocratis scribit, ascaridas vocatos esse ab Hippocrate lumbricos tenues, & longos; si sunt tenues, & longi, ergo non parui. In hac difficultate à nemine proposita duplex responsio est. Vna apud Galenum loco vocis *pegkropis*, id est longos, legendum esse *μικροδ* mutata vna litera, id est paruos. Alia responsio est, ascaridas, vel posse comparari ad alios lumbricos, vel sibi ipsis, id est longitudine, & crassitie sui corporis. Si comparentur lumbricis rotundis & latis, proculdubio parui sunt appellandi, atque ita existimandum est esse locutum Auicennam; Sed si consideretur ipsorum crass

sties; & lätitudo, proculdubio longi sunt vocandi; atq; ita possumus existimare loquutum esse Galenum ex Hippocrätis sententia. Porro differentiæ lumbricorum, quæ sumuntur à caloribus, hæ sunt; quia alij sunt albi, alij rubri, alij liuidi, siue cineritij, alij flauij, siue, vt dicebat Celijs Aurelianus; fellofi; Alterius verò coloris vermes in nobis nasci non est facile reperire. Varietas autem horum colorum vario modo oriri potest; nam fieri potest, aut propter cruditatem, vel ex coctione materiæ, ex qua fiunt; aut propter varietatem nutrimenti; aut propter diuersitatem ciborum corruptorü; ex quibus gignuntur.

De signis Lumbricorum.

Cap. VIII.

SEQVITVR vt signa prosequamur, quorü inuenio apud Medicos tres classes, alia sunt communia generibus, alia particularia, & quasi propria vniciq; generi, alia, quæ distinguunt hunc affectum ab alijs similibus affectibus. Signa communia plurima scriptis tradita sunt ab Alexandro, & Auicenna, quæ omnia reduci possunt ad tres fontes signorum, scilicet ad actiones læsas, ad excrementa mutata; & ad accidentia mutata. Quod spectat ad læsas actiones, in primis in hoc genere morbi, functiones animales penè omnes læsæ conspiciuntur, nam delirant sæpè numero quij lumbricis vexantur, male discurrunt, pessimè imaginantur, & interdum offensam vehementer memoriam habent. Motiux quoque offensa sunt facultates, quia videmus à lumbricis vexatos non raro motibus quibusdam conuulsorij, & spasmodicis tentari; sensus omnes exteriores valde turbati sunt, & in primis visus, & auditus; non dormiunt, sed vigilant, strident dentibus, labia conterunt, mastlicant, gemunt, atque sine vlla occasione magnopere clamant; nares perfricant;

ficant, & quasi loco stare nequeant, huc, atque illuc, modo pacare, modo impetu magno vertuntur. Quæ omnes functionum læsiones maiori ex parte oriuntur à vaporibus acerbis, & mordacibus, qui in caput ab his animalibus attolluntur. Functiones pariter facultatis vitales non parum offensa conspiciuntur in hac ægritudine, eò quia ægri irascuntur, inconstantes sunt, adhæc, vt dicebant Alexander, & Auicennas, pulsus paruos habent, obscuros, atque difficiles. Addit Themison 9. libro Epistolatum, inæquales esse pulsus vt plurimum, eò quod cor ipsorum magnopere est occupatum. Naturales quoque functiones læsæ inter signa lumbricorum non minima sunt: nam si spes appetendi actionem, sæpè laborantes lumbricis sine vilo profus sunt appetitu, immo videmus quandoque experientia cogi matres vi maxima offerre cibum. Contingit quoque interdum, vt appetitus caninus in laborantibus lumbricis excutetur, non ob aliud, nisi quia hæc animalia interdum vsque adeo voracia sunt, vt statim rapiant alimenta ex ventriculo, quo tempore, vt dicebat Galenus in lib. de Theriaca ad Pisonem, & Raby Moyses in Aphor. ex sententia Galeni, corpora vehementissime emaciantur. Rentricis functio etiam læditur sæpè in hac ægritudine, quandoquidem rarissime contingit, vt vel vomitu, vel nausea laborantes, lumbricis nõ exercantur. Sitis quoque maxima contingit, adeo vt facile appareat non minimam partem inter signa lumbricorum habere functiones naturales offensas. Cæterum signa, quæ capiuntur ab excrementis mutatis, & ipsa sunt complura. Dicebat enim Auicennas faeces duras, & siccas esse: & adfert rationem, quia vermes cum humores omnes exsugant, reddunt faeces aridas, & duras. Sed hæc sententia Auicennæ non est ex toto vera, eò quod experientia compertum est, rarissime contingere, vt qui tentantur lumbricis, non habeant alium solutam: nisi dicamus non solui alium ratione vermium, sed potius ratione cruditatatum, quæ eo tempore plurimæ gignuntur in

Vindob.

y

ægris: Vrinæ spumosa sunt, albæ, interdum obscuræ, ferè semper perturbata: Sudores foetidi, & frigidi, vt dicebat Auicennas: saliuæ etiam fluit plurima ex ore, labia nocte humescunt, & die siccantur: eò quod in die vermes magis infestant ventriculum, & propterea desiccant. Fœtorem demum, aut spiritum quendam foetidum ex ore ipsorum manare, experientia compertum est. Accidentia autem, quæ indicant lumbricos, alia sunt externa, alia interna. Inter externa in primis numeratur tempus anni: iam enim dictum est, esse Hippocratis sententiam confirmatam & ab Auicenna, & ab omnibus, Autumno maximè lumbricos fieri: adhuc etiam regio numerari potest. Nam vt alias dixi, ex Theophrasto, & Plinio; Arabia, Armenia, Syria, Silicia, Boetia, Thebana regio maximè obnoxia sunt lumbricis. Possimus etiam nos adnumerare patriam nostram, in qua regione frequentissimè hæc mala conspiciuntur. Victus ratio præcedens, est etiam signum lumbricorum. Dicebat enim Alexander Trallianus, si egri vtantur cibis corruptibilibus, fructibus, balneis, facillè generari lumbricos. Inter intrinseca verò accidentia, in primis hæc sunt signa, color pallidus, extremorum frigiditas, tumor ventris, punctiones, dolores colici, iactationes corporis, atque tot sunt signa communia omnium generum lumbricorum à Scriptoribus memoriæ nobis prodita, præter quæ sunt & alia unicuique generi peculiaris. In primis autem rotundorum signum est inappetentia, eò quod hoc genus animalium ventriculum sæpè ingreditur, vbi appetitum prosternt: adhuc delirium, stridor dentium, morsus ventriculi, masticationes, tussis sicca exigua, partium pruritus, color pallidus, aut ruber. De lumbricis latis scribit Aetius, & Paulus eos interdum abundare in febricitantibus, interdum in morbis diuturnis; sed id ferè perpetuum habent, vt inducant stomachi morsus, appetitum caninum, & animi deliquia, pulsusq; inæquales faciant, imbecilles, & deficientes. Pueris autem dormientibus, si latus lumbricos habent,

habeant, os figuratur ad similitudinem lactantis, aliena loquuntur, acetiam stare loco nequeunt. Certissimum verò indicium est quod & Hippoc. 4. de Morbis, & Galenus, & Aristoteles 5. de Histor. anima. 19. & alij omnes testantur, si inter exciementa alui appareant veluti semina cucurbitæ; hæc enim cum sint veluti segmenta ipsius lumbrici lati, proculdubio certissima signa sunt. Ascaridum propria signa sunt vehemens intestinorum partium pruritus, atque assidua egerendi cupiditas: cum enim hæc animalia in extremis partibus gignantur, ibi adhærentia vellicant intestina, atque ita pruritus potius inducunt, quàm cruciatum: quoniã, ut notum est, intestina illa sunt crassa, & minimè omnium sensus participantia. adhæc ab egestione semper foetor maximus percipitur; quo signo solent Hippia tri cognoscere, quando iumenta laborant hoc genere mali. Sunt porro & aliæ aggritudines complures, quæ accidentia similia habent accidentibus lumbricorum. Ea propter Celsus Aurelianus 4. de Morbis diuturnis cap. 8. diligens fuit in demonstrandis signis, propter quæ distinguuntur similes passionès à lumbricis. & auctòr ille, quamquam fuit Medicus Methodicus, non tamen est negligendus, & præsertim in tractationibus signorum, in quibus diligentissimus fuit. Signum itaq; quod laborantes epilepsia, & apoplexia discernuntur à laborantibus lumbricis, est spuma, quæ non apparet in pueris, dum vexantur lumbricis, sed solum dum laborant vel apoplexia, vel epilepsia. Et quia sæpè continget medicos vocari ad pueros, qui modo epilepsia, modo lumbricis vexantur, si hoc signum præ oculis habuerint, scilicet spumam, facile poterunt discernere an hoc, vel illo morbo vexentur. In præfocatione matricis etiam accidentia contingunt similia lumbricis; sed distinguuntur præfocata à laborantibus lumbricis, eò quod in præfocatis vox ex toto amputatur, & necessàrio præcedunt quærelæ vteri; Quod si lumbricis laborant mulieres, neq; vox ex toto perit, neq; vteri præcedit mala dispositio.

fed ventris. In laborantibus catalepsi, febres sunt maiores, pulsus quoque maiores; quos pulsus, & paruos, & obscuros esse in laborantibus lumbricis iam docui. Qui laborant Ileo, ventrem adstrictum habent: qui laborant lumbricis, fluidum potius habent, aut saltem non adstrictum. Adhæc pallent lumbricis tentati, dormitant, & inter dormiendum gemunt, atque clamant; quorum nihil sustinent, qui Ileo tentantur. Stomachici, humores habent in ventriculo, lumbricis tentati et si nauscant, vomunt; vix tamen vnquam conspiciuntur euomee humores pituitosos, aut biliosos; sed plerumque aut cibos corruptos, aut quiddid potant, & edunt. Cæterum reperire est nonnullos, qui proprietate quadam naturæ id habent, vt in somno deducant labia, corrodant, clament; non aliter atque faciant illi, qui lumbricis vexantur; signum autem, quo distinguuntur illi, vni adfertur à Cælio Aureliano, & est, quod isti vtilitatem percipiunt ex cibi paritate: contra autem faciunt, qui exercentur lumbricis; nempe qui si esuriant, si ieiunent, multo vehementius, & multo atrocius turbantur.

De prognosticis Lumbricorum.

Cap. IX.

PROGNOSTICA indicia, quæ in ægritudine lumbricorum feruntur, à diuersis locis capi possunt, seu potius à diuersis conditionibus, quæ circa hæc animalia spectantur; possunt enim capi vel à differentiis ipsorum, vel à quantitate, vel à qualitate, vel à tempore exitus, vel à modo. A differentiis, quæ capiuntur indicia, sunt ea, quæ in primis reliquit nobis Hippocrates 4. de Morbis; vbi scribit laborantes lato lumbrico nequaquam debiles fieri; & si fortè debiles fiant, minimè cõualescere: addit etiam hoc genus animalium minimè è corpore sponte exire, sed solum vi medicamentorum, atq; minimè lethalem hanc ægritudinẽ esse, sed cõsenescere. Quo Hippocratis indicio

cio intellectu, non arduum est intelligere quid voluerit Cornelius Celsus Hippocratis sectator lib. 4. suæ medicinae cap. 17. ubi scribit, latos lumbricos cæteris esse deteriores; siquidem non sunt deteriores lati lumbrici, eò quòd inferant mortem, sed potius quòd hoc genus morbi ferè in homine fit sempiternu. Ascantides autem omnium minimè sunt pravi propter tres causas. Una est, quia sunt animalia exigua, & tenuia; quarum conditionum merito fit, ut vel nullum, vel perexiguum detrimentum inferre possint; Altera causa est, quia oriuntur in intestinis crassis, quæ cum sint ignobilia, atque etiam à locis nobilibus maximè remota, vix fieri potest, ut vllum insigne periculum secum ferant. Tertia causa est, quia cum sint in extrema intestinorum sede, per quam excurrunt, dura, & grauia stercora, facile fit, ut à stercoribus secum rapiantur, atq; proinde facilè exeant; sicut & medicamentorum operationibus facilè cedunt. A quantitate capiuntur prognostica indicia, quia si exeant lumbrici graciles, parui, & extenuati, multò melius est, quam si exeant magni, pingues, crassi, & præsertim sanguine repleti; & ratio est, quia ubi exeunt graciles, & parui, argumentum est in corpore non benè fuisse nutritos propter materiæ inopiam; ex aduerso si corpore crasso & magno exeant, est indicium abundare multam materiam in corpore, qua hæc animalia ita creuerint, & adoleuerint. Pari pacto si sanguine pleni exeant, indicium est corrosisse venas, atq; ex ipsis sanguinem effluxisse. Haud secus & à quantitate discreta capiuntur indicia, quandoquidem multò melius est, ut lumbrici pauci numero exeant, q̄ ut multi. A qualitate hæc etiã indicia ferre poterunt: nã si exeant albi, ferè res sine periculo est. ex aduerso si exeant vel flauï, vel liuidi, vel rubri, sunt multò deteriores; deterrimi verò sunt, si sanguineo colore saturati fuerint. A tempore exitus feruntur indicia de lumbricis, eò quòd, ut dicebat Hippocrates 2. prognosticorum, & libro de internis affectibus, si exeant circa tempus iudicij, optimum est: & Hippoc. sectator

Apollonius dicebat, bonum esse, si dum morbus iudicatur, lumbrici rejiciantur. In initio verò morborum si exeant, signum est magnarum, & multarum indigestionum: porro Herodotus apud Aetium scriptum reliquit: si lumbrici in inclinationibus & declinationibus febrium exeant, nihil mali indicari; ex aduerso malum esse, si exeant in statu, & augmento, eò quia signum est fieri in corpore turbationem; quamquam Caelius Aurelianus de acutis passionibus dicit, raro in initiis morborum apparere lumbricos; qui Caelius 4. Longarum passionum cap. de Lumbricis scribit: Si appareant in augmento febrium, malum esse, in declinatione verò laxamentum adferre. A modo exitus hæc postremo capiuntur indicia, quia, ut dicebat Antiphanes apud Caelium Aurelianus, & ut scribit Anicennas, multò melius est, si lumbrici exeant soli, & per aluum, quam si exeant aut per vomitum, aut commisti stercoreibus. Ceterum dubitatum inuenio apud veteres medicinarum scriptores, utrum melius sit, ut exeant lumbrici viui, an ut exeant mortui? Caelius quidem Aurelianus auctoritate Hipp. in Prognosticis scribit, mortale esse, si lumbrici mortui exeant. Hippocratis sententiam sectatus: Apollonius verò Melphitanus dicit, omnia interanea animalia optabilius esse ut exeant mortua, quam viua; Chrysippus etiam Asclepiadis sectator in eadem sententia fuisse videtur, scilicet magnum exitium potendi, si lumbrici exeant mortui, & adferbat rationem, quoniam argumentum est magnum esse impetum morbi, quo non modo exeant lumbrici, verum etiam interimantur. Ex altera parte Diocles medicus sentit siue supra, siue infra exeant lumbrici, nullum ferè bonum, aut malum protendi ex ipsis, melius tamè esse, si mortui exeant, quàm si viui. Dioclis sententiam videtur quoque sectatus Herodotus apud Aetium. Apollonius horum sententiam sectatur, & ipse videtur potius dānasse viuos lumbricos exeuntes, quàm mortuos. Ut conciliaret hos scriptores antiquus Chrysippus, dixit Hipp. atque alios iccirco dixisse mortale

le

le esse, si exeant lumbrici mortui, quia loquuti sunt de febribus stricturae. alios vero contrariam sententiã habuisse, quod loquerentur de febribus laxitatis. Puto enim neminem ignorare Methodicã Sectã, omnes morbos reducere consueuisse ad duo genera, nimirũ ad stricturam, & ad laxitatem. Sed quia Chrysippi responsio est solũ Methodica, melius erit, vt nos dogmatice hãc rẽ resoluamus: quare dicendũ est, quemadmodũ dicere visus est Auic. lumbricos exeuntes aut sine febribus exire, aut cũ febribus; Rursum si cũ febribus exeãt, aut cũ febribus malignis, & pestiferis; aut cũ benignioribus; atq; tunc vel in augmento, vel in statu, vel in declinatione. Si exeant sine febre, nullum ferẽ malum portenditur, verũtamen multo optatius est, vt exeant mortui, quã viui; & ratio est, quia si mortui exeant, signum est, non alia ratione fuisse interemptos, nisi propter alimenti inopiã. Si cũ febre exeant pestifera, & maligna, exitiale est eos mortuos exire; quemadmodũ magis salutare est, si exeant viui; atque hãc potissimum verificantur in augmento, & in statu; Ratio autem huius est, quia signum est, tantã esse materiae prauitatem, tantũque venenũ, vt ipsi lumbrici interimãtur priusquã fugiant; Ex aduerso si viui egrediantur, signũ est quidem prauitatem materiae eos expellere, sed indicium est etiã & vim expultricem fortem esse, & materiam non vsq; adẽ prauam, vt ipsos interimat: Dixi potissimum vera esse in augmento, & statu; quandoquidem in declinatione non ita est. nam etsi mortui exeant declinante morbo, argumẽtum est, eos potius fuisse mortuos propter inopiam nutrimenti, quã vlla vi motbi; quã iam transiit. Si cum febre benigna exeant lumbrici, etiam in hac multo melius est, vt exeant mortui, quã viui; quia inde quoque indicari potest eos lumbricos esse interemptos inopia potius materiae, quã vno veneno. Ex hac itaque resolutione possunt facile conciliari antiqui, qui hac in re diuersi fuisse videntur.

De curatione Lumbricorum.

Cap. X.

SEQVITVR modo, vt curationem aggrediamur, quæ facile inuenietur qualis esse debeat, si ad naturam ipsius morbi conuertatur. Est enim lumbricus; vt scriptum est à Galeno libro de differentiis morborum cap. 8. & in fine 14. Methodi, & vt supra explicuimus, morbus in quantitate, & est toto genere præter naturam; quò fit, vt statim indicatio curatoria oriatur, lumbricos omnes penitus è corpore esse extirpandos. Sed quia lumbricus est animal, & propterea huc, atque illuc facile mouetur, neque ita expelli potest quemadmodum alia excrementa, propterea quod refugit, & resistit; necessariò sequitur vt possint è corpore expelli, prius esse interimendos, aut saltem ita hebetandos, & stupefaciendos; vt nullo modo resistere possint, sed expellantur. atque hinc surgit alia indicatio, vt interimantur lumbrici in corpore, vel saltem stupefiant. Et hæ sunt omnes præcipuæ indicationes curatoriæ, quæ dogmaticè, & ex rei ipsius natura comparantur in lumbricis curandis. Sed præter indicationes curatorias habentur & alia, quæ respiciunt ablationem causarum, potiusque præseruatoriæ indicationes sunt, quam verè curatoriæ. Causam autem, quæ lumbricos facit, fouet, & auget, eum duplex sit; vel efficiens, nimirum calor internus; vel materia, nempe cibus corruptus, atque humor crudus; Ea propter indicationes, quæ comparantur in hoc genere, totæ sumuntur & à cibus ipsis corruptis prohibendis, à prohibenda humorum cruditate, & à temperando calore illo, qui genitalis esse solet. Et quia natura semper præcedit præseruatio curationem ipsam, & tota hæc ratio præseruationis posita est in ratione victus, & in aliquibus medicamentis, quæ euacuant humores dispositos ad generandos vermes, ideo prius vitæ recta ratio institienda

instituta est in omnibus sex rebus non naturalibus, Aer itaque eligendus erit temperatus in actiuis, in passiuis vero sicus, eò quod siccitas non solum confert ad absumendam materiam vermium generationi idoneam, verum etiam ad enecandos, & consumendos lumbricos. Somnus & vigilia moderati esse debent, & ante cetera monitum est à medicis, magnoperè nocere, si statim dormiat à cibo, & multò melius esse duabus horis à cibo sese ad dormiendum conferre. Exercitium moderatum esse debet, præsertim verò ante cibum; nam otium, & quies cum maximè conferant ad cumulandas indigestiones, consequenter etiam conducunt ad cumulandam, & conseruandam materiam vermificam. Aluus inter cetera maximè lubrica est seruanda, non solum ad prohibendam lumbricorum generationem, verum etiam ad ipsos iam factos enecandos; quare nisi sponte fluat, erit scienda vel cõmuni aliquo supposito, vel clystere aliquo. Sed in præseruatione quodlibet suppositorum, & quilibet clyster vsui esse potest, modò sufficiat ad leniendam aluum. In curatione verò debent clysteres omnes parari ex rebus dulcibus, minimè autem ex amaris, & acris: ratio est, quia hæc animalia sicuti prosequuntur dulcia omnia, quibus delectantur; sic refugiunt acris, & amara. Et ideo huiusmodi clysteribus plerunque efficitur, vt vermes, qui per aluum exire deberent, ore reuomantur. Materia autem idonea iis clysteribus erit in primis lac, mel, saccharum rubrum, brodia pinguis, exempli gratia:

R. Lactis cuiuscunque lib. i.

Mellis depurati vnc. z.

Misce, & fiat clyster: vel

R. Brodij pinguis lib. i.

Butyri,

Sacchari rubei ana vnc. i. s.

Misce, fiat clyster. Dubitari possit hoc in loco, an huiusmodi clysteribus liceat iniicere sales, & oleum. Sanè si spectemus facultatem salis, & facultatem ipsius olei, sal

potest quidem sua acrimonia, & siccitate interimere lumbricos, vt ideo videatur conuenire; similiter etiam & oleum; oleum inquam cum omnia insecta enecat, iccirco videtur etiam conuenire ad eiecandos lumbricos in clysteribus. Sed, si ex aduerso consideremus omnia animalia, quæcunque solent quadam naturæ proprietate, & promptitudine refugere ea, quæ sunt sibi ipsi inimica, etiam conueniendum est lumbricum refugere oleum, & sales; & ideo nequaquam conuenire, vt clysteribus misceantur, præsertim verò oleum. nã salis potest quide paucū qd adici, vt excitetur facultas expultrix. Porus, si sint ægri sine febre, debet esse vinum oligophorum, subadstringens potius, & amariusculum, aut acre, minimè verò dulce. Acetum cum aqua etiam conuenit, & hæc ratione vinum acidum minimè inutile est. Sed si ægri laborent febre, loco vini potest fieri decoctum, aut myxarum, aut granatorū, aut prunorum acerborum, aut cerasorum acidorum. Fiunt enim ex his varia decocta, quæ & per se sola, & vino granatorum permista maximè conueniunt. Cibi verò qui conueniunt in curatione lumbricorum, sunt omnes illi, qui faciles concocta sunt, qui attenuant, qui incidunt; & iccirco accommodati sunt omnes cibi acerbi, adstringentes, acidi, amari, & oleosi. Noxia verò sunt omnia dulcia, crassa, viscida, & pingua. Ex carnibus commendantur aues omnes, carnes vitulinæ, agnina; bubulæ maximè damnantur. Quæ autem non conueniunt, aut ipsis miscendum est acetū, aut omphacium, vel succus granatorum, vel aliquis alius liquor acidus. Vitanda sunt omnia legumina; omnia lacticia, & pisces. Inter fructus verò ij solum conueniunt, qui acidi sunt, vt granata, aurantia poma, citria, mespili, pruna acerba. Atque inter cætera omni studio vitandæ sunt cruditates, & indigestiones; quod quidem fit non solum perspecta qualitate eduliorum, verum etiam quantitate. quare media quædam via tenenda est in quantitate ciborum præscribenda, quoniam si parcissime nutriantur

ægri, solent præ inedia effrenari hæc animalia, atque huc, & illuc percurrentia pertundere intestina, & incredibiles cruciat⁹ excitare. Ex altera parte si plus quàm par sit saturantur infirmi, fiunt indigestiones, & cruditates, ex quibus non solum nutriuntur, & augentur magis interitanea animalia, verumetiam iugiter noua gignuntur. quare præstat parum cibi offerre, sed sæpè, ita vt neque iciuent, neque etiam vltra æquum saturantur. Medicamenta, quæ in præseruatione à lumbricis conferre debent, id habeant necesse est, vt ab ipsis materia idonea generationi lumbricorum penitus consumatur. Et quia hæc materia tota in ventriculo, & in intestinis continetur, ea propter medicamenta debent exficcare, & consumere materiam in his locis existentem. Vt hinc colligere liceat pharmaca Eccoprotica, id est, stercoraria, accommodatissima esse ad præseruandos à lumbricis homines. Quare vsus Senæ, tamarindorū, myrabolanorum vtilissimus est, sed præ ceteris vtilissimus omnium est aloes vsus, & quidquid componi ex ipso solet. Consueui ego vti in illis, qui facile corripuntur hoc morbo, huiusmodi pillulis:

R. Aloes succotrina drach. 2.

Myrrha,

Scordij,

Dictami albi ana scrup. 1.

Cum syrupo de absynthio fiant pillulæ: quarum quis vice sumatur drach. 1. & si puer sit tenerior drach. s. aut scrup. 2. Percunctabitur aliquis à me, nunquid etiam medicamenta, quæ euacuant insensibiliter, conueniant in his casibus, veluti est inter cætera decoctum ligni: proculdubio si spectemus locū, vbi materia lumbricorum posita est, nequaquam conuenire videtur huiusmodi medicamenti vsus, eò quod ipsum euacuat materiam in ambitu corporis existentem. Lumbrici autem gignuntur in intestinis, verumtamen cum lignum amarorem habeat, & eius decoctum, & acre, & amarissimum sit, puto ego inter alia remedia ipsam

esse vtilissimum, eò quod non solum exsiccando potest consumere crudos humores ventriculi, & intestinalium, verumetiã amarore illo insigni, & acrimonia potes est ipsa animalia iugulare; vt ob hæc omnia tam in curatione, quã in præseruatione decoctum ligni vtilissimum sit. Tot igitur agenda sunt ad auertendam lumbricorum generationem. Superest vt rationem curandi edoceam, & primò nonnulla præcepta adferam, maximè conducentia ad vniuersalem curationem daturus: demùm cuiusque speciei propriam curationem. Dixi ex sententia Galeni decimo quarto Methodi, scopum in curandis lumbricis præcipuum esse, vt ipsi corpore educantur. Sed quia educi non possunt faciliter dum viuunt adhuc, ideo prius necessarium est ipsos interimere, aut saltem ita hebetare, vt medicamentis resistere nequeant. Iam verò quæ vel interimunt, vel hebetant animalia interanea, sunt amara omnia, acia, incidentia, adstringentia, acida, & oleosa; quæ omnia siue intrinsicè, siue extrinsicè adhibeantur, conferre consueverunt. Sed in recto horum omnium vsu administrando nonnulla sunt intelligenda. Et primò, quia hæc animalia sunt fallenda, & cum dulcibus rebus delectentur, præsentaneum est remediis interimentibus semper delectantia commiscere, & ideo malè agunt, qui amara sola, aut acida exhibent, eò quod lumbrici non fugunt, neque trahunt venenum apertum. Sed si venenum commisceatur rebus dulcibus, ludificantur Lumbrici, vt dicebat Lucretius de pueris; & ideo venenum cum melle, & dulcibus trahunt. Quare semper medicamenta, quæ offerentur in vermibus, immisceantur saccharo, aut lacti, aut melli, aut mulsæ; & domi meæ pro pueris iubeo parari oxymel factum ex melle; & aceto acerrimo; & decocto absynthij: huiusmodi enim oxymel conseruat mirificè pueros à lumbricis. Alterum admonendum est, in iis medicamentis, quæ per alium infunduntur, semper dulcia aut sola esse debere, aut valde præualere aliis: ratio est, quia facile hæc animalia tracta

tracta

tracta dulcedine, inferiores regiones petunt. Ex aduerso in his medicamentis, quæ ore capiuntur, debent semper præualere medicamenta acra, aut amara ipsis dulcibus: ratio est, quia si plus dulce esset, quam amarum, traherentur faciliè hæc animalia in stomachum, nec commode interim possent. Tertium est obseruatione dignum, medicamenta lumbricis interimendis accommodata, nequaquam uehementia esse debere; ratio est, quia si uehementia sint, præterquam quod ab ipsis ventriculus offenditur, fit etiam, ut lumbrici agitati uehementer, acerbiores, & crudeliores euadant. Quartum est, horam utendi medicamentis omnibus esse, ubi ventriculus exinanitus est, eò quod si plenus ventriculo offerantur medicamenta, faciliè eorum vis alioquin imbecilla obtunditur, & penè extinguitur. Quintum est, nullam esse medicinam, quæ communiter omnibus lumbricis enecandis conueniat, nullumque esse magis præsentaneum remedium, quam corallina uocata, ut est muscus marinus: hac enim in puluere utuntur Medici isti foranei, & miracula faciunt. Adeo ut uiderim incredibilem copiam lumbricorum interdum deiectam hoc solo medicamento. Postremo obseruandum est ægros, qui affliguntur hoc morbo, plerunque pueros esse, atq; omne genus medicamentorum auertere, ea propter sicuti auerlantur medicamenta, ita etiam cogendi sunt omni ingenio, ut ea sumant, loquor de medicamentis, quæ ore capiuntur, quoniam extrinseca faciliè admittunt. Modus cogendi pueros indicatus est à Paulo Aegineta libro quarto capite quinquagesimo quinto, ubi instrumentorum mentionem facit, quibus utendum est ad cogendū pueros. Et est cochlear, quod primum intra dentes ponitur ut, quo scilicet dentes à se inuicem abscedant, deinde fistula angusta quidem ex una parte, latissima uero ex altera parte, & longa; hac qua parte angusta est, mittitur in os usque ad fauces, & qua parte latissima est, infunduntur medicamenta; sic enim fit, ut nolint, uelint, sorbeant pueri medicamenta.

Potest his addi, interdum aegros febres tentari cum lumbricis, interdum vero esse sine febre. Vbi febricitas, quantum fieri potest, eligenda sunt medicamenta frigidiora. Vbi autem sine febre sint, licebit uti etiam calidioribus. Atque haec vniuersaliter erunt obseruanda in curatione lumbricorum. Sunt etiam, ut dicebam, propria remedia vniuscuiusque speciei; & primo rotundum sunt in locis ventriculo proximis, nequaquam exigunt ea medicamenta generosa, quae postulant caeteri; quare in his, ut habemus apud Galenum multis in locis, sat est adhibere vel absinthium, vel abrotanum, vel coriandri semen, vel decoctum calamenti. Laudatur etiam ab Actio lapis Gagates, amygdalae amarae, lupinus amarus aqua non maceratus; quae omnia variis modis possunt vsurpari. Possunt etiam vsurpari & indeocto, & in puluere; exempli gratia si decocto placebit uti, poterit ita componi:

R. Lupinorum p.s.

Abinthij p.i.

Brodij quantum sufficit,

Bulliant simul, & facta colatura addatur saccharum vique quo dulcoretur, & poterit pro captu pueri etiam quantitas metiri interdum ad duas, tres, & quatuor uncias. Sic etiam possunt fieri decocta ex aqua, & mel misceri, ut dulcoretur. Pulus etiam sic vsurpari poterit:

R. Lapidis Gagatis drach. i.

Scordei,

Seminis absinthij ana scrup. 2.

Terantur omnia simul, & cum modico mulsae offeratur. drach. s. vel scrup. 2. laudauit etiam Auicennas copiam olei potatam; nam, ut docui ex Aristotele, insecta omnia interimuntur oleo. Aristoteles 9. de Histor. animalium 6. scribit canes, dum laborant lumbricis, a natura doctos esse, ut sumant tritici vel spicam, ut antiquus interpretes transtulit, vel ut Gaza, herbam tritici. Sic poterit quis ad enecandos vermes aceto acerrimo in potu uti, succo citri acido, & similiter aurantiorum succo,

succo. atque hæc intus conueniunt. Extrinsecus verò conueniunt & vnctiones, & cataplasmata; sed animaduertendum varium esse debere locum extrinsecum remedium in applicando in lumbricis rotundis, & in ascaridibus; quia cum ascarides infestent extrema intestina, infra vmbilicum applicanda sunt remedia, & circa podicem. In lumbricis rotundis applicanda circa vmbilicum, & paulo supra, eò quia propria sedes ipsorum est in primis intestinis, quæ circa eam regionem sunt collocata. Pro inunctione conueniunt hæc:

- R. Succus absynthij,
- Succi abrotani ana drach. s.
- Pulueris scordei,
- Aloes ana scrup. 2.
- Olei communis vnc. i.
- Ceræ parum,

Misce, & fiat linimentum. Si ceratum facere placeret, si illud componetur:

- R. Myrrhæ,
- Aloes ana drach. i.
- Pulueris scordei,
- Seminum absynthij,
- Seminum citri ana scrup. s.

Cum cera, & resina quantum sufficit, fiat Ceratum. Fiunt quoque emplastra veluti est istud:

- R. Foliorum absynthij,
- Abrotani ana m. i.

Lupinorum contusorum crasso modo p. i. s. Bulliant simul in aquæ lib. 6. & aceti squillitici lib. 1. deinde omnia simul pistentur diligentissime, & loco prædicto apponantur. Theriaca quoque succo citri, vel aceto liquata, & apposita locis dictis maximè confert; nec solum utilis est extrinsecus, verum etiam intrinsecus; sicut etiam & semē vrticæ à Celso valde commendatur, semen fœniculi, cimini, menthæ; siue extrinsecus, siue intrinsecus adhibeantur; conferunt ad enecandos lumbricos rotundos. Contingit verò, vt lumbrici,

etiam si enecentur, non exeant; quare necessarium est, ubi non exeunt, medicamenta offerre, quæ mortuos educant; & in hoc casu laudatur rhabarbarum præ cæteris, hiera, aloë, agaricus etiam; quorum hoc, vel illo uti licebit, prout videbitur ægrum ipsum, aut pituitosum, aut biliosum esse. Quare si fuerit biliosus, hoc medicamento utendum erit:

R. Seminum citri,
Seminum urticæ ana drach. s.
Myrabolanorum citrinorum scrup. ʒ.
Passularum vnc. s.

Fiat decoctio in aqua absynthij secundum artem, deinde

R. Dictæ decoctionis vnc. ʒ.
Rhabarbari electi scrup. ʒ. s.
Seminum feniculi,
Calami aromatici ana gr. i. s.

Infundantur secundum artem, deinde facta diligenti expressione, adde

Mellis rosati vnc. i. s.
Succi citri vnc. s.

Misce. Hoc medicamentum efficacissimum est ad educendos & viuos, & mortuos lumbricos; addidi mel rosaceum tum ut dulcëretur medicina, tum etiam quia Alexander Trallianus in epistola de lumbricis commendat illud; quanquam existimem veteres mel rosaceum habuisse amariuscule magis, quam nos. Sin autem æger potius sit pituitosus, aut etiam melancholicus, poterit loco rhabarbari usurpari vel feniculi, vel agaricus, atque cætera iam prædicta: & hæc dixi agenda esse, dum sponte vermes ipsi enecari non exeunt. Sed si, ut sæpè usu venit, huic malo sit etiam iunctus fluxus alui, dicebat Acrius studendum esse, ut fluor alui crassescat, & addit rationem, quia quanto magis fluit alui, tanto copiosiores fiunt lumbrici; quæ in re suspecta est mihi hæc sententia Aetij. Primò quia non video, quomodo stante alui fluxu possint lumbrici copiosiores generari; etsi enim concedam fieri in his plurimas crudi-

eruditates, contingit etiam, vt secundum quod fiunt humores crudi; ita excernatur priusquam ex ipsis possint generari lumbrici. Accedit etiam, quod Auicennas, qui videtur accepisse hanc Aetij sententiam, non dicit generari vermes ex maiori fluxu, sed copiosiores educi: aliud est enim quod fiant lumbrici in fluxu alui, aliud quod exeant. Quare nisi fluxus sit immodicus, nunquam est cohibendus vlla ratione, sed sinendus potius; quandoquidem animalia nocentia sic exeunt felicius. Sed si fluxus alui immodicus sit, ita vt vires penitus deiciat, tunc sanè, vt docuit Aetius, erit satagendum vt non violentè, sed blandè coerceatur; Quo in casu decoctum plantaginis, & portulacæ in brodio commodissimū est. Puluis etiam vermium terrestrium, si cum sapa, vel melle exhibeatur, vtilis est. Extrinsecus quoq; conueniunt vnctiones, & cataplasmata adstringentia moderatè. exempli gratia hæc inunctio erit accommodatissima:

R. Olei rosacei omphacini,

De absynthio ana vnc.s.

Olei myrtini drach. z.

Pulueris boli armeni,

Corticum granatorum ana scrup. i.

Succi limonum parum,

Cum cera, quantum sufficit.

Fiat linimentum. Emplastrum etiam hoc accommodatissimum est:

R. Corticum granatorum,

Corticum citoniorum,

Foliorum absynthij,

Rutæ,

Plantaginis ana m. i.

Coquantur omnia, deinde pistentur diligenter, & cum modico olei rosati omphacini fiat emplastrum. Vtus autem horum emplastrorum est, vt in linteamine subtilissimo ponantur, & parti affectæ applicentur; si que refrigerentur, recalefiant, ita vt semper saltem tepentia

conferuentur. Lati lumbrici curatio parum est diuersa à curatione rotundorum, quemadmodum dicebat Aetius, & Paulus. Sed si vlla differentia est, ea proposita fuit à Gal. 14. Meth. & ante etiam significata à Cornel. Celso, scilicet lätos lumbricos vehementioribus egerè medicamentis quàm rotundos. Ratio est, cum hoc animal sit satis magnum, proculdubio maioribus armis confodiendum est. Tradita tamen sunt à Medicis quaedam remedia huic malo peculiaria; & inter cætera Gal. 8. de simplici Medicina siliem scribit propriè necare latum lumbricum. Sic Alexander Trallianus scribit hoc animal interaneum intèrimi à nucibus reggis, à Cardamomo, & Costo; succus quoque centaury, siue eius decoctum mirificè in hac ægritudine confert. Celsus, & Alexander laudat corticem morum, si in puluerem redactus cum modico hyfopi, aut piperis exhibetur. Pari pacto scamnoneum à Celso laudatur. Theriaca quoq; mirificè valet ad enecandum lumbricum latum. Porrò ascarides adhuc maioribus medicamentis indigêt, quàm vllum aliud lumbricorum genus, quod traditum habetur à Galen. in fine 14. Methodi. Atque huius rei quinque afferuntur rationes ab Auicenna: quarum vna est, hæc animalia, vt diximus, remotissima esse à ventriculo, & ab ore; & ideo si medicamenta eò penetrare debent, necessarium est, vt sint valida facis. Altera ratio est, ascarides ferè semper conuolutos esse humoribus lentis, & viscidis; propter quos fit, vt etiãsi medicamenta eò penetrent, tamen nisi valida sint, eorum vis penitus infirma sit. Tertiam adfert causam Auicennas, quod ascarides sæpè vsque ad monoculum intestinum ascendunt, ibique firmati magno labore inde auelluntur. Quarta causa est quod ascarides, qui ex materia crassa, & viscida gignuntur, similiter medicamentis vehementioribus indigeant, quæ conterere huiusmodi materiam valeant. Postrema est, materiam, ex qua fiunt ascarides, venenosam ferè esse; cum autem medicamenta sint ferè venenosa, atque si-

mille

simile à simili non admodum patiat, idèd sic, vt à medicamento, nisi sint vehementia, parum, aut nihil ferè offendantur. Cæterum ascarides habent quoque peculiaria remedia sua, quorum aliqua administrantur per aluum immediatè, aliqua verò per os. Quæ administrantur per aluum, sunt clysteres, suppositoria, fomentationes, inunctiones. Inter clysteres ab omnibus acres laudantur, veluti sunt hi, qui fiunt ex materia sola, vel decoctione absynthij: & vt aliquod exemplum habeatur:

R. Foliorum absynthij m.l.

Lupinorum p.i.s.

Bulliant diligenter simul, deinde

R. Dictæ decoctionis lib.i.

Mellis rosati vnc. 3.

Salis drach. i. s.

Misce, & fiat clyster. Pro supposito hoc poterit parari:

R. Nitri,

Salis gemmæ ana scrup. i.

Fellis taurini drach. i.

Mellis quantum sufficit.

Fiat suppositorium. Fomentationes possunt parari ex decocto parato pro clysteribus. Vnctiones autem hæc sunt accommodatæ:

R. Fellis taurini drach. i. s.

Pulueris lupinorum drach. 2.

Olei de absynthio vnc. 2.

Vini generosi albi vnc. s.

Misce ad ignem. Modus administrandi has inunctiones est, vt fiant ex linteamine collyria longa, & oblita hoc medicamento indatur in anũ. Laudat similiter Aetius carnem salitam derafa pinguedine in formam glandis redactam. Sic etiã cascus antiquus salitus mirificè prodest. iuuat quoque cedria per clysterem infusa. Vbi expurgata sunt huiusmodi medicamenti intestina ab ascaridibus, fuit sententia Aetij vtendum esse adstringē-

tibus, quasi medicamenta adstringentia sui frigiditate, & siccitate conferant ad prohibendam nouam ascardum generationē; capropter, dum erit occasio, eadem curationis ratione vti conueniet. Exempli gratia huiusmodi clyster erit utilis:

R. Foliorum plantaginis,
 Poligoni,
 Nucleorum myrabolanorum citrinorum,
 Corticum granatorum,
 Baccarum myrti,
 Lupinorum ana p.s.

Contusis omnibus diligenter fiat decoctum; cuius decocti:


R. lib. i.


Olei rosati omphacini vnc. 4.

Misce, & fiat clyster. qui vt prodesse valeat, continendus est quamdiu fieri potest. Per os etiam sunt multa, quæ laudantur in hoc genere lumbricorum curando. Laudat Auicennas scammonium, & coloquintidem. Sed hæc remedia generosâ in pueris sunt vitanda; quare multo melius, & vtilius medicamentum est illud, quod proponit Auicennas, factum ex succo Ireos; huiusmodi enim succus non tantum ducit aluum, & consequenter ascardas, sed etiam peculiari quadam facultate eos interimit. Multa alia à Medicis tradita sunt remedia pro lumbricis; quæ nō est, vt hoc loco prosequar

omnia; sat fuerit exempla eorū, quæ putantur efficaciora proposuisse.

FINIS.





DE
VENENIS
ET MORBIS
VENENOSIS

Tractatus.

EX VOCE EXCELLENTISS.
HIERONYMI MERCVRIALIS
*Forolinienfis, Medici clariffimi diligenter
excepti, atque in Libros duos
digesti*

OPERA
ALBERTI SCHELIGII
VBARSHAVIENSIS.



BASILEAE
Anno c1515 xvic.

3 VOTIVVM FRANCISCI
HYNNIADINI TRANSIL.
IN EDITIONEM
OPERIS.

PARVE liber gelidos mundi visure Triones
Illatos heroum genitrix, tot honoribus aucta
Aula petenda tibi est, Scythiaque superba trophaui.
Hic vbi bella ducum cupido perlegeris ore
E domitum Tanaim, & fracta Maotidos arcus,
Dimitiis confise tuis, audacter adito
Diuini penetrare Ducis, prosterne supplex
Atque vnctum venerare Dei, genibusque volutus
Debita magnanimo desiges oscula Regi.
Ille licet nunquam curarum pondere liber,
Te tamen adspetto discussa nube parumper
Liberior, paulumque suus, te fronte serena
Excipiet, magni diuina oracula vatis.
Magna decent magnos, Tu nempè potentibus herbis
Nigra venena fugas, vitamque in secula differ:
Ille venenosos ferro & face conficit hostes.
Macte bonis animi, Rex inuictissime, rerum
Certa salus, atavis soboles non degener Hunnis.
Quo nascente fluunt anni meliore metallo,
Quo nascente redit viuis calor vrbibus agris,
Quo nascente audent canæ procedere leges,
Inuenies virtute viam, Tua numina Ganges
Et septem gemini formident hostia Nili.
Tu vero lux Artæ clarissima gentis
O inuenis, tibi quid tanta dabit indole dignum
Posteritas? quali pensabit munera lucros
Vltra Pyramidas, annosaque Mausolæa
Duret honos, nec te premat inuida nube vetustas.

PATAVII.



SERENISSIMO
AC INVICTISSIMO
PRINCIPI,

STEPHANO PRIMO
DEI GRATIA REGI
POLONIAE,

Magno Duci LITHVANIAE, RVSSIAE,
PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMOGI-
TIAE, LIVONIAE, &c. PRINCI-
PI TRANSILVANIAE,

Domino suo clementissimo.

INTER Scriptores Græcos
non postremus Menander
in Epistola sua ad Ptolemeū
Regem de optimo Rege, hu-
iusmodi dictum protulit.
Egregium quiddam Rex
est, qui fortitudine præcellit, & iura homi-
num iudicio suo conseruat. talem te nobis di-
uinitus Regem datum esse, omnes confitētur.

z s

satis enim superioribus annis demonstrasti, cum ex Moscho tot insignes & per amplas obtinuisti victorias, quantum fortitudine polleas: ita ut nulla sit, quam Sol circumlustrat, mundi pars, ad quam tuarum rerum gestarum fama non peruasit. non enim id tua fama, quod ventis solet, contingit, qui cum unde ortum ducunt ibi impetuosisissimi sunt, ad remotiora languidi fere debilitatiq; perueniunt: sed quod ingentibus, vastissimisq; fluminibus, quæ cū à riuulis ipsis magna sint, a siduo tamen aucta, & in molem eleuata progressu, ampliores & capaciores alueos efficiunt, quo à fontibus ipsis longius recesserūt. idem per celebrem de te efficere famam omnibus conspicuum est. in dies enim nouis ex toto orbe terrarum Legationibus de sublimi & verè Regia virtute tua gratulationes excipis, omnes se tibi adiungi volunt, te cælitus in illud Maiestatis Solium, ut propugnaculū sis contra immanissimos & teterrimos Reipubl. Christianæ hostes euectum esse autumant. tuq; solus nunc es, quem unum omnes magis suspiciant, admirentur, & venerentur. iura autem subditorum tuorum quæ ratione tuearis & conserues, non solum qui in

tuo

DEDICATORIA.

tuo regno sunt, verum etiam reliqui omnes
 optimè norunt, cum tot tantasq; inter inco-
 las Regni lites breui sopiueris: ut si alicubi
 Iustitiam quis vigere dicat, in Regno Poloniae,
 te Rege, locum fixisse asseueret. Felicem nos-
 tram te Rege Poloniam, quo praesente Religio
 Christiana propagatur, hostis à finibus Regni
 longe lateq; arceatur, Iustitia ex aequo unicui-
 que administratur. Ceterum cum magnam
 Medicum, maximi quoque Principis nomine
 illustratum in publicum prodire deceret, tu
 mihi, Rex inuictissime, hoc ipso nomine pul-
 cerrimè succurristi, cui hoc Opus dedicarè:
 ut Maiestatis tuae eximio fulgore & splendo-
 re plurimum illi claritatis accederet. quippè
 qui Iustitiae administratione Traianum, fe-
 licitate in bellis gerendis Alexandrum Mace-
 donem, clementia Iulium Caesarem facile su-
 perare videaris: & quod ad Religionem per-
 tinet, sanctissimorum Regum antecessorum
 tuorum vestigijs felicissimè insistis. Suscipe
 igitur, Serenissime Rex, Tractatum hunc praec-
 ceptoris mei hac tempestate nostra Medici
 praclarissimi, & omnium Medicorum Cori-
 phi, benigno vultu: & eum sub umbra
 Maiestatis tuae habere ne graueris: sic enim

te doctissimorum virorum (ut facis) scriptis
oblectari declarabis, & vniuersum mortale
genus, hoc non mediocri beneficio tibi in per-
petuum obligabis. Deus Optimus Maximus
Maieſtati tuæ ad Chriſtiana Religionis incre-
mentum tui nominis immortalem gloriam,
& Regni Polonia amplificationem, diu inco-
lumem & florentem conſeruet. Patauij Ka-
lendis Martijs. Anno à mundo redempto.
D. M. LXX XIII

Sacrae Regiæ Maieſtatis tuæ

• fideliff. ſubditus

ALBERTVS SCHELIGIVS
Vbarſchauienſis med.

AVTORES QVI IN OPE-
re de Venenis testes
citantur.

Aetius	Diocles Caristius
Agatarchides	Erotianus
Alexander Trallianus	Fernelius
Alexander Aphrodisæus	Fuchsius
Alexander Petronius	Galenus
Albertus Magnus	Gulielmus Placentinus
Albucasis	Hero
Altimarus	Hippocrates
Antigonus	Halyabbas
Apollonius Melphitanus	Herodotus
Aristoteles	Hieronimus Cardanus
Areteus	Iacobus de Partibus
Arnoldus Villanovanus	Ifidorus
Auicennas	Lucretius
Auenzoar	Marcus Varro
Auerroes	Michael Ephesius
Auctor lib. def. medic.	Montanus
Azaraius	Meletius
Casius	Manardus
Cornelius Celsus	Nicolaus Florentinus
Columella	Nicander
Cælius Aurelianus	Oribasius
Chrysippus	Petrus Aponensis
Democritus	Pausanias
Dioscorides	Paulus Ægineta
	Plato

Plautus	sis
Plinius	Suessanus
Plutarchus	Theophrastus
Rafes	Theodoricus
Raby Moyses	Theodorus Priscia-
Rogerus Chirurgus	nus
Rufus	Themison
Seneca	Timæus Locrensis
Serenus	Vegetius
Stephanus Athenien-	Xenophon.

HIERONYMI
MERCVRIALIS
DE MORBIS VE-
NENOSIS ET
VENENIS

LIBER I.

*Prooemium, & morbi venenosi defini-
tio. Caput I.*



QVONIAM vt veterū auctoritate,
& quotidiana experientia compertū
est, venena omnia cor ipsum (quod
viscus veluti fons quidam ac princi-
pium vitæ in nobis existit) petere in
primis solent : & illud præ cæteris
corporis nostri partib⁹ maximè im-
pugnare, decreui, quod iam pridem fueram pollicitus,
de venenosis morbis, atque etiam de venenis ipsis in
præsentia pertractare, eò sanè magis, quod paucissimi
reperiuntur auctores, qui hanc materiam vsque ad eam
arduam, & humano generi apprimè salutarem, & scitu
necessariam, tractauerint. Vnus quidem Nicander an-
tiquissimus omnium, quos habemus, videtur esse: post
hunc Dioscorides: scripserunt quoque & Galenus &
Erasistratus, sed licet horum libri citentur, quemadmo-
dum Dioscorides in capite de Basilisco citat Erasistrat ū

tamen commentaria hæc non habemus, & præsertim Galeni de venenis, quæ scribit Rases se vidisse; quæ si à nobis non desiderarentur, ampliorem fortasse dicendi campum, circa tractationem morborum venenosorum haberemus. verùm vt pauci omnino hac in materia reperiantur auctores: pari pacto pauca habemus nomina horum morborum. Graeci quidem appellarunt modo *δλητηριους* modo corruptiuos, modo lethales; nos venenosos cõmuni nomine appellare consueuimus. Fuerunt recentiorum nonnulli, qui appellare vluerunt morbos à tota substantia, seu à forma: sed de his post dicemus. Si cui placebit, vocari etiam poterunt vocabulo Latino perniciosi. Definitur autem morbus perniciosus hunc in modum; morbus venenosus est dispositio præter naturam cordis, offendens immediate, & vehementer actiones ob vim veneficam. Cæterum sat nõ est definitionem ita specialiter tradidisse, sed operæ pretium existimo, vt viuam quandam & exactam huius definitionis Anatomem faciamus: & vt primum auspicemur à dispositione, sciendum actiones corporis nostri produci ab vna anima, ita vt nulla sit in eo actio, siue naturalis, siue vitalis, siue animalis, quæ non à facultate animæ, seu ab ipsa anima efficiatur. quod autem hæc diuersas & varias actiones producat, id totum proficitur à varietate instrumentorum, ita vt dicatur & visio nem, & tactum, & nutritionem facere: propter diuersitatem instrumentorum, quibus vtitur. Cum igitur varientur actiones ob ipsa instrumenta, necessario sit, vt pro tali, & tali actione, talis, atque talis instrumentorum requiratur dispositio, quæ dicitur à Medicis, & à Philosophis interdum esse auctor ipsarum actionum: quamquam vt dixi, sit instrumentum ipsius animæ. Si igitur huiusmodi dispositio bona sit, bonas actiones facit: vel in causa est, vt anima bonas actiones faciat. si autem mala sit, in causa est, vt actiones malæ ab anima fiant: ita vt semper dicendum sit, actiones omnes ab anima fieri, quod voluit docere Gal. in lib. de trem.

& rig.

& rig. cap. 3. vbi dicebat, non esse opus muscoli mouere, sed animæ. Bona dispositio est sanitas: mala verò morbus: & hæc est res facta: terminus alterationis: & est accidens: atque in prima specie qualitatis, vt dicebat Arist. iure igitur dictum est, morbum esse dispositionem præternaturalem, seu malam dispositionem. Dicitur cordis, quoniam quemadmodum nuperrimè dicebam, proprium & principale subiectum huius morbi, est cor ipsum. Et quamquam sæpè vsu veniat, vt causa venetica lædat aliquam aliam partem, nihilominus haud verus character huius morbi est perfectus, nisi prius cor ipsum affectum sit hac dispositione, & consequenter ipsam læsionem toti corpori, aut maiori eius parti cõmunicet. Dicitur lædens immediatè, quia proprium est omnis morbi vt immediatè lædat actiones; licenim definiuit eos Gal. 2. Methodi 4. & lib. de differ. morb. actiones læsas immediatè semper sequi morbū. sicetiam ratio ipsa postulat, quia si illa dispositio, quæ sanitas dicitur est immediata causa bonarum actionū, necessarium est, vt morbus qui est contrarius sanitati sit immediata causa ipsarum læsarum actionum, nec obstat, quod Galenus interdum dixerit, præsertim 3. de Sympt. causis cap. 1. actiones lædi ab erroribus externis & non à morbo, quia illæ læsiones, de quibus ibi loquitur Galenus, non sunt veræ læsiones actionum, vt ipsemet etiam lib. 1. de Locis affec. cap. 3. copiosè dicebat, adeo vt hoc sit verissimum, morbum immediatè lædere actiones, & actiones læsas immediatè sequi morbum, alioquin nisi hoc conuerteretur, praua esset eius allata definitio. Dicitur vehementer, eò quod omnis læsio facta à veneno, vehemens semper est. Nec obijciat aliquis, quod sæpè videantur morbi venenosi latenter & blāde serpere ac offendere, quia quanto magis occulta, & placida videtur venenosorum morborum actio, tanto deteriores sunt effectus qui sequuntur, adeo vt ex ipsis effectibus perspiciatur certissime, actionem eorū vehementem esse, licet sensibus nostris & mitis & blāda

A

videatur. Dicitur postremò, ob vim veneficam: vt separantur hi morbi à febris vehementissimis & ardentibus, quæ lædunt cor vehementer immediatè, sed cum in ipsis desideretur huiusmodi vis venefica, sequitur etiam vt nullo modo mereantur huiusmodi febres appellari morbi venenosi.

Morbus venenosus sub quo genere morbi contineatur. Cap. II.



VM itaq; morbus venenosus sit citra omnium controuersiam morbus; videndum est in quo genere reponere eum debeat. Fernelius & Argenterius ingeniosissimi, & grauissimi Medici, existimarunt non posse illum sub vllò eorum morborum genere comprehendì, qui à Medicis proponuntur, & idè existimarunt aliud genus esse inueniendum, ad quod referantur venenosi, & appellarunt hoc genus, morbos totius substantiæ: modò etiam formæ: modò materiæ. nec solum hac sententia contenti fuerunt: verum etiã damnarunt veteres, & præsertim Galenum, quasi non exactè proposuerit omnia morborum genera. Cæterum quia sententia hæc refutata est à recentioribus Medicis, locus hic non postulat, vt hac de re solliciti simus: illud autem statuendum erit, auctores nostros Medicinæ, neque superuacuos, neque diminutos fuisse, in tradendis illis receptissimis tribus morborum generibus, nimirù, mala complexionè, mala compositionè, & vnitatis solutione. Vt autem hoc intelligatur, recurrendum est ad verã rerum inueniendarum normam, scilicet, ad ipsius rei naturam. Natura morborum venenosorum (vt docui in definitione) tota posita est in hoc, vt sit dispositio lædens actiones, quare quot erunt in rerum natura dispositiones, à quibus lædantur actiones, totidem morborum genera esse necessarium erit. Dispositiones vero
quoniam

quoniam sunt affectus permanentes corporum compositorum, operæpretium est videre, quot sint compositiones, circa quas fieri possint morbi, Aristot. quidem 2. de Par. animal. cap. 1. scriptum reliquit, tres eas esse in corpore nostro. Prima est quæ fit ex qualitatibus primis, scilicet elementorum. Secunda quæ fit ex ipsis elementis; & est compositio partium similarium. Tertia est compositio ex partibus similaribus, scilicet partium instrumentalium. Prima est sola ratione contemplabilis in corpore. Secunda, utputa carnis, nerui, & ossis, ab ipsis sensibus intelligitur. Tertia quoque ut manus, pedis, & similium instrumentorum, sensibus & ipsa subiecta est. Si liceret aliquid addere dogmatibus Aristot. possemus dicere, esse quoque quartam compositionem, totius corporis ex pluribus instrumentis. Sed sicuti hæc postrema ab Aristot. & alijs non est recepta; à nobis itidem omittenda est: ita quoque prima cum non sit ita sensibus subiecta, à Medicis omittitur. Superest igitur secunda saltem, & tertia, secundum quas non est dubium fieri duas dispositiones, à quibus actiones oriuntur. Vna est similarium, quæ quotiescunque integra, & sana permanet, actiones similes vocatas edit; pari pacto si hæc vitietur, actiones quoque vitiosæ redduntur. vnde oritur genus morbi, quod à Medicis simile dicitur, eò quod actiones similarium partium offendat. Est & alia compositio instrumentaria, quæ & ipsa dispositionem iunctam habet in corporibus nostris, & hæc quoque sana, & integra est, actiones instrumentales sanas reddit: vbi verò aliquo pacto violatur, efficit actiones morbosas. Vnde consequenter genus morborum instrumentariorum exoritur. Fiunt autem & actiones quædam mixtæ, scilicet ex actionibus instrumentarijs & similaribus, quæ vbi offenduntur, necesse est, ut lædantur à mixta dispositione, quæ facta sit ex partibus instrumentarijs, & similaribus. quo quidem in casu tertium oritur genus morborum, quod mixtum est ex simili & instrumentario, & solutio continui nuncupata est.

Cum itaque plures actiones his in corpore nostro minimè reperiantur, & consequenter non inueniantur alia dispositiones permanentes, necessariò sequitur, nullum aliud genus, præter hæc tria morborum genera excogitari posse. Esse autem morbos venenosos reponendos vel in genere instrumentariorum, vel in solutione continui, multum abest à ratione, & sensu, eò quia & si à venenis interdum fiant vlcera; interdum vitietur figura, magnitudo, situs, aut numerus, verumtamen hoc non est perpetuum in omnibus venenosis morbis, sed potius per accidens est, & propterea quaerendū est, aliud quidpiam quod perpetuò sit in ipsis; est autem illud, vt offendant cor ipsum, & dissoluant temperamentum & harmoniam ipsius. Quare cum hoc pertineat ad partem similem ipsius cordis, necessarium est fatei, hos morbos esse similes, & consequenter reduci debere ad genus malæ temperiei: quandoquidē temperies ipsius cordis destruitur omnino à vi venefica. Ceterū dubitabit fortassè quispiam cum varia, & diuersa sint intemperamenta, quæ morbosa cum sint, lædūt actiones corporis, quæ nam sint propter quæ morbi venenosi agunt, vtrum sit frigidum, an calidum, aut siccum, vel quippiam aliud. hic locus esset discurrendi & disputandi, quid sit temperamentum, & vtrum vnum, vel plura; vtrum vna qualitas faciat temperamentum. Sed quia longum esset, has quaestiones tractare, fat erit si hoc resolutum habebitur verum, & vltimum temperamentum, quod interdum à Galeno nomine totius substantiæ appellari solet, nihil aliud esse nisi quandā dispositionem permanentem acquisitam ex certa proportionem omnium qualitatum primarum & secundarum, quæ sicuti interdum solet agere vna, vel duabus qualitatibus manifestis: ita quoque solet huiusmodi temperamentum vitari vna, vel pluribus huiusmodi qualitatibus. ita vt statuendum sit, lædi in morbis venenosis temperamentum cordis, interdum læsa caliditate, interdum humiditate, aut siccitate, interdum

terdum læsis pluribus. Et si quidpiam est quod frequētissimè in ijs læditur, sanè calor est & humor cordis: unde dicebat Auicennas capite de venenis, & de viribus cordis, cor à venenis congelari & exsiccati, ita & (si verum est, quod credidit antiquitas) cor eorum qui venenum sumserunt cremari non possit, vt relatum est de Germanico à Suetonio & Plinio: quod propterea fieri putandum est, quia, vt dicebat Auicennas, ita induratur, & congelatur cor venenatorum, vt comburi nequeat. Erunt igitur morbi venenosi in genere similia-rium ponendi, & consequenter reducendi ad malam temperiem: cum proprium sit maximè omnium venenorum dissoluere harmoniam ipsius cordis. quo fit etiam, vt citra omnium controuersiam, constituendum sit cor pro parte verè affecta in his morbis. Sed duo occurrunt circa hanc rem magna diligentia examinanda. Vnum, an verum sit cor in his morbis esse veram & perpetuam sedem affectam. Secundum si est; propter quã rationem fiat, vt vis venefica semper cor, tamquã propriam sedem, petat. Circa primum difficultas est non contemnenda, quia Galenus i. de Compos. medic. secu. gen. cap. i. & Auicen. lib. 2. cap. de venenis, atque post hos innumeri alij, docuerunt venenum leporis marini solummodo tentare pulmones, ita vt potissimum & solum hoc veneni genus exulceret pulmones. pariter scribunt cantharides solummodo offendere veneficam: Altercum siue hyoscyamum lædere primo & principaliter cerebrum: quæ si vera sunt, vt proditum est à Scriptoribus, & experientia quotidie probatur, nõ videtur verum esse, quod perpetuo sedes affecta omnium venenorum sit principaliter cor. Pro diluèda hac grauissima difficultate, dicendum est verum esse, quod perpetuò venenum principaliter lædat cor tamquam propriam sedem: sed quia post læsionem eius, solet etiã alias partes lædere, hinc fit quod aliqua venena proprietate suæ naturæ post læsionem cordis, lædunt vnam aliquam partem, & alia aliam, & quæ sunt huiusmodi

solent effectus suos prius ostendere in parte quam secundario tentant, quam in tentata principaliter: & hinc est quod lepus marinus, (primum licet tentet cor) quia tamen statim subinde offendit pulmones, & in ipsis effectus manifestiores facit, dicatur exulcerare solos pulmones, & cantharides solam vesicam, quia scilicet non exulcerat cor, licet ipsum offendat, sed ulcerat lepus pulmones, vel solos, vel saltem ante aliam partem omnem. Sed si hoc verum est, quomodo fieri potest, ut lepus marinus, vel quispiam simile pertranseat tot partes antequam ad cor veniat, & eas prius non offendat quam cor, eo maxime quod natura tradidit ei egregiam quamdam constitutionem, ut possit tamquam pars nobilissima & necessaria euitare iniurias illatas. hæc difficultas quoniam magna, & rarissima est, multas quoque & varias habuit Scriptorum sententias: Fuerunt qui existimantur propterea cor peti directe ab ipsis venenis, quoniam instar lucis sese statim per corpus usque; ad cor propagant, ubi postmodum sua quadam natura firman- tur, & vires suas ostendunt: ad ducti sunt hi in hæc sententiam auctoritate Galeni i. de Semine cap. 16. quo in loco videtur id efficere commune omnibus venenatis inquinamentis, ut statim vis ipsorum instar radij cuiusdam sese profundat ad ipsum cor. Alij è cõuerso putarunt, propterea venenum statim cor ipsum petere, quia ab eo trahatur; sed quum trahi possit aliquid ab alia re, vel vi vacui, vel familiaritate, & similitudine naturali, non defuerunt, qui similiter putarunt trahi venenum à corde vi vacui, quia cum cor, atque arteriæ sese dilatant, ut loco fuliginum effusarum attrahant aerem externum, ratione scilicet vacui, simul attrahunt venenum extrinsecum. cui rei attestari videtur Galenus 2. Aphor. sect. Aphor. 41. ubi refert Historiam cuiusdam mulieris, quæ in balneis fuligines venenatas unâ cum aere per arterias in cor traxerat. Fuerunt etiam qui putarunt proprietate quadam cor ad sese trahere venena, sed quia sententiâ hæc copiosè refutata est à Petro Aponensi

libro

libro de venenis cap. 3. non opus est, vt ego amplius in ea laborem. illud tantum in præsentia sciendum, quòd etsi interdum venenum attrahitur à corde ratione vacui, vt attrahuntur & aliæ qualitates: verus tamen modus & ratio propter quam venena cor petunt est, quia in quacunq; corporis parte insignis vitalium spirituum copia reperitur; quibus cum venena aduersa sunt: fit vt illi hæc effugientes tamquam inimica ad cor veluti ad propriam, & tutissimã sedem sese recipiant, & illud insigniter lædant, & veneno quo ipsi sunt infecti inficiant, & coinquent. Sed aduersus hanc rationem tres obiectiones sese offerunt. Vna est, quia si spiritus vitales infecti ad cor statim percurrunt: rationi consentaneum videtur, vt priusquam illud inficiant partes inter medias contaminent, vnde fit, vt minime debeat ante alia ab ipsis violari. Altera obiectio est, quòd spiritus vitales vbi veneno facti sunt similes, potius deberent ad locum veneni confugere, quàm ad ipsum cor. Tertia & postrema est, quòd tametsi spiritus vitales venenati ad cor ferantur, multi tamen relinquuntur in parte primò affecta: quo fit, vt isti debeant prius huiusmodi partes coinquinare, quàm cor ipsum inficiatur. Respondendum est ad primum, quòd tametsi spiritus infecti pertranseant alias partes, priusquam cor attingat: tamen illæ minime ita afficiuntur à spiritibus currentibus & transeuntibus, quemadmodum afficitur cor à spiritibus in ipso firmatis: illud si quidem experientia & natura comparatum est, vt omne agens, dum in termino est, dum firmum est, fortius, & efficacius agat, quàm dum in transitu est, & motu. Ad secundam autem obiectionem dicendum, & si spiritus vitales infecti sint similes veneno: tamen multò maior similitudo ipsis intercedit cum corde, à quo tamquam à principio procedunt, quàm ipsis venenis. Ad tertiam autem dicendum, spiritus vitales relictos in parte venenata, lædere quidem illam, veruntamen multò grauiorem esse, maioremque læsionem ipsius cordis, quam

doquidem vt dicebat Aristoteles in libro de Com. Animal. mot. quilibet motus & error factus in principio maximum quid est in virtute: exemplo remonis naui, in quo quilibet minimus error, grauis est toti naui. Sit ergo hoc constitutum, venena propterea petere directe cor: quia cum sint spiritibus vitalibus inimicissima, illi infecti subito percurrunt ad cor, & illud inficiunt; ita vt iure & merito cor pro loco affecto in morbis venenosis statuendum sit.

De causis morborum venenosorum.

Cap. III.

AVSSA horum morborum nulla alia est, nisi vis venefica, quæ cum actus quidam sit, necessarium est, vt in aliquo corpore posita sit, ita vt ex hac vi venefica & ex corpore ipsi subiecto efficiatur mistum, quod venenum nuncupatur. Atque hoc est, quod voluit significare Plato in de Legibus, vbi cū de veneficijs tractaturus esset, scripsit aliud genus venenorum esse, quod corporibus corpora offendit; aliud verò quod incantationibus, figuris, & alijs huiusmodi lædit. Quoniam autem huc peruenimus, vt venenosorum morborum causas esse venena inuenerimus, operæpretium est gradum in hoc loco sistere, & diligenter examinare vniuersam venenorum naturam, in qua pro meis viribus studebo, vt pauca omnino desiderentur, & vt multa (quæ forsitan apud alios inuenire non licet) adferam. Sunt autem quæ à nobis de venenis tractari oportet hæc. Quæ sint nomina ipsorum, tum apud Græcos, tum apud Latinos: deinceps quæ sit vera definitio, & vera natura, tum quæ sint causæ, & quæ differentiæ. adhæc tractandum de signis morborum venenosorum, & propterea de signis venenorum: mox ratio præseruandi ab his, & venenis, necnō curatio ipsa exactissime tradenda. Sed cū nobis vsq; ad eò grauis & insignis tractatio, pposita sit.
illud

illud antè cætera discutiendum est; Vtrum ad Medicum pertineat tractare de venenis. nam Hippocrates in iuramento quod omnibus Medicis seruandum proposuit, ante alia omnia sanxit se neque venena proponaturum, nec consequenter alios docturum esse huiusmodi tractationem. præterea lex fuit antiquissima Platonis II. de Republ. quam etiam posteriores Legulatores obseruarunt, vt nulli liceat ea administrare, nec docere venena. Galenus etiam libro secundo de Antid. cap. 7. damnauit Horum Mendesium, Orpheum Theologum cognominatum, Heliodorum Atheniensem poetam, Aratum & alios Auctores celeberrimos, quod & docuerint, & scriptis tradiderint rationem componendorum venenorum; vt his rationibus & auctoritatibus minimè videatur medico licere de illis vilo pacto tractare. Ex altera parte Erasistrat⁹ magni nominis Medicus, vt est apud Dioscoridem, capite de Basilisco, tractationem de venenis copiosissimam habuit; quinimo Galen. 6. in 6. Epid. cap. 5. monstrat sese de proprietatibus secundum totam substantiam commentarium ædidisse, in quo minimè dubitandum, quin copiosissimè de venenis scripserit; eò maximè quod Rases libro 20. sui contin. cap. 2. testatur se librum Galeni de venenis vidisse. Postremò si verum est, venena esse res naturales, vt suo loco dicitur, res autem non naturales eius conditionis sunt, vt & ad salutem & ad perniciem administrari queant; fit vt minimè impium videatur de iis tractare: eò maximè quod Hippocrates plerisque in locis vtitur cantharidibus, quæ venena sunt. Multa etiam sunt animalia, quæ venenis nutriuntur, vt relatum est de mure quodam, qui nutritur napello. Cicuta dicebat Lucreti⁹ barbigeras pecudes nutiri. hac eadem dicit Plinius nutiri capras, & Galen. sturnos: quinimo (vt suo loco dicam) pleraque venena sunt, quæ maximè iuuant venenato corpori, vt si sint ancipitis nature, ita vt & bonum & malum præstare possint, minimè videatur à ratione, & à Medici munere alienū, de ipsis

tractare. Hac in re dicendum est, de venenis à Medico posse duo tractari, vel naturam scilicet vel usum: de natura rursus potest Medicus tractare, vel de ea, quæ singulis cognita est, vel de ea quæ incognita & secreta habetur. De usu pariter venenorum, qui positus est, tum in ratione componendi, tum in tempore exhibendi, tum in quantitate, tum in modo, potest tractare, vel ratione salutis, vel ratione damni, & perniciæ. De natura autem eorum singulis cognita, si Medicus tractet, minimè rem aut iniustam, aut inhonestam faciet: quia cum sint à Deo & à natura creata, vires & naturas ipsorum docere, haud inconueniens est: eò maximè quia ad salutem hominis pertinet, vt huiusmodi natura cognoscatur, quo possit cauari. Sed de natura eorum venenorum, quæ arcana sunt, & vel ab omnibus vel à plerisque ignorantur, minime medico tractandum esse videtur. Et hoc est quod dicebat Galenus in lib. de purg. med. cum qui repererat herbam attrahentem sanguinem fuisse ductum ad supplicium oculis velatis, ne intrinere aliquem doceret eam humano generi vsque adeo perniciosam: quanquam sim admodum incertus an huiusmodi herba reperiri possit, quemadmodum aliàs disputauit. eò quia Galenus scribit, se dum puer esset, huiusmodi historiam audiuisse: & Mesues in Canonibus vniuersalibus, conatus est pluribus rationibus demonstrare, huiusmodi herbam, quæ sanguinem ducat, reperiri nulla ratione posse. Circa usum verò venenorum ita Medicus se debet gerere, vt nūquam ad perniciem vllius, vel tractet illum, vel doceat: gratia verò salutis & potest, & debet Medicus ipsum docere; quare mihi videtur reprehendendus Theophrastus qui libro 9. de hist. plant. 17. docuit modum, quo Chij populi cutam parabant, vt citò interimeret. Sic etiā iure damnauit Galenus eos Auctores, qui docuerunt compositionem venenorum in perniciem hominum; & si forsitan & ipsi excusationem aliquam suo factò prætenderent: sic fortasse posset aliquis vitio vertere Platoni, qui

in

in calce Phœdonis, dum mortem Socratis narraret, docuit modum quo vsi sunt Satellites, vt cicuta citò interimeret sanctissimum hominem. Quare iam videri potest, nos quoque excusatione dignos esse, quod institutum nostrum sit venenorum naturas cognitas & vulgares tradere, simulque vsum ipsorum non ad perniciem, sed ad salutem docere, simulque demonstrare, qua ratione liceat eorum omnia damna euitare.

De nominibus veneni. Cap. IIII.

VOD appellant Latini venenum, solent Græci Scriptores nuncupare pharmacum. Et sicuti apud nos hoc nomen multa significat: sic quoque & apud Græcos. significat enim modò purgans medicamentum, modò lethale, modò colorem, modò incantationem, totque etiam significare pharmacum apud Græcos perspectum est illis, qui in commētariis eorum versantur. Sed quia talia significata ad medicos minimè pertinent, statuiamus venenum, de quo nobis tractandum est, significare medicamentum mortale. Medicamentum autem hunc in modum acceptum apud Græcos tam Philosophos, quàm Medicos variis modis nuncupari solet. Hippoc. sanè 6. Epid. Commen. 6. text. vocat κενόουρον, in iuramento appellat πανάσιμον, Theophrastus verò Dioscorides, & Galenus appellarunt venenum modò φάρμακον φθορόπιον, modò πανάσιμον, modò δηλητηριον, Aristotel. 1. Problem. 46. appellauit φάρμακον πανάσιμον. Quibus Græcorum vocibus totidem ferè Latinorum respondent: nam interdum appellant malefica venena; interdum lethalia; interdum corruptoria: sæpè etiam deleteria. Galen. loco citato sermonem habes de proprietatibus à tota substantia, scribit ea quatuor generibus contineri, alimentis, medicamentis, purgantibus, maleficis, & horum remediis. Malefica rursum scribit duum esse generum, alia appellata deleteria: alia

quæ virus eiaculantur. sicque remedia duum esse generum. alia quæ respiciunt deleteria, & vocantur alexipharmaca: alia vero quæ vius eiaculantia, & theriaca appellantur. de quibus præclarissimè scripsit Nicander. posthæc declarat Galenus quæ sit differentia inter *ἰναισιμῶν*, seu lethalia & deleteria, scribit veteres Medic. nuncupasse medicamenta *ἰναισιμῶν*, seu lethalia, quæ inferunt quidem mortem, sed iuuare etiam possunt: deleteria verò ea appellari, quæ neque sanos, neque ægros iuuare possunt. Sed circa hunc Galeni discursum tres oriuntur non contemnendæ difficultates. Prima est, quia ipsemet Galenus libro 6. de comp. Medic. per genera capite primo, scribit deleteria esse veluti speciem ipsorum *ἰναισιμῶν*, id est lethaliū, ita vt omne quidem deleterium sit *ἰναισιμῶν*, seu lethale: non autem e conuerso omne lethale sit deleterium; quæ sententia planè videtur cōtraria, aut saltem diuersa ab eo, vt nuper attuli. Altera difficultas, quia idem Galenus secundo de Rat. vīctus acut. text. 12. de deleteriis sermonem faciens, scribit ea interdum vtilitatem præstare, veluti est Hyoscyamus, Mandragora; nam tertio libro de simplic. medic. cap. 18. appellauit hæc medicamenta deleteria, vt manifesta videatur contradictio, quia hic scribit deleteria quandoque prodesse, 6. autem Epid. loco citato dicit deleteria, neque sanos, neque ægros iuuare. Tertia difficultas est, quoniam Galenus loco illo sexto Epid. tradens exemplum deleteriorum, quæ nunquam iuuant. adnumerat leporem marinum, hydrargyrum, seu argentum viuum, & aconitum. Cæterum Plinius lib. 27. cap. 2. scribit Aconitum maximè prodesse homini aduersus complura venena, & de Argento viuo habetur apud Ausonium manifesta historia illius scelestæ mulieris, quæ cum vellet enecare maritum, dedit ei primum toxicum, quod cum mortem tardaret, vt eam acceleraret dedit argentum viuum, sed quod illa putabat mortem acceleraturum, vitæ potius misero illi marito auctor extitit: quandoquidem argentum viuum fuit
veluti

veluti remedium toxici. Ut his difficultatibus sigillatim satisfiat. primæ quidem hunc in modum respondendum iudico, hoc nomen *ἰυβάριον*, seu lethale, quemadmodum colligitur ex Gal. 3. de temper. 4. dupliciter accipi solere, vno modo communiter, prout complectitur etiam deleteria: alio modo peculiariter, seu proprie, prout scilicet contra distinguitur ipsi deleterio. quando igitur Galen. in 1. cap. 6. lib. de comp. medic. per gen. ita loquutus est *ἰυβάριον* non proprie, sed communiter accepit: quemadmodum 6. lib. Epidem. accepit hoc nomen non communiter, sed proprie. Pro secunda difficultate sciendum est, deleterium in Galeni doctrina duplex esse, quemadmodum colligi potest ex vigesimo secundo capite, libro tertio de simpl. med. vnum genus deleterij est, quod à tota sui substantia corrumpit: Aliud autem, quod potius ratione quantitatis, quam tota substantia interimit. atque istud adhuc duplex est; vnum quod vincit semper & nunquam alteratur, cuiusmodi est opium, id est succus papauis: alterum quod etsi vincat, tamen aliquantisper etiam alteratur à nostro corpore, & hoc vel est calidum, vt euphorbium, vel frigidum vt hyoscyamus, mandragora. Hoc ita constituto respondendum, quando Galen. 2. de acut. 12. scribit deleteria interdum iuuare, loquitur de deleteriis non à tota substantia, sed de illis, quæ opus habent quantitate, & quæ licet vincant, aliquantisper tamen alterantur; vbi verò in sexto Epid. scribit. Deleteria neque sanos, neque ægros iuuare, loquitur de deleteriis à tota substantia; quippe quæ certissimum est naturæ nostræ ita aduersari, vt nullam utilitatem præstare possint. Quid vero dicemus ad tertiam verum profecto, immo verissimum est, neque argemum viuum, neque aconitum vnquam prodesse, nec sanis hominibus, nec ægris simpliciter, sed si quando iuuat, id contingit quotiescunque aliud venenum est in corpore, quod sit ipsi aconito, vel ipsi hydrargiro inimicum: tunc enim vt præclarissimè dixit Plinius, duo

venena inimica in corpore inter sese pugnant, ut homo feruetur; quapropter verissimum est, huiusmodi venena conferre homini per accidens, hoc est quando contingit in ipso esse aliud quodpiam sibi inimicum. Atque hæc circa nomen veneni considerare sufficiat.

De definitione veneni. Cap. V.

CCEDAMVS ad indagandam definitionem: solent Medici nostri & præsertim Galenus venari definitiones rerum à communibus hominū notionibus: quemadmodum fecit 2. Meth. quando indagare voluit morbi definitionem, homines autem consueuerunt appellare venena res illas, quæ irremediabiliter interimant homines, & bruta, causa ignorata: quam communem rationem cum sequeretur diligentissimus Auicennas libro secundo tractatu primo capite de venenis, dixit venena esse medicinam naturæ humanæ contrariam, non secundum contrarietatem, sed secundum proprietatem. & Galenus pariter 3. de temper. 4. dixit alimentum illud esse quod superatur à natura: venenum verò quod superat & vincit. Cæterum nos hunc in modum definiendum esse putamus, ut sit mistum non naturale, cordi inimicum, & humanæ naturæ corruptiuum. est quidem mistum, quoniam, ut in præcedentibus dixi, venenum nihil aliud est, nisi vis quædam effetrax venefica in corpore aliquo posita. nam cum sit dogma Philosophorū, actiones esse compositorū, & à venenis euidentissime prodeant actiones, necessum est fateri, venenum esse mistum quoddam, & consequenter esse in prædicamento substantiæ; quò fit ut vehementer alucinati sint illi, qui putarunt, venenum accidens esse, & in prædicamento qualitatis; siquidem cum venenum, & alimentum contraria sint, & contraria sub vno genere cõtineantur, sicuti alimentum in prædicamento substantiæ est, haud secus videtur debere in eodem

dem collocari venenum. præterea quæ ineptia fuisset Galeni, appellare venenum, medicinam à tota substantiâ nobis contrariam (vt fecit 2. de acur. 12. 3. de temper. 46. in. 6. Epid. 5. & alibi) si qualitas esset. Postremo ea est natura accidentium, vt possint adesse, & abesse citra subiecti corruptionem: quod quidem in venenis nunquã vsu venit, vt sit omninò constituendum, venenum esse substantiam, & eos fefellisse, qui putarunt ipsum esse qualitatem. Sed dicit quis, quo modo venenum possit esse substantia; nam substantia nulli contrariatur. substantia non suscipit magis, & minus. Venena verò sunt contraria & venenis, & aconitum scorpionis hydrargirũ toxico, & alimentis &c. præterea suscipiunt magis & minus, quia aliqua sunt magis venena, aliqua minus. item si attendatur venenum canis rabidi, & scorpionis, videtur vtrumque pura esse qualitas, vt est exemplum apud Galenum illius, in quo à pede aura venenata attollebatur in caput, & epilepsiam faciebat. Respondeo breuiter, vt respondet Simplicius in antè predicamentis, scilicet substantiam posse dupliciter considerari. Vel secundum se solam, vel secundum differentias, & qualitates quæ sibi copulantur. Si primo modo consideretur, proculdubio nihil sibi est contrarium: nec suscipit magis, vel minus. Sed si consideretur secundo modo, planè & contrarium habet, & consequenter suscipit magis & minus, eò quia sibi coniunctæ sunt differentia & qualitates, quæ habent contraria; & quæ possunt intendi & remitti. Ad postremum autem respondendum & venenum scorpionis, & venenum canis rabidi, esse omnino rem mistam; illud benè verum est, corpus hoc exiguum admodum esse, & ita exiguum vt videatur effugere sensus nostros; quod voluit nobis significare Galenus, quando sexto de Locis affectis capite quinto, sermonem habens de veneno, scorpionis dicebat huiusmodi venenum illud, mole quidem pusillum: vi autem & potestate maximum esse. quod etiam dicendum est de aura illa venenata, quæ

ascendebat à pede, quæque nihil aliud erat, nisi corpus vaporosum, tenuissimum, mole quidem exiguum: sed viribus & facultate potentissimum. Dixi venenum esse mistum non naturale: quandoquidem Auicenna. 2. primi tract. 2. cap. de illis quæ eduntur & bibuntur, adnumerat venena inter res, seu causas non naturales vocatas; nam res naturales ille appellantur, quæ semper bonæ sunt. Præternaturales verò vocantur illæ: quæ semper sunt malæ, vt morbi & causæ morbosæ, inter has constitutus ordo aliarum rerum, quæ modò sunt bonæ, modò malæ, & collocantur ab Auicenna & aliis etiam venena, quia interdum iuuant. Neque ab hac sententia desectendum iccirco, quòd omnia venena fiant à natura, quin etiam aer est corpus naturale, etiam cibi, & tamen passim vocantur à Medicis res non naturales. Dicitur cordi inimicum, quia (vt dicebat Mesues) venena omnia cor tanquam peculiarem scopum perunt; quod optimè probabat Petrus Aponensis in libro suo de venenis: quia statim ac aliquis iis percussus est, modò palpitationes, modò syncopen, modò cordis debilitatem protinus incurrit. & hæc in re manifestissima apparet differentia inter venena & medicamenta purgãtia, quia sicuti hæc cor principaliter offendunt; sic illa os ventriculi statim labe factat. Quare Galenus & Hippocrates præceperunt, vt purgãtibz medicamentis semper misceantur odorata, ne scilicet os ventriculi ab ipsis violetur: Quanquam est & alia differentia inter medicamenta purgãtia & venena proposita nobis ab Aristot. Problem. 48. vbi scribit summus ille Philosophus medicamenta purgãtia omnia esse amara, & sædi ac tetri odoris, nec interimere, nisi sumta in magna quantitate: contra autem venena necare etiam in minima quantitate: de qua re paulò post plura dicam. Dicitur postremo humanæ naturæ corruptibile, cuius conditionis, vt exacta notitia habeatur, expendenda est vnaquæque vox: nam apposita est hæc vox humanæ. quoniam & si medicina possit etiam versari circa valetudinem

nem brutorum: peculiare tamen munus illius est, circa corpus humanum versari; etsi vero, multa reperiantur venena, quæ interimunt æquæ & bruta & homines: sunt tamen & aliqua quæ sola bruta, vel solos homines interimere solent. nam salua humana venenum est multis infectis: homini tamen non est venenum, sicut homini venenum est: non tamen sturnis aut capris. Narrat etiam celeberrimus auctor, Sextus Empiricus i. Hypotheseon Empiricarum, fues seu porcos nutrire hyoscyamo, & mandragora, quæ sunt hominibus venena; scribit etiam hirundines ali cantharidibus, quas pro venenis habemus, ut cum hæc sit inter venena varietas, iure apponendum sit humanæ, quasi sermo noster sit de iis duntaxat, quæ homines interimere possunt. Dictum est naturæ, tum quia sic & Galenus & Auicennas sunt locuti; tum quia ratio ipsa ostendit naturam omnem hominis everti ab ipsis venenis. nam cum natura, ut docuit Aristoteles secundo Phycorum complectatur materiam, formam, & compositum: si expendamus materiam humani corporis, erit humor, spiritus, & membra solida, hæc autem omnino à venenis corrumpi, & everti solent. Si etiam expendamus formam, siue formam capiamus pro temperamento, siue pro quopiam alio diuerso à temperatura, non est dubitandum huiusmodi formam, siue sit substantialis, siue accidentalis ab ipsis interimi, & corrumpi. Dictum est postremo corruptiuum, eò quia quodcunque venenum sit siue externum, siue internum suapte natura aptum est humanam naturam corrumpere; vnde nugæ sunt eorum, qui diuiserunt illud in lethale, & non lethale, quia quodlibet venenum semper interimit, vel saltem suapte natura natum, & aptum est corrumpere; id quod voluit intelligere Auicennas lib. 2. tract. 1. cap. 4. quando scripsit venena esse medicinam, quæ corrumpit, seu apta est corrumpere temperaturam humanam. Et quanquam omne venenum suapte natura evertat, & corrumpat humanam naturam; differentia tamen

B

est non exigua, quia aliqua quidem nunquam interimunt, etiamsi habeant potentiam interimendi: aliqua verò interimunt, sed aut tardius, aut citius.

De causis propter quas aliqua venena non interimant. Cap. VI.

AVSSAE autem, propter quas aliqua venena non interimunt, complures esse possunt. Prima est proprietas individualis; nam sunt aliqui à natura adeo egregie constituti, ut arcana quadam ratione ab iis non offendantur. Scribit Sextus Empiricus loco citato, fuisse anum quendam, quæ triginta drachmas cicuta sorbebat sine ulla læsione. Similiter Lyfidem quendam fuisse, qui drachmas quatuor opij sine læsione edebat. Athenagoras argiuus à scorpionibus nunquam lædebatur. Addam & illud Aethiopas habitatores Hidaspis fluij impunè vesci solere & scorpionibus, & serpentibus, quod quidem aliunde proficisci non potest, quam ex insigni quadam corporis constitutione secreta & diuina. Alia ratio propter quam non semper corrumpant, & interimant venena, est, quia corpus quod capit venenum antea ita præparatum est, ut acquisierit vel facultatem corruptiuam veneni, vel sanè illi familiarem. sic Rex Mythridates à venenis non offendebatur, quod corpus eius assiduo Mythridaticæ confectionis usu, ita erat munitum: ut haberet in sese vim eorum corruptricem. sic (si verum est) puella illa nutrita napello non offendebatur, quod similitudinem quandam cum napello contraxisset. de qua re tamen, cum dubia sit, suo loco diligenter disputabo. Tertia causa est, aut quia venena prius è corpore eiciuntur, quàm petant eor; aut quia vel cibus, aut potibus in corpore ita inuoluntur, ut eorum vis, aut penitus suffocetur, aut maxima ex parte frangatur. Postrema est, quia non capiuntur in ea copia, aut quantitate, in qua capi deberent; nam

nam scriptum est à Galeno 3. de simplic. medic. cap. 23. medicamenta omnia siue sint lethalia, siue purgatoria; etiã si sint efficacissima; tamen opus habere certa mensura ad hoc, vt possint suas operationes exercere. Sic enim dicebat ille centesimam partem scintille ignis nihil facere, quia non est ea mensura, qua possit vis ignis efficacissime operari. Sed cõtra hoc videtur difficultas, primum, quia vt dicebat Aristoteles loco citato, venena illud habent peculiare, vt etiam in minima quantitate possint operari, & Petrus Aponensis in fine capituli libro primo de venenis, dicebat tantam esse eorum agendi potestatem, vt etiam in insensibili mensura homines interimant; & præter hæc sunt etiam complura testimonia, quæ ostendunt, venena in minima quantitate operari. nam Ioannes ille Leo, qui descripsit Aphricam in fine libri septimi rem miram narrat, quæ digna scitu est, scilicet in Nubia reperiri quoddam veneni genus, cuius si granum vnum propinetur decent hominibus, omnes statim iugulare spatio quartæ partis horæ; sin autem tradatur vni homini, illum statim interimere; vt his exemplis & ab auctoritate intelligi possit, non esse necessarium, vt mensura vlla definjatur pro ipsis venenis; secus, quam videtur dixisse Galenus. Respondendum est, omne agens quodcunque illud sit, opus habere, vt dicebat Galenus, certa aliqua sui instrumenti quantitate, infra quam non possit operari; quia si id videtur manifestum in igne omnium potentissimo agente, multò magis existimandum est, necessarium esse in aliis corporibus. Illud quidem verum est, sicuti varia est efficacia venenorum; sic quoq; variã esse mensurã; quia in aliquibus necessaria est paulò maior; in aliquibus vero requiritur multò maior; vt videre est apud plurimos Scriptores, præsertim verò a quodam Arnaldum Villanouanum in libro de venenis, vbi docet quã mensura vnumquodque venenum possit interimere, & sicuti hæc varietas conspicitur in agendo in ipsis; ita quoque non minor diuersitas apparet in tarda, vel celeri

operatione. igitur & de hac aliquid dicendum.

*De causis cur aliqua venena citò, aliqua
tardè interimant. Cap. VII.*



AVSSAE cur venena aliqua citò, aliqua tardè interficiant, complures esse possunt. Prima est natura, & vis efficacissima veneni: propter hoc enim solebat dicere Auicennas, ea venena, quæ agunt proprietate, citius interimere, quàm ea quæ agunt manifesta qualitate, propterea quod proprietas est efficacissima potentia, & consequenter celerrima in operando: est autem proprietas huius naturæ, quia sicuti qualitas contrariatur qualitati; sic proprietas contrariatur formæ specificæ & substantiali, propter hoc proprietas citius interimit, quia petit & euertit formam substantialem. Huius naturæ est venenum illud apud Aethiopes ante recensitum: simile item illud, quod scribit Aristoteles in libro de mirabil. auscult. natum in monte Ciræo statim homines interimere. Non præteribo etiam quod scribit Nicolaus Florentinus seim. 4. tract. 3. summa secunda capite nono, & tract. 4. capite sexto, scilicet Franciscum Ordolphum Capitaneum Foroliuij patriæ meæ, genus veneni habuisse, quod iniectum supra carbones, illicò interimebat omnes circumstantes. Itaque prior ratio propter quam aliqua venena citò, aliqua tardè interimant; est natura & proprietas ipsius veneni. Secunda ratio est dispositio & proprietas corporum; siquidem vbi corpus corde imbecillo est, citissime iugulari solet à veneno. pariter corpora calida citius necantur ab eo, quia cum habeant vias & meatus amplos, citissime vis venenorum penetrat in cor, & consequenter vitam tollit; ex aduerso autem quicunque sunt robusto corde, difficilius, & tardius vincuntur. Similiter qui corpora densa & frigida habent, ferrius superantur à venenis, eò quod cum habeant venas
& mea-

& meatus angustos, minimè possunt illa citò in cor penetrare. Et hæc est ratio propter quam Galenus tertio de Simplicibus medicamentis decimo octavo dixit, sturnos à cicuta non interimi, quemadmodum homines: quia sicuti homo meatus latos & patentes habet: ita sturni venis angustissimis sunt, ita ut vel non possit in cor penetrare venenum cicutæ, vel si penetret, non nisi fractum & magnopere diminutum accedat. quamquam Auicennas sexto quarti tractatu primo capite secundo, huiusmodi Galeni rationem non admodum probasse visus est. Tertia ratio est, mensura ipsius veneni assumti, illud enim apud omnes Philosophos communissimum est, in maiori quâritate semper maiorem vim positam esse: & ubi vis maior est, necessariò quoque adesse celeritatem ipsius operationis, ut propterea qui plus veneni sumunt, necessariò quoque citius interimantur. Quarta ratio est tempus. nam scribit Theophrastus libro nono de historia plantarum capite decimo quinto, magnum discrimen esse in venenis colligendis scilicet quo unumquodque tempore colligatur, quia æstate collecta magis operantur, quàm vernali tempore: & hoc fortasse spectarunt antiqui medici, quando in componenda sacratissima illa antidoto Theriaca, præceperunt ne viperæ tempore æstiuo capiantur, quòd tunc ipsarum venenum multò sit immanius, & efficacius. Similiter quoque non parum refert, an tempore ieiunij, an tempore cibi sumatur venenum, quia multò citius operatur in corpore ieiuno, quàm in saturo; non solum quia liberius per corpus vacuum discurret, quàm per plenum; verum etiam quia membra corporis ieiuni multò vehementius illud attrahunt. Quinta & postrema ratio est, modus componendi. nam Theophrastus libro citato capite decimo septimo, postquam improbauit modum, quo Chij populi componebant venenum cicutæ, ipse alium attulit, quem scribit potentissimum esse ad subitam mortem inferendam; sic etiam relatum est de Locusta illa sceleratissima formi-

na, quæ cum venenum Britannico ministraret iussu Neronis, vt celerius operaretur illud magis coxit, quod certissimum sit inter alias causas, ob quas venena citò interimunt, potissimum esse modum componendi. Sed hoc loco solet à plerisque dubitari. Vtrum componi possint; ita vt certo quodam & determinato tempore interimant. nam Theophrastus auctor grauissimus libro nono de historia plantarum, cap. de aconito scribit, illud ita parari solitum fuisse, vt interimeret, modò spatio mēsis, modò spatio bimestri, trimestri; modò etiam per annum. vt hac vna auctoritate sibi quis persuadere possit, venenum ita posse parari, vt tempore determinato interimat. Adhæc Galenus in libro de partibus artis Medicæ; (qui liber & si sit collocatus inter spurios: est tamen Galeno dignus) capite quinto scribit, dispositionem quandam neutralitatis reperiri in corporibus, quæ opus habent præuisoria Medici operatione; atque hanc esse dicit, quando homines in eo stata sunt, vt habeant aliquam intemperiem in corde, sed nondum habeant sensibiliter læsas actiones, & huius dispositionis adferens exemplum inquit, tales esse, qui venenum rabidi canis intus habent, vel quia aliud in corpore gerunt, quod tempore determinato operetur; ex quo loco clarissimè apparet Galenum, vel alium eius libri auctorem voluisse, posse inueniri venenum quod tempore determinato interimat. haud secus Avicennas sexto quarti, loco citato de putrefacientibus venenis sermonem habens, scribit ea tempore determinato effectus producere. Sed si licet huiusmodi rem exemplo comprobare, est apud Aulum Gelium historia Attilii illius reguli, qui cum missus esset Romam à Carthaginiensibus, vt pacem componeret, dixit illis, se se accepisse venenum à Carthaginiensibus, quod ipsum determinato tempore occideret. Vt his omnibus videatur iudicandum reperiri venenum quod certo tempore interimat. Sed ex altera parte sunt rationes non ignobiles, quæ demonstrare videntur, quod huiusmodi non

non reperianrur. Prima est, quia venenum si vnquam interimere debet, opus est, vt habeat vim & cordi inimicam, & naturæ humanæ corruptinam. huiusmodi autem vis insignis est, & propterea vbi in corpore viget, aut statim nocet, aut ita frāgetur, vt in posterum etiam necare non possit. Alia ratio est, quia actiones, quæ tempore determinato præfinitur, necessario prodeunt à facultate, quæ operatur cum discursu & iudicio: nam agere & perficere potius in hoc, quàm in illo tempore, non videtur esse opus alterius quàm facultatis deliberantis, & discurrentis. vnde bruta carere etiam videnter huiusmodi temporis discrimine, propterea quod carent & discursu, & discursus deliberatione. atqui certum est in venenis nullam reperiri posse huiusmodi facultatem; iccirco nō videtur etiam rationi consentaneum, vt determinato quodam tempore venena operentur. Postremò si aliqua huiusmodi venena reperirētur, æquū esset, vt aliqua pharmaca quoque reperirētur, quæ possint certo aliquo tempore operari, & magis hoc deberet in purgantibus, quia vis ipsorum non vsque adeò potens, non adeò efficax & ferax est, vt venenorum. At nullum huiusmodi medicamentum reperire est; immò comparans quandoque Galenus euacuationem per sanguinis missionem, euacuationi per pharmaca, dicebat illam præstare huic, quod in potestate Medici sit positum, & quantumcunque, & quodocunque extrahere sanguinem, vbi autem semel medicamentum corpus fuerit ingressum, non esse amplius in potestate Medici, vel accelerare, vel tardare, vel augere, aut minuere illius actionē: sed necessarium esse, vt id totum cuidam fortunæ beneficio relinquatur. His itaque rationibus probari posse videtur, nequaquam dari posse venena, quæ determinato tempore interimant. In hac difficultate quam video à plebisque tractatam, dicam quod sentio. parare venenum aliquod, quod possit aut celerius, aut paulò tardius operari, est quidem in arte Medica positum; quando-

quidem videmus etiam venenum canis rabidi, interdum statim occidere, interdum serius, interdum vero tardissimè. Sed quod parari possit venenum, quod vel decima die, vel vigesima, vel mensis spatio, vel quopiam dierum determinato numero occidat; ego certo fabulas esse puto. Et quanquam Theophrastus & auctor illius libri secus docuisse videantur; tamen Avicennas dixit venena putrefacientia in tempore, id est, non statim interimere; non autem quod certo temporis spatio id faciant. Et quod ait Theophrastus nisi id ipse dixerit secundum sententiam vulgi, aut posuerit definitum tempus pro indefinito, ego sanè quomodo illius auctoritatem seruem, videre non possum. Patet igitur quomodo iure in definitione posita sit, particula illa corruptiua, & quomodo intelligenda sit. Superest ut modo videamus, quæ nam sit illa vis propter quam venena & occidunt & citò occidunt; deinde videndum erit quis nã sit modus illè quo interimant. Et quia venenorum aliqua sunt, quæ à viuèntibus animalibus iniiciuntur: aliqua verò quæ nihil viui habent, quærendum erit quomodo hæc, ubi administrantur, in corpore ad actum reducantur. Nam de illis quæ eiaculantur ab animalibus non est speculatio: quandoquidem illa non egent vlla actuatione. sed tantum disputatio est de illis, quæ siue sint naturalia, siue artificialia, administrantur siue interius, siue exterius.

De vi qua venena interimunt.

Cap. VIII.



UAE sit vis illa qua venena naturã nostrã euertunt, inuenio discordes Medic. auctores. nonnulli existimant venena non alia facultate operari, nisi temperatura, aut primis qualitatib. atq; isti fuerunt omnes illi, qui opinati sunt, nullam aliam formam, naturã, aut animã in corporibus nostris esse, nisi temperaturam elementorum. Sed quanquã & Alex. Aphrodisæus, & pleriq; alij hanc senten

sententiam sunt secuti: à veritate tamen longè aberrarunt. siquidem si nulla alia anima, nulla alia vis reperiretur, nisi temperatura elementorum; cum qualitates sint accidentia (vt Aristot. plerisque in locis docet) necessarium esset animam omnem, naturam nostram accidens esse, quod tamen absurdum est. Sed huiusmodi quaestiones, neque ad hunc locum, neque ad hanc tractationem pertinent. Ex altera parte fuerunt, qui vim venenorum corruptricem existimarunt incognitam, & arcanam esse. Sed & hi, & priores, vt optimè dixit Auic. lib. de Viribus cordis, tract. 1. cap. 10. Hi inquam omnes vulgares homines sunt, eò quod sese attollere ad causas indagandas non possunt. Cæterum Galenus & Auicennas huiusmodi vim diuersis nominibus appellare visi sunt, interdum enim vocarunt totam substantiam: interdum formam substantialem: nonnunquam formam specificam: sæpè totam speciem: sæpissimè proprietatem. Sed quid per hæc nomina, & per naturam venenorum intellexerit Galenus & Auicennas non cõueniunt scriptores Medici. Auerroes libro de Theoriaca, 2. cap. & 5. collectan. cap. vigesimo quinto existimauit totam speciem, seu proprietatem, vel naturam, formamve substantialem, nihil aliud esse, nisi proportionem, vel porportionatam elementorum mixture; quæ cum plerumque sit nobis ignota, non est mirum, si eam modò occultam proprietatem: modò naturam secretam vocemus. Petrus Aponensis libro suo de venenis declarans & ipse, quæ sit hæc specifica proprietas, dixit eam nihil aliud esse, nisi meritum mixture elementorum rebus ipsis donatum à superiori siderum influenza. quam etiam sententiam profiteretur sese accepisse ab Auicenna libro illo de viribus cordis, loco citato. Hanc Petri Aponensis sententiam plerique recentiorum sectati sunt: & inter alios Fernelius, qui Diuinis causis multum tribuere delectatus est. Cæterum luculentissimè omnium Auicennas secundo primi. Doct. secund. capite 15. de illis quæ eduntur, & bibuntur

explanauit, huiusmodi formam substantialem, seu specificam: vt etiam libro illo de viribus cordis, multa nobis proposuit, ex quibus clarissimè colligere licet, quæ fuerit ipsius sententia de hac natura venenorum, quam appellamus proprietatem specificam. primum enim quod Auicennas dixit, est, huiusmodi formam, seu proprietatem nihil aliud esse, nisi naturam: ita vt differat natura à proprietate, vt differit commune à proprio. & sicuti natura communiter accepta est principium motus & quietis: sic proprietates, inquit Auic. est quoddam principium motus & quietis proprium & peculiare in vnaquaque specie. alterum quod docet Auicenn. locis citatis, est, huiusmodi naturam nequaquam esse temperaturam, neque esse vnâ, vel plures qualitates, aut separatim, aut iunctim acceptas: sed esse quandam aliam formam, seu virtutem substantialem, quæ acquiritur in ipso misto ex dispositione præuia ipsius temperaturæ. ita vt temperatura & qualitates elementorum dupliciter inferuiant huic formæ. Vno modo ad disponendam materiam vt eam recipiant. Alio modo formæ, vt ea vtatur, & seipsa, & qualitatibus tamquam propriis instrumentis ad operandum. Tertio dicit Auicennas, huiusmodi formam, & proprietatem minimè cognosci posse à priori, hoc est, per suas causas, sed tantummodo cognosci per effectus. qui cum plerumque ignorentur à quibus causis prodeant, iure fit, vt causa ipsorum secreta specifica & propria nuncupetur. postremo dicit Auicenn. huiusmodi proprietates & formas, siue illæ sint animæ, vt in animalibus, siue sint virtutes, siue quid aliud, æquales esse in omnibus, sed in aliquibus admirationem facere; in aliquibus verò nullam omnino parere. proprietates magnetis in attrahendo ferro, inquit Auicenn. adfert aliquam admirationem, eò quod huiusmodi effectus nobis insuetus & penè nouus est. proprietates calefaciendi in igne, tametsi non videatur diuersa à proprietate magnetis; tamen inquit Auic. nullam facit admirationem: eò quod quotidie huiusmodi

modi effectus videmus; quos si rarò conspiciere contingeret, proculdubio non minus miraremur videntes & lucere, & calefacere ignem: quam miramur magnetem ferrum attrahere. Ex hoc itaque Auicennæ discursu licet facile vnicuique cognoscere vim illam, qua venena occidere apta nata sunt: minimè esse qualitates, minimè esse temperaturam; sed formam quandam, seu naturam acquisitam post temperaturam. at que non à priori, sed à posteriori, seu per effectus ipsos cognitam. Vtrum autem hæc virtus, vel à sideribus, vel à superna influentia, vt dixit Aponensis, vel à quopiam alio auctore immittatur, non est præsentis negotij disputare. Sed hoc in loco oritur difficultas: Vtrum hæc facultas venenorum corruptrix, sit aliquid diuersum à temperatura, vel qualitatibus, & quod facit difficultatem est; quia Gal. 3. de Simpl. medic. cap. 8. de deleterijs loquens scribit, mortem nihil aliud esse, nisi ablationem motus cordis, auferri autem motum cordis non qualibet intemperie, sed tantummodo insigni. quo in loco videtur Galenus manifestè asserere, venena non occidere alia ratione, nisi propter intemperiem. adhæc idem Gal. 3. de Temper. cap. 4. postquam dixit, naturam eorum aduersissimam esse naturæ nostræ: subiungit hæc verba, naturam autem dico vniuersam substantiam & temperiem. ex quibus verbis videtur colligendum, vim venenorum secundum Galeni mentem, nihil aliud esse, nisi ipsam temperaturam. Auicenn. quoq; 6. quarti. tract. 2. cap. 1. de Venenis sermonem faciens, scribit, alia operari qualitate: alia verò tota substantia: ex quibus verbis colligi etiam potest, Auicennam voluisse venenorum vim esse etiam temperaturam quatuor qualitatum, vt etiam clarissimè docuit Auer. 5. collec. cap. 22. Vt hæc difficultas tollatur, dicendum est, quod cum tota substantia, & natura specifica venenorum sit incognita, Galenus sæpè nobis eam proponit sub nomine qualitatum ipsarum, seu temperaturæ, quæ est ipsius primum instrumentum. sic enim interdum consuevit appellare

animam spiritum, eò quod spiritus cum sit primum instrumentum anime nobis illius formam representat. Quare si quandoque videtur Galenus huiusmodi vim temperaturæ nomine designare, non est iccirco dicendum, voluisse illum omnem virtutem, aut omnem naturam esse temperatam. id quod docuit 2. de Temper. 6. vbi de virtute formatrice sermonem habens, dixit, eam quidem diuersam esse ab elementorum qualitatibus, & ijs tamquam organis, & instrumentis vti. Quod vero secundo dicebatur ex cap. 3. de Temper. tantum abest, mea sententia, vt faueat opinioni eorum, qui putant naturam & animam esse temperaturam. vt potius ex hoc loco conijcere liceat contrarium: quoniam scribit Galenus, naturam dico vniuersam substantiam, & tempericem: quasi voluerit dicere, naturam ipsam constitui ex tota substantia, quæ est veluti forma, & experie, quæ est veluti organum formæ. quod quidem & in omni Philosophia, & in omni Medicina, vt ego puto verissimum est. Quod porro dicebatur ex Auicen. & Auer. venena aliqua operari qualitate; aliqua proprietate, id sano modo intelligendum est: si quidem hoc perpetuum debet esse fundamentum, omnia venena operari per proprietatem hanc & formam specificam, veritatem interdum contingere, vt hæc forma vtatur qualitatibus euidentibus tamquam organis: interdum vero illis non vtatur. aut saltem obscuro modo, & illud verum esse, hoc vno exemplo liceat intelligere. quia si solæ qualitates, nimirum caliditas, aut frigiditas possent absque proprietate specifica naturam euertere: proculdubio id efficerent corpora calidissima & frigidissima. Vnde cum aqua sit primum frigidorum: cum piper sit corpus calidissimum, necessarium esset, vt interimerent tamquam venena, sed cum hoc minimè faciât, proculdubio existimandum est, huiusmodi qualitates non posse solas venenum facere: sed necessarium esse, vt sequatur alteram formam, & proprietatem. Id quod intelligere volens Auer. in lib. de Theriaca, loquens de venenis

venenis calidis, & frigidis, dixit, hæc interimere cum frigiditate, & caliditate mirabili: quasi non sola caliditas, aut frigiditas, sed mirabilis caliditas, id est iuncta admirabili virtuti hoc efficiat. ita vt constantissimum esse debeat, huiusmodi naturam, naturæ nostræ inimicam, esse vim superiorem ipsis elementis.

An venena nutrire possint.

Cap. IX.

HOC in loco dubitari posse video, cur apud plerosque in controuersia sit positum, an venena nutrire possint, quandoquidem aded naturæ nostræ inimica sunt. Ex vna parte Galen. 3. de Simpl. medic. cap. 18. referens Historiam illius vetulæ quæ nutriebatur cicuta, manifestissimè docuisse videtur, posse homines etiam venenis nutriri. præterea Auicennas loco citato de viribus cordis, ex sententia Ruffi, antiquissimi Medici, scribit fuisse puellam quæ nutrita veneno non solum viuebat, sed etiam tãquam res venenata halitu & amplexu alios venenabat. demum vt antè retuli, sunt populi, qui vescuntur & serpentibus, & scorpionibus impunè. hinc ergo videre licet, homines venenis nutriri. quod si verum est, minime verum esse potest, vt facultas venenorum sit aded inimica naturæ nostræ: siquidem vt est omnium sententia, nutrimur non contrarijs, sed similibus. Ex altera parte est magnus Auer. lib. de Theriaca cap. 2. quo in loco quasi deridens & has Historias, & hæc Medicorum sententiam, scribit, & efficacissima ratione monstrat, fieri nequaquam posse, vt homo vniquam veneno nutriatur; siquidem cum nutritio fiat à simili, si corpus nostrum nutriendum est veneno, necesse est vt euadat illi simile. Cum autem venenum sit contrarium naturæ hominis, ergo inquit Auer. homo euadit contrarius homini: & consequenter si contrarius erit, non am-

plius verè homo, sed equiuocè homo appellandus erit. Pro tollenda hac difficultate, dicendum nutrirì posse dupliciter intelligi: vel verè & propriè: vel non verè. nutrirì propriè est, cum nutrimentum in substantiam nutrirì mutatur: nutrirì autem non verè, dicitur, quando aliquid sumitur, quod tamen in substantiam minimè conuertatur, non offendit tamen, neque lædit. sic dicitur Struthiocamelus nutrirì ferro: nõ quia ferrum permutetur in sui substantiam, sed quia deoratur ferrus, nec ab eo læditur. Si itaque nutritio impropriè accipitur, dici potest venena nutrirì, quandoquidem multa sunt, quæ intus accepta minimè offendunt. Sed si nutritio propriè accipiat, tunc videndum est, an venena offendant tota substantia, ita vt nullam partem alimentalem habeant: an potius etiam cum ijs copulata sit aliqua alia pars alimentalis: si enim nihil alimentalis habeant, numquam verè nutrirì possunt: sed si etiam aliqua pars alimentalis sit ijs coniuncta; tunc dicendum est, venena posse nutrirì, quæcumque sint. & ratio est, quia vbi corpus confirmatum, & corroboratum, vel assuetudine, vel alia ratione est; tunc potest partes alimentales à deleterijs segregare, atque ita sibi alimentibus, & à deleterijs non offendi: aut etiam ipsas partes deleterias frangere, & ex toto delere. Sed video hoc in loco dubitari posse, si hoc verum est, quomodo fieri possit, vt frangatur venenum, & dissoluatur; & tamen corpus, quod assumpsit illud, impunè possit alios venenare, siquidem videtur à ratione alienum, vt si venenum sit extinctum, debeat alij nocere. Cum tamen referatur Historia illius puellæ veneno nutritæ, qua Reges Persarum alios interimebant. Dicendum non esse præter rationem, vt quispiam possit alios venenare, neque ipse tamen à veneno lædatur: quemadmodum videmus quosdam alios inficere peste: & tamen ipsos non infici: sicut etiam vsu compertum est, mulieres impertiri luem gallicam concumbentibus, & ipsas tamen omnis mali expertes viuere. Quomodo autem istud fiat,

fiat,

fiat, hæc est ratio, quia quotiescunque cor, vel naturali facultate, vel consuetudine, vel etiã antidotis ita paratum, & confirmatum est, vt à venenis non lædatur: potest ita illa dissoluere, vt parte alimentali corpus nutriatur, & pars venenata, vel in humoribus, vel in pilis, vel in alijs excrementis ita conseruetur, vt alios coinquinare, & violare possit; corpus autem quod gestat huiusmodi venenum remaneat illæsum. Huic etiam veritati ad stipulari illud potest, quod pleraque animalia venenata reperiuntur: quæ venenum non in vniuerso corpore, sed in aliquibus partibus gestant. canis rabidus illud tantummodo habet in ore; vipera in dentibus, in saliuâ, in cauda: draco piscis in spina solum: & quod magis mirum est, pastinaca piscis venenum habet solummodo in summitate caudæ, quæ radius vocatur: quod vsque adeo exitiale est, vt (quemadmodum referunt Nicander, Opianus, Aelianus, & alij multi,) non solum interimat, dum viuus est piscis, verum etiam mortuo ipso, si tangat, vel plantas, vel animalia, omnia statim extinguit & occidit. Quare neque à ratione, neque ab usu re: um alienum est, posse in corpore humano venenum latere, quod gestantem non offendat, & alijs noccat.

De modo quo venena interimunt.

Cap. X.

SEQVITVR vt videamus modum quo venena omnia interimunt, quandoquidẽ Medicis peritis non fat est intelligere vim venenorum exitialem esse, nisi simul intelligatur, quis sit modus, & quæ ratio mortis, quam inferunt. Gal. lib. 3. de Simpl. medic. 18. docens præclara multa de medicamentis venenosis, monstrat mortẽ nihil aliud esse, nisi desinentiam, vel cessationem motus cordis. desinere autem motum cordis, aut ob insignem

aliquam intemperiem, aut à tota substantia. Ex quo loco obiter colligi potest apud Galenum diuersam esse totam substantiam ab ipsa temperatura, quasi velit potissimam rationem, qua venena occidunt, esse ingentes intemperies, & simplices, & coniunctas, quibus afficitur cor. Auer. lib. 5. collect. 22. quatuor modos proponit, quibus venena perimunt: primus est, quia priuant sensu & motu cor ipsum, atque etiam totum animal: cuiusmodi sunt pleraque venena refrigerantia. Alter est permutatio totius temperamenti, & totius substantiæ corporis, quasi mutent vniuersum corpus, perinde, atque aurum permutatur in calcem, vt dicit Auer. tertius modus est, vehementi attractione, quemadmodum Elleborus; nam Elleborus, & alia huiusmodi medicamenta occidunt, non alia ratione, nisi quia vehementissimè humores quoscumque à corpore extrahunt. Quartus & vltimus est purgatio, seu euacuatio ipsius sanguinis, fundamenti, caloris, & vitæ. Ex quo loco colligi potest, Auerroem quoque voluisse reperiri medicamenta, quæ purgant & euacuant sanguinem: contra, quam vt aliàs dicebam Mesues docuit. Ceterum Petrus Aponensis sectatus Auic. 6. quarti. tract. 2. cap. 1. diuidens venena in operantia secundum proprietatem; & operantia secundum qualitates manifestas; inquit, quæ operantur proprietate specifica hoc pacto interimere, quoniam vbi aliquam partem semel infecerint, pars ea proximam inficit, & proxima aliam, ita vt sese hunc in modum propaget, & dilaret, vsque quò in cor perueniat, quod deinde inimica & aduersa facultate vitiant, & corrumpunt: sicque consequenter vniuersi corporis naturam euertunt. Quæ autem qualitate manifesta interimunt, inquit Auicennas & Petrus Aponensis, id facere, vel quia calida sunt, vel quia frigida, vel quia sicca. Vtrum autem humida etiam venena reperiantur, disputatum est: & licet Galenus videatur quandoque concessisse huiusmodi venena: tamen sum ego huius sententiæ, venena purè humida non reperiri, eò quod huiusmodi

iusmodi qualitas minimæ omnium actiuitatis est: vt propter hoc dixerit etiã Galenus 2. de Medic. local. ab humido solum non induci dolorem. Quæ caliditate venena intercimunt, vel id faciunt corrofendo, quemadmodum lepus marinus, cuius venenum cum calidum fit, corrofendo interficere folet: atque hoc interfectũ fuiffe Titum Imperatorem à Domitiano fratre relatũ est: Vel interimunt inflammando: fic enim Euphorbium cum fua caliditate vehementer accendat, confequenter etiã mortem inducit. Cæterum quæ interimunt frigiditate, aut id faciunt congelando cor, & fanguinem, ac propterea fenfum, & motum auferendo, cuiufmodi eft opium & cicuta: Vel id faciunt obftruendo, ita vt claudatur aditus fpiritui tum ingredienti, tum egredienti, quemadmodum facit plumbum vltum, gipfum, quo Proculcium quendam ob dolorem ftomachi fe strangulaffe, narrat Plinius. Poftremo, ficca interimere fcribunt hi autores, vel quia humidum omne depopulantur, & abfumunt, vt facit calx, calcanthũ, fivæ vitriolum: Vel quia diuidunt partes continuas, quemadmodum facit Reagal, fivæ toxicum myris, feu arfenicum. Hi funt modi ab alijs propofiti, quibus venena occidunt. Sed inueniamus nos alium modum, ex rei ipfius natura, qui poftit & faciliter apprehendi, & memoria teneri. inuenitur autem hic, fi primum illud fupponamus, omnia venena apta, & nata effe mortem inferre; mortem autem, vt præclare docuit Aristot. in libro de morte & vita cap. 4. nihil aliud effe, nifi ipfius caloris extinctionem. Quantiſper enim animalia viuũt, femper calida funt: fecus quam plantæ, quarum calor potentia quidem eft, fed non actu: vbi autem femel animal expirauerit, protinus totum refrigeratur. quo ratiocinio inuitatus Aristoteles dicebat, mortem nihil aliud effe nifi caloris confumptionem. Extinguitur autem & confumitur calor animalis vel à feipfo, vel à contrario. A feipfo quidem, quoniam calor affidue depafcens humidum cui innititur, illud tandem diuturni-

C

tate huiusmodi passionis confumit, & sic mors subsequitur: quemadmodum contingere videmus in ipsis animalibus senescentibus. Vocatur autem modus huiusmodi mortis à Græcis *μθωσις*: nos possumus dicere tabescentiam, vel exsiccationem. Extinguitur calor quoque à contrario alia ratione, quia sicuti inimicus à valentiori inimico superatur; sic calor à contrario suo valentiori victus tandem extinguitur: & dicitur hoc genus mortis ab Aristotele *σθισις*: nos dicere possumus extinctionem. Caterùm illud constantissimum est, venena non occidere exsiccatione, quia si verum dixit Aristoteles, id tantummodo contingit in senectute: quare superest venena iccirco extingueri, quia tamquam contraria & inimica calori nativo ob ingentem vim ipsorum illum extinguunt. Sed non satis est intelligere, mortem à venenis inferri, quia calor natiuus ab ipsis iugulatur; verum opus est etiam paulò exactius intelligamus modum & rationem qua id fit. Facile autem hoc apprehendemus, si cogitauerimus, ad hoc vt calor incolumis remaneat, opus esse quatuor conditionibus. Vna est vt tota eius forma & essentia integra seruetur. Altera vt in ea sit perpetuò mensura, quæ possit sufficere omnibus vitæ operationibus perficiendis. Tertia vt purus sit: nam sicuti ad hoc, vt lucerna luceat, requiritur debita non solum olei copia, verum etiam necessarium est, vt illud sit purum, non feculentum, nec aquosum: sic calor natiuus necesse est, vt sit & in debita mensura, & puritate. Et notandum hoc in loco, dum dico, calorem natiuum, intelligere me simul eius subiectum, siue materiam quæ est humidum natiuum. Quartam conditionem dico esse, vt conseruetur motus ipsius caloris. nam quemadmodum habetur ex Galeno in libro de Marasmo, & alijs in locis, calor animalium, duos perennes & irrequietos motus habet. Vnum sursum, quo fuligines expelluntur. Alterum deorsum, quo alimentum attrahitur. Si vel tantisper, aut vnus, aut ambo hi motus auferantur,

protinus

protinus animal concidit. His igitur quatuor caloris
natiui conditionibus suppositis, dicendum est, quod-
cumque venenum interimere, vel quia proprietate na-
tura, & forma specifica, formam, & essentiam caloris
corrumpit: vel quia ipsius copiam, & mensuram immi-
nuit: vel quia conspurcat & defecdat ipsum calorem:
vel motum ipsi calori auferit. Quæ agunt à sola pro-
prietate, id solum facere videntur, vt formam, & essen-
tiam ipsius caloris eueitiant, quamquam etiam multa
sunt, quæ proprietate sola videntur motum ipsius ca-
loris auferre: & ea sunt quæ illicò interimunt. Alia
vero quæ & proprietate, & qualitate manifesta occi-
dunt, idque faciunt, aut quia caloris copiam immi-
nuunt, vt sunt refrigerantia, & calefacientia: aut quia
conspurcant, & impurum reddunt ipsum humidum,
atque ipsum calorem. Atque hi sunt modi omnes
quibus venena interimunt.

*Quomodo venena ad actum redu-
cantur. Cap. XI.*

HACTENVS dictum est, qua ratione ve-
nena interimant: Super est vt intelligatur
quo pacto ad actum redigantur, vt operari
possint. nam & si venena quæ ab animalibus
ejaculantur ita actu sint, vt statim in corpora nostra a-
gant: reliqua tamen hac conditione carent, eò quia ve-
nena animalium cum à viuente mittantur calori asso-
ciata sunt, vt non egeant alio calore. Caterum alia, cù
calore viuo sint priuata, & consequenter in potentia tã-
tum esse dicantur, fit vt aliquo alio egeant, quo ipso-
rum potètia in eum actum perducatur, vt operari pos-
sit. Quæ sit autem ea vis, & ille auctor, qui deducit ve-
nena ad actum, magnoperè dubitatum inuenio: siqui-
dem in corpore nostro, & in corpore animalium, nihil
est quod agat præter calorem: quandoquidem vt dice-

bat Aristoteles frigidum non ingreditur opera naturæ, & si ingreditur non vt agens, sed potius vt commoderans, & contemperans. Sed alienum à ratione videtur, calorem natium posse venena in actum deducere; nã vt dictum est, natura venenorum est illi aduersissima, quod autem inimicum ad actum reducat, & quasi arma illi contra se porrigat, videtur à ratione alienum; vt iure dubitarint Scriptores, quomodo possint venena in actum deduci: nec solum de his dubitatum est, verum & de omnibus medicamentis, de quibus copiosissima quæstio habetur, apud omnes Auicennæ interpretes, præsertim verò apud Gentilem. Cæterum quia institutum nostrum non est, huiusmodi quæstionibus nosmet implicare, quæ sit veritas secundum Galeni mentem (qui plerisque in locis huiusmodi materiam amplissimè tractauit) expendamus; præsertim verò 3. de Simpl. medicamen. à cap. 18. vsque ad cap. 31. ad eò præclare, & doctè hunc modum explicauit, vt pauca admodum desiderari possint. Supponatur ergo quod sæpiù retuli, alia esse venena, quæ sola naturæ proprietate, & tota substantia interimunt: alia verò, quæ & proprietate quidem, sed multò magis qualitatibus. quæ proprietate agunt, cum vim habeant efficacissimam, vt operari possint, solum egent, vt paulisper incalescant: vbi autem calefactæ sunt, partes vbi sunt grauiter lædunt, quæ læsæ illa propellunt ad viciniore partes, & viciniore ad proximas, vsque quò ad cor pertingant, vbi tamquam in propria sede ad perdendum illud & vitam, omnes neruos intendunt. Cæterum quæ qualitate perimunt, vel calida sunt, vel frigida: calida, & ipsa cum sint maximè actiua, indigent tantum, vt calefiant; vbi autem incaluerunt, statim vires suas explicat, & in cor penetrantia exitium adferunt. hæc omnia ferè plana, & manifesta sunt. Sed hoc difficilè videtur cogitari posse, quomodo calor suis inimicis contra se auxilietur, quod tamen facit non per se, sed per accidens: quia cum calor continuò occupatus sit in conficiendo

conficiendo cibo, & distribuenda vita, necessario calefacit quicquid in corpore reperitur, vnde cum reperiuntur venena, necessitate quadam non intentione naturæ incalescunt, & ad actum deducuntur. Cæterum de venenis frigidis maxime dubium esse potest, & alia re videntur egere, vt ad actum deducantur, quò fit vt Galenus coactus fuerit proponere alium modum, quo hæc à calore in actum deducuntur. est autem hic, quia venena frigida duas condiciones habent: Vnam quod crassa & terrestria sunt, vt omnia frigida: aliam quia cum crassa sint, tarda, & pigra sunt ad motum, vt si penetrare in cor debeant, opus fit vt attenuentur, & vt vel attractione, vel impulsu moueantur; quæ omnia necessariò præstantur sibi à calore. nam vbi frigidum venenum semel corpus læsit, calor natiuus aduersus ipsum insurgit, in qua pugna attenuantur per accidens ipsa venena frigida, & consequenter viæ dilatantur; ac calore quoquo pacto auctor maior attractio fit ipsorum venenorum, & consequenter ruina perniciosior: adeo vt ex hoc Galeni discursu manifestissimè colligatur, venena frigida in actum deduci, quia in pugna à calore natiuo attenuantur, & per arterias & per dilatatas vias impelluntur, & trahuntur ad cor: propter quod dicebat Galenus, corpora calida citius & facilius ab ipsis periri quàm frigida: quoniam calida & latiores vias habent, & in ijs maior fit attractio. Hæc quamquam sint verissima Galeni oracula, complures tamen, & græues difficultates ex ipsis oriuntur. Prima est, quia si venena frigida à calore natiuo incalescunt, non videtur posse amplius refrigerari. quis enim est qui non videat aquam calefactam actu, calefacere. alia difficultas est, quia non videtur esse verum, corpora calida magis lædi à venenis frigidis. primum quia Theophrast⁹ lib. 9. de Historia plant. cap. 17. scribit Thrassiam illum Mantinensem consueuisse cicutam colligere ex locis frigidissimis, & miscere etiam medicamentis frigidissimis, vt magis interimeret. quod argumentum

esse potest, venena frigida, quanto magis iunguntur rebus frigidis, tanto magis exitialia esse, adhæc si calidum maxime actiuum est, & pugnat semper aduersus frigus, tamquam aduersus inimicum, videtur rationi consentaneum, frigida venena debere potius in corporibus calidis frangi & hebetari. quod forsitan cum intelligeret carnifex ille Socratis apud Platonem in Phædone, iussit ipsi, ne post sumtam cicutam inambularer, ne scilicet veneni opus tardaret. præterea vinum est venenum cicutæ, vt dicebat Auerroes quia suo calore extinguit frigiditatem illius, vt etiam dicebat Galenus. igitur videtur etiam calorem natiuum imminuere vim ipsorum venenorum. Tertia difficultas est de venenis refrigerantibus extra applicatis, quomodo scilicet possint ad actum deduci: nam scribit Diodorus Siculus libro secundo ex narratione cuiusdam Iamboli mercatoris in Arabia Felici, reperiri quoddam genus herba, super quam qui dormiunt suavissimo sopore corripuntur, & ita intereunt: soporem inducere frigida, manifestum est apud Medicos: quod si est, qua ratione potest hoc frigidum venenum deduci in actum. quod dico de hac herba, pariter dici potest de alijs venenis. vt de illo quo aiunt nequissimos quosdam inficere stapedas equorum, & ita interire. Postrema difficultas est, quia duæ contradictiones videntur esse in Galeno; prima est, quod loco citato, tertio de Simplicibus medic. vult venena frigida attenuari, calefieri, & permutari à calore, sed 3. lib. de Temper. cap. 3. non longè à fine, manifestissime scribit, venena frigida vt opium & cicutam ne tantillum quidem mutari à corpore nostro: altera est, quoniam Galenus tertio de Simplic. medicam. cap. 20. scribit, venena frigida nequaquam toto genere esse deleteria, sed sola quantitate. tertio autem de Temperam. 4. scribit, ea tota natura, substantia, & genere esse deleteria. Vt ab his difficultatibus liberemur, dicendum ad primum, id quod scribit Galenus tertio de

de Temper. ex sententia Aristotelis quæ calefiunt, vel calefiunt essentialiter, vel accidentaliter. quæ calefiunt essentialiter, diu permanent calida actu: quæ autem per accidens, modico tempore durant calida, sed protinus ad pristinam frigiditatem redeunt. probat Galenus hoc & exemplo, & auctoritate Hippocratis. exemplo, quia & pituita, & lac sæpe frigida actu vomuntur, eo quia cum calefacta sint accidentaliter in ventriculo, citissime exiunt illam caliditatem: auctoritate etiam Hippocratis, quia in libro de Natur. hum. scribit pituitam, & extra corpus nostrum, & in corpore frigidam esse actu: quod alia ratione fieri non potest, nisi quia caliditatem quam acquirit in corpore accidentariam, facile dimittit, itaque dicendum, venena frigida, & si parum incalescant in corpore, eam tamen caliditatem accidentariam esse, & ideo facile eam exire, & in propria frigiditate manere, atque sic refrigerare, & interimere. Ad aliam difficultatem dicendum est, corpora calida, vel multum calida esse, vel moderatè. si moderatè calida sint, facilius interimuntur à frigidis venenis: propter rationem quam attulit Galenus: sed si multum calida sint, difficilius interimuntur: propterea quod potentissime ipsorum calor agit in frigus venenorum: & hæc solutio elicitur ex verbis Galeni, qui loquens de vino & cicuta, dicebat: si vinum misceatur cicutæ in exigua quantitate, venenū fieri lethalius, quia auget potius penetrationem: sed si multum vini immisceatur, contrarium fieri: scilicet extingui frigus ipsius cicutæ à calore vini. id quod etiam respondendum est, ad exemplum sumtum à Platone, ad auctoritatem Theophrasti, quæ nihil, aut parum contrafacit: quia loquitur tantum de veneno frigido per se, non comparato ad corpus: quia huiusmodi venenum quantò pluribus refrigerantibus commiscetur, tantò efficacius euadit. Ad tertiam dicendum est, herbam illam felicis Arabia, inferre quidem mortem ratione frigiditatis, sed ad actum deduci

attritione, quam faciunt corpora superincumbentia; nam ex huiusmodi attritione, verisimile est, vapores frigidos concitari, qui ingredienti corpus sua frigiditate, & soporem, & mortem inferunt, quemadmodum certa experientia docet, eos qui dormiunt supra crocum non alia ratione interire, nisi quia ex eo decubitu calfactus crocus vapores moribidos, & perniciosos in caput mittit: qui sua illa insigni vi, cerebri temperamentum euertunt. idem quoque dici potest de veneno illo, quo inficiunt stapedas (si tamen verum est, de qua re ego dubito) nam ex attritu pedum supra illas, venenum illud conuertitur in vapores, qui exhalantes in cerebrum & cor, & alias partes, mortem inferunt. Ad postremum dicendum: & primum ad primam contradictionem, duplicem esse mutationem, aliam quidem substantiae, aliam vero secundum qualitates: quando Galenus scribit, venena frigida a corpore nostro mutari, intelligit de mutatione secundum qualitatem: quia inquit huiusmodi venena attenuari, & ad motum concitari. quando vero 3. de Temperam. scribit, ea nihil mutari in corpore: intelligit non de mutatione secundum qualitates, sed secundum substantiam. quia vere frigida venena, vt opium, non mutantur a calore nostro secundum substantiam: alioquin conuerterentur in alimentum. Pro secunda concilianda contradictione vehementer laborauit Fuchsius aduersus Brach. in comment. suis ad 3. de Temper. vbi inquit, quando Galenus in tertio de Simplicibus medicamentis scribit, frigida venena non esse genere deleteria, ita esse intelligendum, quod non in vniuersum, hoc est, quocumque modo, sed solummodo secundum quantitatem sint deleteria: vbi vero in tertio de Temperamentis dixit esse genere deleteria, ita intelligendum esse, quod sint ex genere deleteriorum. FUCHSII modus in concilianda GALENI contradictione, veritati quidem consonus est; sed si verba GALENI diligenter considerentur, haud satis ipsis accommodari potest, quando-

quandoquidem iisdem penè verbis libro tertio de
Simplic. med. 20. utitur, quibus etiam 3. de temp. 4. ut
si verba sint eadem, pari pacto debeant esse eadem & si-
gnificatio, & usus. accedit hac voce *venenorum* nunquam vi-
ti pro eo ac si dicat *venenorum*, ut videtur voluisse Fuch-
sius: quare cum diu circa hanc difficultatem versatus
esset, vix inuenire potui, quod mihi satisfaceret: duo-
bus tamen modis existimo posse responderi: vnus est,
deleteria genere, vel esse deleteria potètia tantū, vel de-
leteria potentia & actu. potentia tantū sunt ea, de qui-
bus loquitur Galenus tertio de simpl. med. 20. quippè
quæ ad hoc ut actu operentur, præter contrarietatem
generum, opus habent etiam quantitate, ut cum quan-
titas maximè requiratur, dixerit Galenus interficere
sola quantitate. de venenis autem deleteriis & poten-
tia & actu, locutus est tertio de temper. quarto. Alius
modus respondendi est, deleteria vel esse propriè dele-
teria, vel impropiè. propriè deleteria sunt, quæcunque
non possunt permutari in substantiam corporis: im-
propiè verò deleteria dicuntur, quæ tamen potesta-
tem habent necandi, tamen possunt etiam aliqua ex
parte in substantiam corporis conuerti: de deleteriis
propriè acceptis loquitur Gal. 3. de Temper. quo in lo-
co scribit deleteria non esse expendenda quantitate, sed
dumtaxat contrarietate naturæ, quod scilicet ea pro-
priè dicantur genere deleteria, quæ habent contrariam
naturam nostro corpori; atque hæc ea esse quæ imme-
diatè non possunt conuerti in nostram substantiam,
exemplo aquæ, & ignis, quæ dicuntur esse prædita cō-
trariis naturis, quoniam nec aqua in ignem, nec ignis
in aquam possunt mutari immediatè: de impropiè
autem acceptis locutus est Galenus tertio de simplic.
medicam. atque id facile perspici poterit, si finis antec-
edentis capitis examinetur, vbi cum dixerit lactucam
venenum esse si largiter edatur, quæ tamen nutrit, &
cum dixerit etiam cicutam quandoque nutrire, in ini-
tio sequentis capitis infert: venenorum igitur quæ fri-

C 5

gida sunt, genere non sunt deleteria, sed solum quantitate, quasi inaniseste loquatur de venenis frigidis, quæ non habent eam naturam, vt transmutari possint in corpus: qualem habet opium, quod quidem & si dicit Galenus octauo de Medicamentis localibus capite tertio, & Auicennas libro secundo, vbi tractat de opio maximè refrigerat corpora nostra: tamen vt ego suo loco disputabo, opium refrigerat quidem & irremediabiliter: sed non occidit ratione frigiditatis, sed ratione ingentis contrarietatis, quam habet aduersus naturam nostram. Atque hinc competere esse potest, quæ sit causa formalis venenorum.

De causa materiali, efficiente, & finali venenorum. Cap. XII.



SEQVITVR vt quæ sint aliæ venenorum causæ, & breuiter, & perspicuè videamus. Democritus quidem & Epicurus plerisque in locis præsertim apud Lucetium libro quarto de natura, fuerunt eius sententiæ, venenorum materiam esse corpuscula asperis, & hamatis, siue aduncis figuris prædita: sed huiusmodi antiqua sententia iam dudum explosa fuit, & ab Aristotele & aliis. quare dicendum, venenorum duplicem esse materiam, alteram communem, & vniuersalem; alteram immediatam & particularem. materia communis, sunt elementa, ex quibus cum omnia mista componantur, non est dubitandum etiam ipsa venena componi. propria autem, & peculiaris materia triplex est, vapor, humor, siue succus, & pars terrestris; quidquid enim veneni inuenitur, siue sit ab animalibus, siue à plantis, siue à mineralibus, situm est rãquam in propria materia, vel in vapore, vel in humore, vel aliqua parte terrestri. De causa efficiente venenorum Astrologi senserunt esse cõkursus siderum, & propterea quodlibet venenum alicui astro attribuerunt.

& ducti sunt, vt puto hac ratione, quia cum vis ipso-
rum secreta sit, & sola experientia nobis cognita, ne-
cessariumque sit aliquam ipsis assignare causam, con-
fugerunt ad cœlum, quod vniuersalis causa est: sed
quod dicebat Picus Mirandul. 3. lib. contra Astrologos
de peste, scilicet fieri non posse, vt à causa diuina, per-
niciosus effectus prodeat: id etiam fortasse dici posset
& de venenis. Inter Theologos fuerunt, qui existima-
runt venena producta esse à peccato Adæ, sed neque
hæc opinio rationi consentanea est, quia antequam A-
dam peccauit serpens erat, qui ipsum seduxit. quare
multo melius illi dixerūt, vt dixit Diuus Basilius quin-
ta homilia super Exodum à Deo opt. producta esse ve-
nena eo tempore, quo omnia producta fuerunt. Medi-
ci verò & Philosophi venenorum nullam aliam causam
efficientem cognoscunt, nisi naturam ipsam vni-
uersalem, quæ cum potentia sit, solari calore tanquam
proprio instrumento vtitur ad producenda omnia mi-
sta: inter quæ cum etiam sint venena, iure statuendum
est ipsa quoque ab hac natura vniuersali medio caloris
coelestis, & solaris produci: De causa finali cum loque-
retur Plinius libro secundo capite vigesimotertio, di-
xit, venena non ob alium finem esse producta à natura
nisi vt homo constitutus in fame, tormentis, & ærum-
nis posset statim miseriis omnes cum vita finire: sed
nugæ impiæ sunt, & eius auctoris qui cum nullam ani-
mæ immortalitatem cognouerit, facile potuit hu-
iusmodi monstra proferre: si quidem nunquam com-
pertum est vel Deum vel Naturam mortem effectuum
suorum intendisse: vt iure Aristoteles 2. Physicor. ve-
hementer damnarit illos, qui dicebant mortem esse fi-
nem rerum; nam non potest esse finis naturæ, quia ab
ipsa nunquam intenditur: quare multo fatius est dice-
re, venena duobus modis considerari posse: vel vt natu-
ræ nostræ inimica, & lethalia: vel vt corpora naturalia.
primo modo considerata nullum finem habent: & ra-
tio est: quia quod perimant proficiscitur tantummo-

do à prauo vsu, & peruerſa hominũ voluntate, quẽad-
modum ferrum, & alia medicamenta occidunt homi-
nes. non alia ratione quã quia malẽ uſurpantur: ſi au-
tem conſiderentur, vt ſunt corpora naturalia, ſic ha-
bent fines ſuos, & quidem optimos, qui vt præclariffi-
mẽ docuit D. Baſilius, qui etiam fuit Medicus loco ci-
tato, ſunt tres, vnus eſt utilitas artium; nam complures
inueniuntur artes, quibus utiliter interuũt huiusmo-
di venena, ars tinctoria, pictoria, ſutoria, ars celandi, ars
argentariorum, quæ omnes & aliæ complures vtuntur
venenis ad ſua opera apte, & integre perficienda. Alius
finis, ſeu utilitas venenorũ eſt, propter animalia mul-
ta, quæ viſtitant, & nutriuntur iis, vt ſturni, & capræ
veſcuntur cicuta, ſues hyoſcyamo, hirundines cantha-
ridibus, coturnices elleboro: quare cum his animalibus
utilia ſint hæc venena, ea propter etiam producta ſunt.
Tertius finis eſt, quoniam non pauca ſunt venena, quæ
homini ipſi utilia ſunt ad depellendos varios morbos,
elleborus inſaniam curat, aconitũ ſcorpionis morſus,
hydrargirum ſcabiẽ ferinam, & lepram, arſenicum
valere in peſte experientia probatum eſt. immo verò
Galenus quinto Methodo capite ſexto, vtitur paſtillis
Andronis, & Paſſionis aduerſus ſputum ſanguinis, qui
conſtantur ex Arſenico, & Calchanto. præterea quot
ſunt vlcera, quæ medicamentis venenatis ſanantur:
vt etiam venena propter hunc finem eſſe producta vi-
deantur. Sed hic oritur breuis difficultas, qua ratione
fieri poſſit, vt venena exitialia applicata noſtro corpori
ſiue intus, ſiue extra curent morbum, & tamen corpus
non offendant; nam videtur contrarium euenire debe-
re, eò quia natura fracta à morbo debilis reddita multo
facilius offendi poteſt à cauſſis venenatis. fuerunt qui
vt hunc nodum explicarent, dixerunt naturam multò
robuſtiorẽ euadere, vbi contra duo venena inſurgit,
quã vbi contra vnum tantum: & iccirco non eſſe mi-
rum, ſi existente vno veneno in corpore proſit aliud,
quia natura toto conatu inſurgit aduerſus hos duos
poter-

potentissimos hostes. Sed hæc pura infantia est, quia nemo est qui clarissimè non perspiciat multò difficilius esse aduersus duos, quàm aduersus vnũ pugnare. quapropter dicendum puto, propter duas causas contingere, vt venenum adhibitum corpori venenato, & morbofo minimè offendant partes sanas, & curet morbum. Vna est, quia medicamenta vbi in corpore humano reperiunt humores vitiosos, in eos agunt, atque extrahunt vsq; quo ex toto sint superati, post quod deinde agunt etiam in humores vitiles: quod cognoscens Hippocrates dicere solebat in Aphorismis, corpora sana non esse medicamentis tractanda, quia hæc si non inueniant vitiosos humores, agunt in vitiles, atque ita consumunt corpora: haud secus contingit & ipsis venenis, quæ si reperiunt in corporibus nostris humores vitiatos, & venenatos in eos totis viribus agunt, & consequenter dimittunt partes sanas. Cur autem venena agant in humores vitiosos, & venenatos, duæ sunt rationes. Vna secreta quædam antipathia, quæ est inter venena, & venena, quæ licet in hoc conueniant, vt sint deleteria; differunt tamen, & materia proxima, & qualitibus, vt propter hoc dicendum sit, venena aggredi potius venenatas materias quàm sanas; quod etiam appositissimè dixit Plinius loquens de aconito, quando inquit duo venena in corpore aduersus se pugnare, vt homo seruetur: alia ratio est, quia materia venenata sunt à natura corporis iam pende expugnata, siquidem vbi materia quæpiam est in corpore, facultates omnium membrorum insurgunt aduersus ipsam, & illam vincere conantur: quo fit vt huiusmodi materia iam ferè expugnata, facile postmodum subiiciatur actioni ipsorum venenorum: quæ cum agant in id, quod facilius pati potest, & humores vitiosi sint huiusmodi, fit vt aduersus ipsos agant. Tertia, & postrema causa est, quoniam venena, quæ adhibentur vt remedia, duas partes habent, vnam vitilem, & contrariam humoribus vitiosis; alteram perniciosam; & na-

turæ inimicam: parte vtili quid faciunt venena? curant prædictis rationibus ipsos morbos: calor natiuus, qui vt dicebat Auicenas est verus, & legitimus venenorum demator, euadit robustior, vtpote à vi, & pugna prauorum humorum liberatus: vbi autem & robustior, & confirmatior factus est, deinde summo vigore contendit aduersus partem venenatam & inimicam, & confectet illam faciliter vincit. Sequitur modo, vt de differentiis venenorum agamus.

De Differentiis venenorum.

Cap. XIII.



ROSTQVAM naturam, & causas venenorum tractauimus, exigit ordo vt differentias perquiramus: quas commodè inueniemus, si proximum genus in suas & particulares species partiemur. Genus proximum venenorum, vt dictum est in definitione, est mistum non naturale: mista autem diuiduntur sua prima diuisione, vel in artificialia, vel in naturalia: artificialia appello, quæ autem aliqua componuntur: naturalia verò quæ sponte nature absque vlllo humano artificio & fiunt, & administrantur. venena artificialia, aut sunt vapores, quemadmodum fumus ille quo Franciscus Ordelaphus interficiebat omnes proximos illi: aut sunt succi, qualia sunt vina venenata, quale erat mel illud, quo narrat Galenus vndecimo de Simplic. medic. capite primo, peremptos esse duos imprudentes Medicos. vel sunt pulues, vt est puluis adamantis medicatus, puluis argenti sublimati, & innumera alia venenorum genera, quæ humana prauitas in perniciem excogitauit. hæc autem omnia artificialia venena, vel intrinsecus, vel extrinsecus administrantur. Naturalia autem venena, vt scribit Aelius promotus, sumunt suas differentias, vel à materia, vel à quantitate, vel à qualitate.

tate, vel à præparatione, vel ab operatione. materia ve-
 nenorū naturalium, vel ab hac incipiam, aut est in cor-
 pore humano vbi fit, aut extra corpus: in corpore hu-
 mano fieri venena leuēntissimē docuit Galenus se-
 xto de Locis affectis capite quinto, vbi & ex femine re-
 tento, & ex menstruis venenum oriri apertè docet. ex-
 tra nos materia venenorum est, aut in aere, aut in aqua,
 aut intra terram, aut supra. quæ in aere est, vel est in v-
 niuersali, vel particulari. In vniuersali est tempore pes-
 tilentiæ, & hoc dico aliorum motus sententiã, siqui-
 dem in tractatione nostra de peste probauimus, quod
 tunc temporis aer verè venenatus non sit. in aere parti-
 culari, est materia venenorum in caueinis, nam ego vi-
 di propè Romam specus multas, in quas siue homo, vel
 animal quodpiam ingrediatur illicò interit: eò quod
 ab aere venenato propter calchantum, vt ego existimo,
 statim animalia interiuntur. in syris, seu foueis fru-
 mentorum fit aer venenatus, quem si quis imprudens
 hauriat, subito interficitur. possumus quoque inter hæc
 recensere aerem cubilium, vbi carbones malè præpara-
 ti incenduntur; vidi enim aliquos esse mortuos, què
 imprudenter in huiusmodi aere obdormierant. Fiunt
 quoque venena in aqua, præsertim si in illa animalia
 venenata versantur, & intereunt: & est apud Aristot. libr.
 de mirabil. auscul. & apud Vitruuium libro 8. quod re-
 periantur quædam aquarum naturalium genera, quæ
 potatæ ab hominibus, & irremediabiles morbos, & ne-
 cem inducunt. Intra terram fiunt venena mineralia, vt
 est arsenicum, calchātium, auri pigmentum, & gypsum.
 Supra terram verò sunt fungi, quorum multa pars so-
 let esse lethalis, vt dixerit plinius quandoque integras
 familias esu fungorum fuisse extinctas. Adhæc sunt
 plantæ & animalia: in plantis quinque sunt que solent
 esse venena, flores scilicet, vt violarum quarundam al-
 barum, quæ si imprudenter edantur, solent effectus si-
 miles venenis producere: fructus, vt poma mandrago-
 ræ quæ dicitur vulgari nomine belladonna: & vidi ego

pueros pulcritudine horum pomorum alleetos inter-
 iisse: sic etiam herba fabæ inuersæ, quam Thelephium
 Matthiolus vocat: succi, vt opium, succus lactuce, cicu-
 ta, succus porri, si ad pondus drachmarum trium, aut
 quatuor fumatur, & multo magis si plus. Semina, vt
 semen iusquiami, cataputia, quod à Serapione vocatur
 derma; & demum radices, vt aconitum. Ab animalibus
 fumuntur quoque varjæ differentia materia veneno-
 rum; quia vel venenata sunt secundum totum, vel se-
 cundum partes, vel secundum excrementa, vel secun-
 dum humores vtilis. Secundum se tota, cantharides
 sunt venena: secundum partes vipera venenum habet
 in cauda & capite, pastinaca marina in summitate cau-
 dæ: secundum excrementa fel leopardi, vrina muris.
 narrant etiam Rases & Albertus Magnus aliquos con-
 senuisse sudore equi irati venenare cultellos, & sagittas:
 secundum partes vtilis, vt saliuæ canis rabidi, saliuæ vi-
 peræ, sanguis tauri, quo sese Themist. iugulasse scribit.
 oua aspidû sunt venena, vnde dicebat Isaias cap. 49. o-
 nû aspidis q. ederit, morietur. præterea venena anima-
 liû solent quoq; sumi ex ipsis sensib. eorû, quandoqui-
 dem basiliscus si verû est, solo visu interimit: quidam i-
 tem regulus sibilo necat: torpedo venenat tactu, quæ ad-
 modû & amphisbena serpens: atq; hæ omnes differen-
 tia sunt q. accipiuntur à materia. A quantitate autem ca-
 piuntur, quoniã alia venena interimunt minima, & ferè
 insensibili quantitate, alia paulo maiori, alia verò ma-
 gna: insensibili quantitate necat illud, quod nascitur in
 Nubia, de quo aliàs sum locutus: sic venenum scorpio-
 nis, dicebat Galenus minimum esse quãtitate, sed ma-
 gnum virtute. maiori verò quantitate occidit opium:
 maiori adhuc cicuta: maximã copia succus lactuce. A
 qualitate capiuntur quoq; ue differentia, quoniam
 aliqua sunt calida, alia frigida, alia sicca; alia grauem o-
 dorem habent, alia sunt inodora: alia saporis sunt ama-
 ri, vt opiu, alia acris vt arsenicû, alia subdulcis vt cicuta,
 alia acidi vt calchantû: alia coloris sunt albi vt arsenicû,
 argen-

argētū sublimatū, alia crocei vt auripigmentū, alia nigri vt opiū, alia viridis vt es vii ide appellatū & alia. Capitur differētiē à preparatione; alia enim parātur vna forma, alia alia, nempe vt in pulucre vel in potu, vel in cibis, prout impui, & nefandi hominēs ea solent parare: sumuntur tandem differētiā à modo operandi, quoniam alia interimunt dissoluendo substantiam corporis humani, alia torrodendo, & putrefaciendo, alia stupefaciendo, & calorem natium strāgulando, alia vero immodicē euacuando: atque hęc est series, & tabula omnium differētiarum venenorum.

Varia qua circa considerationem venenorum occurrunt Problemata. Cap. XIII.



VINQVE hoc in loco pulcherrima problemata discutienda veniunt. primum, vtum verum sit cātharides toto corpore esse venenatas. Secundum; vtum venenum vllum animalium possit esse frigidum. Tertium cur sit quod natura varios sapores in venenis fecit, cum Aristoteles dixerit, omnia serē esse amara, atque hoc prouidentia naturæ postulare videatur. Quartum e. it, vtum in corpore nostro possit venenium generari. Quintum, quę sit ratio propter quam in animalibus venenatis non generantur vermes; hoc enim solum inueni apud Senecam libr. 2. quęst. natur. 31. vbi scribit, animalia venenata non verminare, & id ex eo cognosci, quod si tangantur à fulmine deleter prorsus totum eorum venenum. Circa primum problema, reperio aliquam difficultatem, nam Hippocrat. in libr. de natur. mulieb. & in lib. de morb. mul. sapius vtens cantharidibus cauet, vt auferantur capita, pedes, & alæ, atque hęc abiiciantur: id quod etiam monuit in talce 4. libr. de rat. vict. acut. vbi docens quoddam me-

D

dicamentum pro hydropicis, in quod ingrediuntur cātharides, præcipit vt abiciantur capita, pedes, & alæ, ex quibus facile licet colligere Hippocratem voluisse non in toto corpore venenum esse, sed dumtaxat in capitibus, alis, & pedibus; sententiam hanc secutus est Aetius. Ex altera parte Dioscorides, & Plinius scribunt alas esse alexipharmaca, & antidotos pro iis, qui corpora cātharidum sumserunt, quasi venenum horum animalium potius in reliquo corpore, quam in alis positum sit. Galenus autem in de simpl. medic. scribit cum reliqui Medici abicerent in medicamentis componendis extrema cantharidum, sese integras apponere cōsueuisse. & in libro quarto de ratione victus acut. narrat quosdam secutos documentum Hippocratis, abiectis alis, pedibus, & capite dedisse corpora cantharidum hydropicis, & eos occidisse: adeo vt facile intelligi possit, non paucam diuersitatem esse inter Scriptores de veneno huius animalis. Ego, postquam huiusmodi res nulla ratione determinari potest, quod venenum horum animalium, quemadmodum & aliorum sola experientia constat, sum huius sententia, venenum esse in toto corpore: sed differentiam esse, quia extrema sunt & aciora, & magis exitialia, ac propterea forsitan Hippocratem præcepisse, vt hæc abicerentur. nam si experimento constat, corpora cantharidum extremis detrucata mortem inferre, minimè dubitandum est, secundum se totam venenam gestare. In secundo problemate non pauca etiam difficultates sunt; nam quidquid in animalibus est viuentibus, calidum sensu ipso apparet, & dicebat Auerr. 5. collect. calidum animalium actu esse non tantummodo potentia, quia plantarum est tantummodo potentia. præterea si frigidum venenum reperiretur in animalibus, necessarium esset, vt esset in quarto gradu, quia nõ solum frigiditas, quæ minus ætina est, verum etiam & caliditas opus est, vt sit in quarto gradu, si debet interimere: iam verò qui fieri potest, vt putemus in animali viuo & calente reperiri posse frigus quod in
quar to

quarto gradu fir. ex altera parte non defunt auctoritates, & exempla quæ probant in animalibus frigida venena reperiri. Gal. 4. Meth. cap. 3. manifestissimis verbis scribit, scorpionis venenum frigidum esse. idem 2. de loc. affect. in fine, yperas frigidas esse asserit: Salamandram frigidam esse oēs fere affirmant: vnde Nicander & Seren. Med. dixerūt, etiā præ frigiditate ipsam nō cremari, quod tamen falsissimū est, cum à Gal. in lib. de com. med. 2. loc. habeatur medicamēta, in quæ ingreditur salamandra combusta. præterea torpedō venenat sua frigiditate, quandoquidem non solum suo tactu, verum etiam per media retia stupefacere cōsuevit ipsos pisces: vt his omnibus facile intelligi possit, etiam in animalibus viuētibz reperiri venena, quæ frigida sunt: nisi etiam illud accederet, quod cum hæc venena curentur antidotis calidis, certum signum esse potest, venena esse frigida. Pro dissolutione huius difficultatis dicendum est, aliud esse, animalia interimere veneno frigido; aliud esse interimere & frigida esse. frigido veneno minime animalia possunt perimere: quia nulla in viuente corpore potest esse vtiq; adeo insignis frigiditas quæ enecet: sed illud verum est, posse animalia venenata vi interimere, & tamen frigida esse: sed quod conspicitur in animalibus prædictis, quæ frigida quidem sunt, sed non frigiditate interimunt, verum alia vi: neq; valet, quod aut curentur remediis calefacientibus, aut quod sequantur effectus frigidi, quia calefacientia adhibentur, quoniam euacuant & consumunt materiam venenatam: & si frigidi effectus apparent, non est mirum, quoniam etiam à calidis venenis fiunt tremores & rigores, vt dicebat Auicēn. 6. quarti. tract. 3. cap. 21. vbi inquit aduersus Rasem, ex veneno viperæ fieri effectus frigidos, quoniam ab eo strangulatu calor natiuus, quo strangulato deinceps apparent effectus frigidi. Erat tertium problema, cur natura non fecerit venena odoribus, & saporibus ingratis; nam etsi vt ait Aristot. 1. sect. probl. 42. multa sūt venena grauibz odoribus, &

saporibus prædita, sunt tamen & aliqua, quorum neque sapor, neque odor ingratus est, ut est cicuta cuius sapor subdulcis, venenum illud quod Ephemerum & Colchicon vocatur, quo vsus esse Medeam scribunt, vsque adeo gratum & iucundum est, ut dixerit Dioscorides sese propterea diligenter eius descriptionem attulisse, ne voluptate illius homines tracti deciperentur: debebat autem natura, si sollicita est salutis humanæ, ita efficere omnia venena, ut neque ab eis decipi, neque delectari homines possent. Dicendum pro solutione, naturam minimè produxisse venena ad perniciem, sed tantummodo vel propter vsus artium, vel quia remedia sunt, ut iccirco iure non fuerit vsque adeo sollicita, ut omnia venena ingratis odoribus, & saporibus produceret. accedit & alia ratio quam attulit D. Basilus in 5. homilia supra Genesim, quod natura dedit homini rationem, & discursum, cuius ductu possit optimè discernere vtilia ab inutilibus, lethalia à salutiferis, & consequenter absque adminiculo gustus, atque odoratus sese à venenis tueri. Erat quantum problema, vtrum possint in corpore nostro venena perinde lethalia generari quemadmodum fiunt extra corpus. Galen. 6. de Loc. affect. 5. manifestissimis verbis dixit, semen retentum, & menstruas purgationes venenum euadere. sunt & multæ aliæ experientiæ, quæ hoc idem demonstrant: constat enim menstruas mulieres venenare specula, segetes, ut dixerit Columella, mori omnes herbas si per hortum mulier inambulet, dum sibi menstrua profuunt. est quoque & illud certissimum, quod omnes hi qui aliquando concumbunt cum mulieribus mensuris laborantibus, lethaliſsimos sæpè morbos contrahunt, sæpius autem leprosi euadunt: quò fit ut tempore Hesiodi atque etiam apud Hebræos, fuerit lege vetitum ne viri in eodem balneo versarentur in quo mulieres menstruatae, & ne cum ipsis habitarent, ut verissimum sit quod dixit Solinus, Plinius, & alij, sanguinem menstruum interdum euadere purum venenum. his ratio-

rationibus facile colligi potest, venena etiam in corporibus nostris generari. Sed ex altera parte, videtur a ratione alienum esse, ut in corpore nostro fiat venenum. nam si fieri debeat, cum auctor omnium sit calor, vel fiet a calore nativo, vel a præternaturali: non a nativo, quia hic semper auctor est vitæ & salutis, non autem veneni aut perniciosi; non item a calore præternaturali, quia nihil agit supra potentiam propriam: vis autem veneni maior est quam facultas, aut potentia caloris præternaturalis, ideo non videtur rationi consentaneum, ut a calore præternaturali producat: nec quidquam valet, quod semen retentum putredinem venenatam concipiat, quoniam id si verum esset, quot sunt virgines, quot sunt homines, qui cum abstinere ab usu venenis: tamen nullum detrimentum incurrunt: quia etiam si abundet semen, usque adeo benigna est illius materia, ut minimè credibile sit, conuerti posse in materiam veneficam. accedit etiam si quandoque nimis exerceat copia seminis, naturam consueuisse illud expellere per nocturnas pollutiones, quibus fortasse tentatur vnus homo & non bruta, ut dicebat Arist. in Probl. quia cum vnus homo copiosissimo semine abundet, natura voluit ut copia expurgaretur per hanc viam, ne noceret: non autem causa est, quam proposuit Aristot. scilicet quod vnus homo dormiat super dorsum, & non bruta. Dicendum ergo pro huius difficultatis explanatione, venenum fieri in corpore nostro, duobus modis intelligi posse, vel quod fiat verum venenum, vel quod fiat res similis illi: fieri verum venenum propter antedictas rationes absurdum est: fieri autem rem illi similem, est rationi consentaneum, atque hoc pacto locutum esse Galen. 6. de Loc. affect. facile videri potest, si Græcus contextus & non Latinus inspiciatur: siquidem verba Galen. ita sonant, qualitatem similem veneno generari in corporibus nostris ex semine & spermate retentis. porro hæc similitudo in tribus posita est, primum in celeritate mortis, quoniam æque citò interimuntur

homines ab humoribus, qui generantur in corporibus nostris veneno similes, ac illi qui necantur à veneno lethali. Gal. 3. Epid. com. 3. text. 75. disputans de quodam phrenetico, qui tertio die obierat, inquit illum non interisse propter phrenitim; sed propter prauos & lethales humores, qui ita cito iugulant, quemadmodum lethalia venena, non copia, sed qualitate occidunt: in altero consistit similitudo, quoniam sicuti vera venena grauius symptomata adferunt, & dolores, & hypothyrias, & dementias, & infinita alia: sic quoque humores prauis in corpore nostro geniti, & similia, & maiora his inducunt. Tertio consistit similitudo, quia sicuti venena vera corrumpunt & putrefaciunt corpus nostrum, haud secus etiam & humores huiusmodi corrodunt & corrumpunt vniuersum corpus: adeò vt perspicere possit, magnam similitudinem esse, inter humores paucos, qui fiunt spontè in corporibus nostris, & inter ipsam venena. Erat quintum & postremum problema, cur sit, quòd animalia venenosa non verminant, hoc est, in ipsis non producuntur vermes; nam vt antea dixi, fuit sententia Senec. 2. nat. quaest. capite trigessimoprimo, iccirco apparere non verminare huiusmodi animalia, quia postquam tacta sunt fulmine, incipiunt verminare: eò quia à fulmine deletur tota vis venefica. In hoc nouo problemate dicendum est, propter duas causas in huiusmodi animalibus venenosiss non generari vermes: vna est, quia in ipsis deest materia apta generationi horum animalium; nam fiunt vermes animalium ex excrementis, & praesertim crudis & inconcoctis: in venenosiss autem animalibus omnia excrementa sunt & cocta, atque etiam ea vi praedita, vt minime possint esse apta generationi animalium: atque id probatur, quia excrementa animalium venenosorum non foetent, immò verò vbi habitant serpentes, & vbi deponunt fenestram, solet potius fragantia quaedam sentiri quam foetor. Cur autem excrementa horum animalium non foetent, est, quia non sunt voracia, tantù cibi sumunt,

quan-

quantum possunt cōcoquere, & ferè tota hieme latent sine cibis: alia causa est, quia cum venies producatur à calore quodam commoderato & viuifico, hæc animalia venenosa aut sunt frigidiora, aut calidiora, quam vt possint in ipsis habere calorem viuificum: possumus his addere, in huiusmodi animalibus, sicuti est proprietas quædam inimica vitæ iam factæ: pari pacto adesse aliam proprietatem inimicam vitæ futuræ. Sed qui fit vt postquam hæc animalia fulmine tacta sunt (si verum est) omnino à veneno liberentur: nam deberet potius contrarium euenire ex sententia Senec. qui libro eodem cap. 33. loquens de gen. & vi fulminum, inquit, ea præter alias mirandas operationes illud habere, vt in corporibus, quæ ab ipsis tanguntur, relinquunt pestiferam & lethalem auram: id quod probat, tum quia vnguenta & olea tacta à fulmine terribissimo odore afficiuntur, tum quia yhiu ab eodem congelatum, vbi ad propriam & antiquam consistentiam redit, si poterit demeritat & exanimat homines: quasi perniciosissima & exitiosissima vis sit quam relinquit fulmen in rebus tactis. hæc si vera sunt, quomodo verum est venenum animalium extingui à fulmine? Pro explicatione huiusmodi repetendum est memoria, quod alias dixi, scilicet venena eam habere naturam, vt in corporibus veneno priuatis exitiale damnum adferant: vbi autem venenum aliud reperiunt, potius oppugnant contrarietate naturali quam habent inter se venena: quare cum fulmina propter sulfur, & alias graues partes ex quibus constantur, habeant in se vim venenosam, in iis animalibus, quæ prædita sunt veneno, contendunt aduersus illud, & expugnant: in aliis autem corporibus, in quibus simile venenum non reperiunt suas vires venenosas

relinquunt.

¶

¶ tr. m

Virum venenum à veneno extinguitur, & alia quadam pulcerrima dubia. Cap. XV.

RVSVM ex iis quæ diximus, oritur altera dubitatio, an verum sit venenum à veneno extingui: & ratio dubitationis est, quæ Aristot. 8. de Hist. animal. cap. 29. (vbi multa præclara habet de animalibus venenum iaculantibus) scribit, si animal venenatum ederet aliud animal venenosum multò exitius euadere illius venenum, exempli gratia, si anguis edat scorpionem, inquit Aristoteles, multò valentius euadere anguis venenum: quod quidem signum est, venenum in corpore animalium non profligari ab alio veneno: & vt huic tractationi finis imponatur, duo quoque addam problemata, ad prædictam speculationem pertinentia. Vnū est, cur sit quod quemadmodum scribit Aristoteles loco citato, suæ minimè omnium læduntur à scorpionibus: alterum est, vtrum quemadmodum complura venena reperiuntur inimica homini: sic possit reperiri homo, qui sit aliis animalibus venenum, ita vt alia animalia interimat. Pro solutione prioris difficultatis dicendum est, magnum discrimen esse inter venena animalium, & aliarum rerum: quia venena aliarum rerum habent naturalem antipathiam & inter se, & cum venenis animalium. Cæterum venena animalium, & si in aliquibus inter se differunt, habent tamen conuenientiam, quod omnia sunt coniuncta calori, viuenti & actuali, quod fit vt quemadmodum sese expugnant cætera venena ob antipathiam: sic venena animalium ob huiusmodi similitudinem in sese conuertuntur: & quia nutritum augetur semper à nutrimento, ea propter non est mirum, si venenum animalis nutriti alio animali venenato exitius & immanius euadit, quemadmodum magnus Aristot. docuit.

Sic

Sic enim responderi etiam poterit. Cur sit quòd si vipera commordeat viperam non venenat, neque scorpio scorpionem, quia propter hanc similitudinem caloris innati potius seruantur, & efficaciora euadunt, quam vt lædantur. atque sic huic difficultati satisfactum sit. Cur autem sues non lædantur à morfu scorpionis, aut lædantur minus quàm alia, puto rationem esse, quia ipsorum coria ita crassa, & dura sunt, vt non facile possit virus animalium illa permeare, & propterea si commorfi ingrediantur statim aquas, moriuntur inquit Aristoteles: quia ab aqua molle factum corium, facilius admittit vim pestiferam morfus. Sed dicit quis, si hoc verum est, deberent & elephantes, & boues magis esse liberi à scorpionibus quàm sues, & probatur, quia Aristot. 5. de Gener. anim. 3. loquens de pilis animalium, & comparans pilos suum pilis bouum, dicit pilos elephantis, & bouis esse tenuiores, quia coria eorù sunt densiora, quàm suum, & ideo excrementa quæ exeunt per densiores meatus sunt tenuiora, quàm quæ per laxiores. Respondendum est ex Aristot. 10. problem. 23. vbi quærens rationem, cur sues hieme pilos non amittunt; præter alias causas apponit & hanc, quod calidissima animalia sint, & multam habeant pinguedinem circa ipsam cutim: quæ etiam causa esse potest, cur venena scorpionum non penetrant intima horum animalium, quia præterquam quod sint calidissima, habent corium crassum, & subius hoc gerunt multam pinguedinem, in qua facile extinguitur vis venenata scorpionum antequam ad cor penetret. Ad postremum dicendum est, id quod præclare nonnulli determinarunt, scilicet hominem, aut sanum esse, & inculpatum, aut aliqua mala valetudine præditum: homo sanus fieri non potest, vt alicui animali sit venenum: & ratio est, quia huiusmodi homo medius est inter omnia animalia, ita vt temperatus iure vocetur: sed homo aliqua graui, & peregrina infirmitate affectus, potest venenum esse alicui animalibus, vt dicit Auicenna lib. 8. de Animal. cap.

2. se vidisse hominem qui commorsus ab animalibus venenatis ea occidebat, ita ut quod statim ac venenata animalia ipsum commordissent, protinus extinguerentur: quod quidem mens sententia alia ratione fieri non potuit, nisi quod corpus eius erat aliquo tabo, seu pravo humore infectum, ita ut animalia illum humorem gustantia illico obirent. dicit enim Aristoteles loco citato salivam hominis esse venenum canentium animalium: multo magis, dicit Gal. 3. de Simpl. medic. si saliva illa sit hominis ieiuni, & male affecti. sicut igitur saliva est venenum alijs animalibus: pariter potest fieri, ut humor quidam salivofus in toto corpore alicuius hominis generetur, qui non aliter interimat venenata animalia, atque saliva oris. Sed tempus est, ut signorum tractationem aggrediamur.

De signis venenorum.

Cap. XVI.

VETERES, qui medicinam docuerunt, tam Græci, quam Arabes, diligentissimi omnes fuerunt, in docendis omnibus causis, & signis venenorum: siquidem sine his in medicina nihil sciri potest: insistens ergo & ego eorum vestigijs in tradendis his, utar ea diligentia, ne res vllæ necessaria circa eadem à nobis omittantur. Signa venenorum, alia sunt quæ indicant illa antequam sumantur: alia quæ demonstrant quo tempore sumantur: alia quæ docent postquam sumta sunt. hæc postrema sunt signa morborum venenosorum: & vel sunt particularia, vel vniuersalia. Vniuersalia vel sunt diagnostica, vel prognostica. quæ significant venena antequam sumantur, omnia sunt arcana quædam, quæ potius constant experientia. quam vlla ratione euidenti: eò quod vbi venena porriguntur à nefarijs hominibus, ita occultantur, ut non possint facile cognosci. Tria tamen signa ea produunt; vbi in mensam apposita fuerint. Vnum est cornu

cornu serpentis, quod si teneatur in mensa, quo tempore venena ibi sunt, dicunt secreta quadam nature conditione protinus sudare, vtrum autem hoc fiat vel antipathia naturali, vel quia vapores venenati cornu attingentes condensentur in sudorem, non admodum refert vt disputem: aliud est auricalchum, ex quo si fiant vasa, & teneantur in mensa, vbi venena eo deportantur, dicunt illa varios statim colores contrahere. Tertium est smaragdus, qui si habeatur in manibus, & offerantur venena, statim viriditatem propriam amittit, & alium colorem acquirit. hæc tria sunt quæ solent Medici proponere ad cognoscenda venena occultata priusquam fumantur. Vt autem cognoscantur venena animalium venenosorum, priusquam homines ab ipsis percutiantur, signa tantum capiuntur ex adspectu, odoratu, & locis: adspectu, quoniam si horrenda & peregrinae formæ animalium videantur, semper suspicandum est de veneno. pariter vbi graues odores ex animalibus spirant, semper timendum est vim aliquam veneni ipsis inesse: demum perspicienda sunt loca, quia vbi sunt cauernæ & antra inaccessibilia, significatur ibi posse esse animalia praua & venenosa: narrat Aelius Promotus & plerique alij esse quasdam arbores, sub quibus animalia venenosa habitare delectantur, vt sunt pinus, picea, quercus, cupressus, nux, buxus, & huiusmodi alia: ideo vbi videbuntur huiusmodi arbores & sub his animalia reptare sentiantur, semper suspicandum est ea animalia venenata esse: atque hæc sunt signa venenorum, priusquam corpus humanum ingreditur. Quo tempore fumuntur venena, habentur quoque & alia signa, in quibus debent Medici diligentes esse, & hæc fumuntur ex odoratu, gustu, tactu, & visu. Ex odoratu, quia si sit cibus grauis alicuius, & tetri odoris, timendum est de veneno: pariter si sit ingrati, & peregrini saporis: à tactu capiuntur signa, quia si cibo assumpto, aut potu, statim appareant rosiones, tormina doloris, verendum est venenum esse haustum: & eo magis

si color cibi, aut potus fuerit vel albus, vel luteus, vel niger, vel rubeus. Postquam autem accepta sunt venena, sunt quædam signa proposita nobis à Galeno 6. de Loc. affect. 5. vbi disputans, vtrum possint certa signa haberi venenorum assumtorum, inquit hæc esse, quotiescumque homo sano corpore, sanæ mentis, temperans in victu, absque vllis prauis humoribus repente moritur: & præsertim si post mortem eius cadauer aut liuidum, aut nigrum, aut rubris & varijs maculis confersum fiat. aliud signum propositum à nonnullis est, & præsertim à Plinio lib. 2. cap. 63. vbi etiam locutus est de causâ finali venenorum, cadauera interemptorum veneno non tentari, neque à feris, neque ab auibus: cuius ratio est, quia venena siue calida, siue frigida sint, congelant & exsiccant dulcem illam humiditatem, qua feræ delectatæ solent prosequi cadauera: nisi etiam dicamus à cadaueribus exire quosdam prauos & insuaues halitus, qui cum sentiantur à feris & auibus, fugiuntur; veluti & illa loca auerna quæ prauas exhalationes spirant. sed hæc Galeni, & aliorum signa pertinent tantum ad defunctos veneno. Quibus indicantur morbi venenosi, multa signa proponuntur ab Aetio lib. 17. cap. 47. multa quoque & ab Auicenna, & ab Aelio Promoto, hæc autem omnia nihil aliud sunt, nisi effectus quidam qui contingunt hominibus corpore & mente sanis post acceptum cibum & potum. sunt autem hæc syncope, palpitatio cordis, vomitus prauus, reiectio sanguinis tetri, singultus, tremor, stupor, impedimentum vrinæ, excretiones rerum frigidarum, pulsus defectio, feruor totius corporis, frigus, maculæ variæ circa corpus, tumor, apparitio papularum, mordicatio ventriculi, rosiones intestinorum, dolores, quos dicit Gal. 6. in 6. Epid. com. 5. malignos. hæc sunt signa, quæ demonstrant morbos factos à venenis deleterijs ore acceptis. Cæterum venena quæ ab animalibus exculantur alijs indicijs solent cognosci: nam huiusmodi animalia, vt optimè docuit Promotus, venenum inferunt

runt aut morfu, aut aculeo, aut sputo, seu salua: quodcumque enim animal venenosum fuerit ex nobis cognitum, vno horum modorum necessario venenat. quatuor autem signa huiusmodi venenorum inuenio apud Gal. in lib. de cibis bonis & malis succis cap. 1. vnu est mortificatio partis percussae: alterum est putrefactio: tertium inflammatio: quartum dolor. vbi enim haec signa apparet post percussione vel morsum illatum, statim habendus est affectus pro venenoso, maxime si praeter haec appareant aliqua ex ijs, quae venena ore accepta consequuntur. atque haec signa vniuersalia sunt. Particularia vero, vel indicant genera subalterna, vel species specialissimas: de postremis tractabo in particularium tractatione: nunc videamus tantum ea signa, quae indicant genera venenorum subalterna: imprimis si venena illata vel accepta, fuerint ex ijs quae proprietate sola interimunt, vt dicit Auicennas, cognoscuntur, quia statim cadit pulsus, virtus deficit, accedunt palpitationes & syncope absque omni alio genere signo. Si autem sint ex ijs, quae non solum proprietate, sed etiam manifesta qualitate interficiunt, aut sunt calida, aut frigida aut sicca, aut putrefactiua. si sint calida & ea inflammatoria, cuiusmodi est euforbium, cognoscuntur facillime, quoniam statim aderit summum faucium incendium, rubor ingens vniuersi corporis, & praesertim vultus, faucium, sitis inextinguibilis. si calida sint corrosiua, praeter signa praedicta, adest corrosio oris, ventriculi lacinatio, tormenta intestinorum, excretiones sanguinea, & ore, & aluo, & vesica. Caeterum si frigida venena sint, vt est opium, cicura, scribit Gal. 8. de Plac. Hippoc. & Plat. 7. vbi frigidatum corpus est a veneno, statim amittit sensum arteriarum, neruorum & musculorum, & si viderit aliquis apud Platonem in Phaedone, quae post epotam cicutam Socrati contigerunt, primum impotentia quaedam mouendi crura, deinde refrigeratio, adeo vt inter praecipua frigidi veneni signa, sit stupor, seu immobilitas, frigiditas, & somnus ferè

inexcitabilis: adest etiam in nonnullis dementia quaedam, ut in ijs qui sumserunt mandragoram, vel alterum. si venenum sit siccum, ut est calx, cognoscitur & siccitate oris & siti, unde qui percussi sunt à dyplade serpente, inter alia vexantur siti incredibili, propter siccitatem illius veneni. Si venenum sit ex genere strangulantium, ut est gypsius, ut sunt fungi, cognoscitur, quia statim spiritus impeditur. Sed si venenum putrefactorium sit, febre putrida, egestionibus, sudoribus, & excrementis valde fetentibus cognoscitur: atque tot sunt uniuersalia signa diagnostica. Prognostica autem pauca sunt, quia vel lethalia, aut salutaria sunt: lethalia hæc sunt, si venenum ex corpore nullo modo exeat, neque per vomitum, neque per aluum, neque alia ratione: si accidentia perseuerent & augeantur: si remedia nullum fructum adferant: spes omnino nulla est & mors propinqua, quoties unque syncope perdurat, refrigeratur corpus, sudores frigidi sunt, pulsus deficit, oculi sursum contorquentur: nam scribit Aristot. 4. Problem. 1. eos qui morituri sunt cito oculos conuertere sursum, eo quod calor expirans, & exiens per partes superiores eiusmodi partes attollit. Sed hæc ratio valeat quantum potest. Signa verò salutaria sunt, si venenum exierit vel vomitu, vel secessu, vel si non exeat, salutare tamen erit, si accidentia omnia remittantur, & remedia adhibita aliquem fructum adferant. Sed video dicturum aliquem: Si venena è corpore non exeant, cum eius naturæ sint, ut numquam à calore natiuo superari possint, quomodo fieri potest ut accidentia eorum remittantur? potest hoc contingere propter duas causas: propter vnam, quia ab antidoto facta sit vis mortifera veneni, & quod remansit purum sit excrementum & iners; propter aliam rationem potest hoc fieri, quod venenum à facultatibus naturalibus cuiusque membri, præsertim cordis, amandetur in aliquam partem longinquam & ignobilem, ubi tandem spontè consumatur aut saltem rem aneat: inefficax & innoxium: vel potest venenum amandatum

mandatum à partibus nobilibus commiscei excremētis, atque ita paulò post, aut etiam longo post tempore exire. fat est numquam posse permutari, & vinci ab ipsa natura. Atque hæc de venenorum signis dicta sufficiant.

De præseruatione à venenis per victus rationem. Cap. XVII.

PARVUM sanè utilis esset hæc nostra longa speculatio; nisi cognosceretur ratio evitandi detrimenta venenorum: quæ in duobus potissimum collocata est: in vno, vt diligenter præseruentur corpora à venenis: in altero, vt si forte fortuna corpus humanum sit veneno percussum, à malo & ab imminenti nece vin dicetur. Præseruationis ratio duo adhuc capita habet. Vnum vt caueatur ne venenum corpus ingrediatur: alterum est, ne venenum ingrediens corpus perturbatio nem, aut noxam vllam inferat. primum consistit in optima rerum non naturalium administratione; alterum vero in vsu aliquorum remediorum. Quo ad primum, in effugiendis venenis illud est procurandum, vt circa aerem summa custodia habeatur, vt scilicet fugiatur aer pestilens & venenatus, fugiantur spelunca, antra, tyri, seu foueæ frumenti, montes; nam circa hæc omnia loca solere habitare venenata animalia, & Nicander & experientia docet. sic etiam fugiendus est aer cubilium, vbi carbones sint incensi, vbi suspicio sit suffumigiorum venenosorum, neque spectandi, neq; contrectandi sunt serpentes, buffones, rubetæ, scorpiones. Cæterum quia interdum contingere solet, vt homines cogantur habitare, aut versari in ijs locis, in quibus possunt vel esse, vel fuisse animalia venenata, Nicander, & Dioscorides tria docuerunt: vt ab his locis fugari possint huiusmodi animalia. Vnum est vt fiant suffitus ex rebus accom-

modaris, vt esset cornu cerui, damæ, bitumen, lapis gages, & alia. galbanum & cedrum laudauit Virgilius hunc in vsum. alterum documentum est, vt sternantur super hæc loca herbe huiusmodi animalibus inimicæ, vt est organum, serpillum, solanum, abrotanum, al-phodelus; huiusmodi enim herbæ & aliæ ea vi pollent vt si substernantur, animalia venenata abigant. Tertiū est, vt corpora hominum, aut ipsa loca vnguentis accommodatis illinantur. multa enim proponit vnguenta Nicander & Actius, & inter alia vnguentum rosatum. nam cum odores sint, vt dicebat Aristoteles, exhalationes quædam siccæ & calidæ, proculdubio inimicæ sunt serpentibus, qui maiori ex parte frigidi sunt. circa somnum prouidendum est, vt numquam dormiatur, neq; in locis huiusmodi, nec sub vlla arbore, sub qua solent serpentes habitare, aut à qua exhalationes, pestifera & venenatæ manant, cuiusmodi dixit esse buxum, nucem piccam, cupressum: vitanda etiam est omnis ambulatio in huiusmodi locis, & quia experientia compertum est, aliquos in balneis fuisse veneno extinctos, qui timent venena, cauere ab his debent tum naturalibus, tum artificialibus. circa vestimenta debet quoque diligentia adhiberi, vt continuo tractentur à fidelibus personis. semper diligenter mundentur, nec teneantur in locis vbi vel scorpiones, vel similia possint morari: & aliquando ego curavi istum à scorpione, qui in indusio repertus fuit. in coitu quoq; diligentia adhibenda; vt fugiantur muliæres quo tempore menstruatæ sunt: illud enim compertum est, posse homines huiusmodi vsu veneris venenari. & est inter alia exemplum antiquum de Calpurneo Bestia, qui coitu vxores venenabat, vt diues fieret: vnde rumor erat Romæ: Calpurniū digito interficere vxores. Nec minor diligentia adhibenda est, circa reliquati victus rationem; nam alia circa cibos & potus, alia circa instrumenta, alia circa ipsos ministros obseruanda sunt. Circa cibum & potum, in primis summa diligentia habenda est: circa ciborum genera

genera ; deinde circa præparaciones ; tum circa odores & sapores ; postremo circa tempus & modum . Circa genera debet ille , qui timet venena , abstinere ab usu eorum ciborum , qui & suapte natura , & prauorum hominum a te venenosi fieri solent , vt sunt carnes suffocatae , putridae , fructuum genera rancida , vt nucum nucleorum pini , à ranis potissimum abstinendum , & puto forsan hac ratione veteres non consueuisse edere ranas , quod ex his animalibus aliqua sæpe venenata sint . pariter ab anguillis abstinendum , quandoquidem solent huiusmodi pisces commisceri faciliter anguibus , & consequenter venenari . Inter herbas etiam aliquæ sunt , quæ fugiendæ erunt , quippe quas soleant venenata animalia coinquinare , cuiusmodi est ocymum , quo & generantur , & nutriuntur , & delectantur scorpionès . faniculus etiam huius generis est ; serpentes enim vbi exeunt è latebris cum habeant oculos obductos quadam vligine , docti sunt à natura vt afflicent oculos ipsi feniculo , quo fit vt quemadmodum ipsi fanitatem consequuntur ab illa herba , ita quoque venenum indant : & puto hoc esse illud faniculi genus , quod Florentini appellant baccatum , atque pro venenato habent : à fungis abstinendum est ; scimus enim Claudium Imperatorem ab Agrippina boleto fungo venenatum . debent quoque , qui venena metunt , prudentes esse in fructibus gustandis , vt non gustent eos fructus , quos numquam viderint : nam sunt quædam poma , quæ vti oculis placent , sic perniciofa & lethalia sunt , vt dicebatur de fructu mandragoræ . à succis herbarum aliquantum cauendum , vt à succo lactucæ , porri . nam dicit Plinius lib. 19. cap. 6. Melam quendam equestris ordinis virum , acceptis succi porri drachmis tribus , statim sine dolore exspirasse . aquam frigidam , & vinum frigidum præsertim corporibus calefactis venenum esse , certa experientia constat . sanguine animalium imprudenter non est utendum , quia non solum in ipsis faciliter potest venenum occultari , verum etiã

E

fanguis quorundam vt taurorum suapte natura venenum est. eadem penè solertia vtendum erit in adhibendis cibis vario modo paratis, quandoquidem selesti facile occultant venena huiusmodi edulij : ea propter abstinendum erit ab intinctu, à pastitijs, à tortis, ab omni pultis genere, & potius vtendum erit carnibus assis, quàm elixis, quandoquidem difficillimum est venenare carnes assas, eò quod vbi igne torrentur consumuntur venena, præterquam quod non possunt ipsis facile commisceri : secus autem est de elixis : ea propter ab his quantum fieri poterit abstinendum erit illis, qui timent venena, & multò satius erit vno, vel altero genere cibi vti, quàm varijs & diuersis. peregrini omnes odores, & sapores in cibis suspecti habendi sunt, eò quod vbi externa, & rara qualitas apparet in cibis suspicionem inducere potest, ne facta sit ad occultandum venenum. Quare cibi aut albidiores, aut rubri, aut lutei, aut virides fugiendi erunt : sic qui habent sapores aliquos insignes & peregrinos, vt qui sunt nimium amari, nimium acidi, nimium acres, nimium salsi. De tempore edendi & bibendi illud est omnium documentum, vt qui timent venena numquam cibum aut potum sumant tempore magnæ famis, vel sitis, præsertim cibum, in quo possit esse veneni suspicio : ratio est, quia tunc cibi, & potus ingenti auiditate hauriuntur, vt facile sit imprudenter simul haurire venenum : accedit etiam quod viscera famelica attrahunt auidissimè huiusmodi cibum : & quod dicebat Auicennas, cum hoc tempore venæ sint exinanitæ, facile eas permeat venenum : quemadmodum vbi corpus paltum est, & venæ plenæ, non ita aditus patet veneno. qua etiam ratione impulsus Nicander præcepit, vt illi qui versari debent in locis, vbi sunt animalia venefica, numquã sint ieiuni, sed semper pasti. Modus verò cui etiam attendere oportet, est, vt quo tempore sumitur cibus, illi qui timent, numquam assatim cum impetu cibum, aut potum deuorent, sed prius aliquo tempore in ore detineat,

&

& mandendo huc, atque illuc vertant: sic enim potest discerni, numquid cibus vlla qualitate venenata sit affectus. propter quod commune præceptum est Auic. vt semper priusquam edatur, aut bibatur diligenter os aqua pura abluatur: sic enim potest deinde omnis qualitas venenata facilius discerni, & percipi. Aliud meū documentum hac in re est, vt qui suspicantur venenum dum potāt siue ius, siue vinum, semper ad minus quartam partem rei potæ relinquunt in fundo; & hoc didici auctoritate scriptorum, & ratione. auctoritate quidem, quia Seneca lib. 6. Controu. cap. 4. proponit exemplum cuiusdam mariti, qui eodem poculo venenauerat vxorem, quod ipse hauserat: nam cum prior ille potasset, quod erat in fundo dedit vxori, atque ita ipso incolumi vxor extincta est. ratione etiam hoc didici, quia maior pars venenorum, quæ ore sumuntur, aut est succus, aut puluis, quæ omnia corpora graua sunt & cum non possint optimè misceri, facile fundum petunt. In instrumentis ciborum, & potuum, debet quoque magna cura & studium poni; in primis vasa semper habeantur munda, & deuersa præsertim figulina; nam, vt scribit Vitruuius lib. 8. veteres cum haberent mensas argenteas, stanneas, & figulinas his postremis vti maluerunt quàm alijs: tum quia sua natura sunt salubriora, tum quia min⁹ possunt infici. si haberi possunt vasa illa murrhina à Latinis vocata, à nostris porcellana dicta, optima sunt, quia facta sunt cum aceto, & corticibus ouorum, vt iure existimantur aduersus venena magnam vim habere. Cornu cerui putatur etiam maximè valere ad auertenda venena. & narrat Aelianus lib. 4. de Animal. consueuisse Reges Indorum potare cornibus asini Indici, quod experientia didicissent, illud & aduersus plerosque graues morbos, & aduersus venena mirificè valere: immo verò sum huius sententiæ, ferè omnia cornua animalium vim aliquam habere aduersus venena, & forsàn veteres in vsu habuerunt propter hanc causam potare cornibus animalium.

vndè

vnde apud Græcos dicitur temperari vinū *κεραυνόθαι*,
ἀπὸ τοῦ κεραυτος, hoc est à torru; præterea debet diligē-
tia adhiberi, ne vasa tractentur à suspectis hominibus,
neque teneantur in locis, ybi suspicio sit animalium
venenatorum: nam serpentes omnes delectantur vino,
& facile ingrediuntur vasa, ybi sit vinum, quod post-
modum venenant. narrat Nicolaus Florent. Florentiæ
in monasterio Eremitanorum tempore suo multos
Monachos fuisse peremptos ex potu vini, in quo fuerat
extinctus araneus pestifer ob negligentiam eorum, qui
curam habebant vasorum vinariorum: & quæ dico de
his instrumentis, idem etiam dicendum & de omnibus
alijs. prauitas enim hominum vsque adeo insignis est,
vt necandi innumeros modos inuenerit, lubet vnum
narrare, Ctesias auctor antiquissimus in libro de rebus
Persicis scribit, quandam mulierem Statyræ vocatam
maximè semper timuisse venenum, & omni diligentia
vsam, vt illud euitaret, factum tamen vt quædam alia
mulier eam hoc modo venenaret; cultelli partem alteram
tantum veneno affecit, & deinde coram Statyræ di-
uisit auiculam paruum costam, & qua parte auis tacta
fuerat à veneno cultelli, oblata Statyræ, illicò eam ex-
tinxit, cum interim qua parte auis non fuerat tacta à
veneno, nullum detrimentum ipsi ministranti detule-
rit. quare qui timēt venena non permittant, vt carnes
sibi ab alijs incidantur & offerantur. pari pacto debet
diligentia adhiberi circa ministros, vt eligantur & coqui
& pocillatores fideles & probati, neque vnus habeatur,
sed plures: nam difficilius est vt plures simul conspirēt
aduersus vitam alicuius quàm vnus. ministri etiam de-
bebunt prius gustare omnes dapes, & aduertendum
dum gustant, num mutentur ore, aut oculis, nam ex
his quoque deprehendi potest venenum. vidi quosdam
Magnates curare vt ministri frusto panis tangant dapes
appositas, & deinde modicum panis gustent; vana ce-
remonia est, solum ad pompam inseruire potest. melius
autem aliquo antè tempore prægustarēt ipsæ dapes.
&

& gustantis facies diligenter attenderetur: quare non debentur etiam qui timent venenum ita apud quosuis edere, aut potare, vnicuique enim salutem concedere haud tutum est. Atque hæc prima ratio est præcauendi à venenis.

De præseruatione à venenis per medicamenta. Cap. XVIII.

LIA ratio præseruationis, & forsan nobilior ea est, quæ posita est in vsu eorum remedium, quæ ita præparant corpus hominum, vt à venenis minimè lædantur, siue intus sumantur, siue extrinsecus inferantur. sunt autem hæc remedia partim simplicia, partim composita. simplicia rursus aut externa sunt, aut interna. externa sunt ea, quæ gestata tuentur corpus à nocuentis venenorum. de his loquens Albertus Magnus, scribit Smaragdum, adamantem, topasium, si continuò gestentur, ita vt carnes tangant efficere, ne venena vlla offendant. sed vt liberè dicam, paucam fidem in his casibus soleo adhibere his externis remedijs: multò autem efficaciora existimaui ea, quæ ingrediuntur corpora. sunt autem hæc propè infinita ab auctoribus nobis proposita. potiora autem videntur lapis ille Bezoar vocatus, qui nascitur in ventre cuiusdam animalis cornigeri, & ab omnibus efficacissimum remedium existimatur aduersus venena, bolus armena, terra sigillata inter præcipua numerantur. vincetoxicum vocatum efficacissimum est, raphanus, zedoaria, dictamum Cretense, scordeum, allium. sed præ cæteris inuenio tria magnopere commendata in hunc vsu, vnum est ruta, aliud est citrium, tam fructus quàm semen; tertium est citonium malum. de ruta scribit Athenæus lib. 3. Dipnosoph. Archelaum quendam Regem Ponti consueuisse populos suos veneno interimere, atque ob id eos e-

doctos consueuiffe priusquam exirent domo semper rutam edere, atque ita se defendisse à tyranni crudelitate. refert idem de citrijs experientia probatum esse, homines fuisse venenatos, atque ex ijs fuisse seruatos, qui prius ederant citrium: pariter de citonio narrat, venenum mistum ipsi vires suas amittere, vt non immerito & à Theophrasto, & à posterioribus magnopere aduersus venena commendentur, ruta, citrium, & citonium. Vfus autem horum omnium varius est, quia interdum exhibentur in puluere cum vino, interdum fiunt confectioes & electuaria, interdum succo & liquore præbentur. illud autem commune est, vt si debeant prodesse, vsurpentur semper ante alios cibos. Caterum composita medicamenta tot serè sunt, quot Scriptores habemus: immo multò plura, quia Medici Regum & Imperatorum antiqui, vt inseruirent, & adularentur suis dominis, in nulla re magis fuerunt solliciti, quàm vt eos à venenis tutos reddere profiterentur. prima compositio, & omnium vulgatissima est illa, quæ componitur ex nucibus, ficibus siccis, & folijs rutæ, cui sunt qui addunt salem, alij verò addunt castaneas, vt Auenzoar, & certè magnopere miratus sum sæpè, quomodo Mithrydates ille Rex huiusmodi compositionem tantè aestimauerit, vt in capsula preciosissima eam seruarit: siquidè, vt videre est, vilis admodum & trita est: pillulæ illæ Russi, quæ componuntur aduersus pestem mirificè etià valent ad præseruandum à venenis: sed omnium maxime prodesse putatur Athanasia sic dicta, quod homines reddat immortales, Mithrydatū, Theriacæ omnes.

Dubia circa præseruationē. Cap. XIX.



Æ T E R V M de ijs omnibus remedijs, quæ iuuant ad præseruandum à perniciè venenorum, tria breuiter à nobis vidèda sunt. Vnū erit an conueniāt, deinde qua mēsurā, & quo tēpore conueniāt. circa primū quæstio est, & auarum nostrum

nostrorum temporibus, & nunc etiam magnoperè disputata, nimirum an corpora sana vt defendantur à venenis, vti debeant huiusmodi remedijs, q̄ & Alexipharmaca & alexiteria dicuntur. ex vna parte est Gal. auctoritas, qui lib. 5. de Simpl. med. cap. 18. scribit, dicta medicamenta esse media inter venena & inter corpora, ac propterea sicuti profunt venenis: pari pacto obesse corporibus sanis; vt ex hoc loco facillè intelligi possit, Gal. dā. nasse vsus horū remediorū in præseruatione à venenis. cur enim ijs remedijs præseruentur corpora sana, quæ sibi non conueniūt? Auer. tum in lib. suo de Ther. tum lib. 5. collect. cap. 23. tria memoria digna nobis reliquit, vnum est, quod dū refert hanc sententiam Gal. ei non subscribit, quin potius diuersum quiddā loquitur, quasi dixerit Gal. alexiteria esse media inter medicamēta & venena. vnde autē hac in re fefellerit, ego diuinare non possum. Alterum est qđ dicit alexiteria, seu vt ipse loquitur, remedia bezoartica, minimè esse media inter medicamenta & venena: (eò quia mediū & extremū cum sint eiusdem generis, similia sunt,) sed potius contraria esse ipsis venenis, & propterea minime media esse vocanda. Tertium quod scribit est, medicamenta bezoartica duas operationes habere, alterā vtilem, alterā verò perniciosā: vtilē facere quotiescumq; exhibentur corporibus venenatis: pernitiem autem adferre vbiq; præbentur corporibus sanis: ita vt Auer. sentire videatur, alexiteria seu pharmaca bezoartica minime conuenire sanis: excipit tamen semen citri, quasi hoc vnum inter tot remedia possit à sanis corporibus vsurari. ex altera parte est auctoritas Gal. q. lib. de Ther. ad Pis. 16. scribit, Theriacæ vsus præstantissimū esse ad tuendū corpora sana à facultate venenorū. præterea lib. 1. de Antid. 16. proponit Ther. Democratis. qui inter præcipuas utilitates, quas refert, cōpositionem eā præstare, recenset & hęc, vt tueatur eos omnes qui metuūt venena; hi autem proculdubio sunt homines sani. Adhęc Aetius, Auicennas in libro de viribus cordis, & ferè

omnes alij videntur in hoc conuenire, vt huiusmodi remedia maxime congruant corporibus sanis, vt defendantur à venenorum iniurijs. Est quoque experientia quotidiana, quoniam videmus homines sanos impune alexiterijs vti tam simplicibus, quam compositis. Pro solutione huius vtilissimæ difficultatis reducenda ad memoriam, quæ scripta sunt ab Auerro loco citato, scilicet alexiteria esse diuersorum generum, quoniam aliqua sunt, quæ iuuant contraria qualitate vt frigida in calidis venenis, & calida in frigidis: alia sunt quæ iuuant attrahendo venena, vt caro scorpionis affricata vulnere proprio, attrahit in se venenum; alia verò sunt, quæ iuuant à tota sui substantia, & hæc vel iuuant, quoniam alterant, vt dicebat Galenus, ipsa venena; vel quia expellunt, vel quia corpus & præcipue cor ita præparant, & corroborant, vt venenis maxime resistent. iam verò de remedijs, vel secundum qualitatem agentibus, vel attrahentibus, certum est hæc vsurpanda non esse, nisi vbi iam venenum in corpore est, & de his nulla est dubitatio. De alijs autem quæ à tota substantia profunt sic definiendum, scilicet ea quæ alterant venenum minime continere sanis corporibus: ratio est, quia hæc omnia, aut ipsissima venena sunt, aut saltem magnas partes venenosas habent. vt si venena non reperiant, proculdubio ipsa venenent, huiusmodi autem est inter alia caro viperina, vinum viperinum; nam est certa omnium sententia, & præsertim Galeni, carnem viperæ, & vinum viperinum, magnam vtilitatem præstare tum leprosis, tum yenenatis, & exemplum est apud Porphyrium 4. de Abstinen. ab animalibus vbi scribit, seruum quendam Crateri Medicij dum laboraret lepra immanissima, ita vt carnes ab ossibus abscederent, potato vino in quo extincta erat vipera statim conualuisse. sed & carnem viperæ & vinum ipsius si sanis exhibeatur, compertum est plurimum nocere: ob quod summo iure Dioscorides monuit, vt magna diligentia adhibeatur
in

in conferuandis vasis vinariis à viperis, quasi vinum in quo extincta sit vipera, si poterit à sano ipsum venenum euadat. Cæterum remedia alexipharmaca, quæ iuuant præparando corpus, & ipsum roborando, conueniunt pro sanis, eò quod hæc omnia aut nihil, aut exiguum in se possident veneni. igitur quæ corroborant, & conueniunt sanis corporibus alexiteria, sunt bolus armena, smaragdus, semen citri, & miror quare Auerroes adnumerauerit inter hæc dumtaxat semè citri, cum sint complura etiam alia alexiteria, quæ sanis conueniunt.

Verum Theriaca conueniat sanis, & vinum viperinum. Cap. XX.

SED licet res hæctenus manifesta videatur, dubitatur tamen de nonnullis compositis alexite. iis, & inter alia de Theriaca, vtrum sanis in præseruatione conueniat. Auer. in libro de Theriaca disputans aduersus Auicem. qui dixit theriacam roborare cor, & cõseruare calorem natiuum tribus rationibus conatur probare, eam minimè conuenire. Prima est, quod per theriacam homines nihil à veneno pariantur, quò fit vt videantur similes fieri ipsi veneno: si ergo theriaca facit homines similes veneno, non videtur yllò pacto sanis corporibus conuenire. Alia est, theriacam attrahere venenum, sed omnis attractio fit per similitudinem, igitur theriaca similis veneno, & iccirco non videtur conuenire sanis. Tertia ratio est, theriacam potentissimam esse & maximæ actiuitatis, atque id ex eo colligi, quia venena debellat & minuit. si igitur maximæ actiuitatis est, non videtur conuenire posse corporibus sanis. atque hæc sunt rationes Auer. quibus probare conatus est, theriacam minimè sanis corporibus præbendam esse. Ex altera verò parte sunt auctoritates & Galen. & Auicem. quas attuli; sunt etiam exempla, quandoquidem relatum est summos

B 5

Imperatores Mithrydatem, Marcum Antonium, Neronem, in frequenti usu habuisse eam sine ullo detrimento, immo verò quotidiana experientia docet, eam à sanis corporibus usurpari, vel cum fructu, vel saltem absque detrimento. Pro solutione tria constituenda sunt; vnum est, corpora sana alia esse simpliciter talia, alia verò secundum quid, quemadmodum luculensissimè docuit Galenus in Arte Medica: alterum est, theriacam corporibus sanis exhiberi posse propter duos fines, vel vt conseruetur sanitas, vel vt corpora sana præferentur à maioribus malis. Tertium est, usum theriacæ variari posse, vel secundum sui ætatem, vel mensuram qua capitur. his constitutis in hunc modum definiendum est, theriacam recentem nullis corporibus sanis conuenire: ratio est, quia in theriaca recenti sunt multa medicamenta venefica, quæ cum nondum sint castigata fermentatione, periculum graue imminet ne offendant, & hinc est, quod in theriaca recenti opium solet magna detrimenta adferre. cæterum fermentata conuenit tum corporibus simpliciter sanis, tum etiam sanis secundum quid: conuenit prioribus, vt conseruetur sanitas, siquidem scribit Auicennas quod corroborat & viuificat calorem natiuum, à quo postmodum conseruatur sanitas: conuenit posterioribus vt præferentur à maioribus malis, eò quia proprietatem quandam largitur corporibus humanis, ob quam facillè resistant omnibus grauibz iniuriis. differentia tamen est, quia vbi conseruanda tantum est sanitas, theriacæ dosis minor esse debet: vbi verò præseruanda sunt corpora à grauioribus malis, tunc in maiori copia exhibenda est, atque etiam frequentius: sicuti vbi iam est venenum in corpore, & maior copia & frequentior usus conuenit. His ita constitutis & definitis iam facillè apparet, rationes Auer. exigui momenti esse; nam minime verum est usu theriacæ corpora fieri venenosa; quin potius illud verum est, corpora acquirere quandam proprietatem siue contrarietatem aduersus venena, qua facillè illa

illa superant. Nec valet, quod ait, si non sunt corpora similia veneno vsu theriacæ, fieri saltem similia alexiteriis, & propterea media esse inter venena & alexiteria; quia sunt quidem similia alexiteriis, sed secundum hanc tantum rationem, vt contrarientur venenis, non autem alio modo. quod si theriaca attrahit venena, facit id similitudine quadam arcana, non similitudine substantiæ, & omnium qualitatum: nam sicuti videmus Magnetem attrahere ferrum, & tamen in multis illi esse dissimilem: haud secus existimandum, theriacam attrahere posse venena, & tamen in multis dissimilem esse iis. fateor quidem theriacam esse summæ actiuitatis, vt dicebat Auerroes, veruntamen hæc actiuitas minimè nocet corporibus sanis, sed nocet illis, quorum vires admodum imbecilles sunt, propter quod Galen. lib. de rher. ad Pis. atque 8. Meth. damnabat eam, tum in corporibus calidis, & ficcis, tum maximè in pueris, eò quod in illis facile febres ex eius vsu oriuntur: pueri verò ob virium infirmitatem minimè sustineant magnitudinem actionis ipsius. Sed quid dicemus ad Galenum? qui scripsit alexiteria omnia media esse inter corpora, & venena. puto dupliciter responderi posse in hac re gratiæ: admodum & difficili. Vnus modus est, medium duplex esse, aliud secundum compositionem, seu mixturem: aliud verò secundum operationem. appellatur medium secundum mixturem illud, quod ex extremis conflatum est: medium verò secundum operationem, eò quia facit operationes extremis partim similes, partim dissimiles. iam alexiteria non dicuntur à Gal. media secundum mixturem, sed duntaxat secundum operationem, eò quia habent aliqua ex parte operationes similes corporibus sanis, & naturalibus; aliqua ex parte similes venenis: quod significare voluit Galenus quinto de Simplicibus medicamentis capite decimo octauo, quando dixit, eandem proportionem esse inter corpora, & alexiteria, quæ est inter venena, & alexiteria; & e conuerso. Alter modus respondendi est,

sententiam Galeni (scilicet alexiteria esse media inter corpora & venena,) verificari quidem de multis, sed non de omnibus: atque huic sententiæ adstipulari videtur Auicennas sexto quarti tractatu tertio capite primo, quo in loco duo animaduersione digna scribit. Vnum est, accidere aliquibus alexiteriis, vt sint media inter corpora, & venena: alterum est, huiusmodi sententiam esse cum sapientibus disputandam, propterea quod ex toto non sit verificata. ex quibus verbis Auicennæ potest quisque colligere, minimè verum esse, omnia alexiteria esse media inter venena, & corpora: immò verò, si diligenter examinentur verba ipsiusmet Galeni, primo loquitur in eo loco, non de omnibus alexiteriis, sed de iis tantum, quæ corrumpunt, & alterant ipsa venena. præterea scribit non simpliciter, sed omnia hæc ferè esse media, tum autem nocere cum in magna copiâ sumuntur, vt ex huiusmodi verborum Galeni examine, colligi facile possit, eam sententiam minimè de omnibus veram esse. Cum autem hunc in modum constitutum sit de Theriaca, superest videamus de vino theriacali, hoc est, de vino, in quo extinguuntur viperæ, nunquid scilicet sanis corporibus conueniat, nec ne; conuenire iis, est in primis auctoritas Nicolai Florentini, qui in primo de venenis sequutus Rabbim Moysem & alios, scribit vinum in quo extinctæ sint viperæ frequenter potatû magnopere conducere ad præseruandum à venenis: ratio verò est, quia vinum viperinum, vt docuit Galenus Sectione sexta, sexto Epidemiæ textu quinto, magnoperè valet aduersus venena, veluti & carnes viperæ etiam vtilis sunt, vt huiusmodi ratione probari possit, illud etiam sanis corporibus conuenire; sed ex altera parte præceptum est Dioscoridis, & aliorum, vt diligenter vasa vinaria custodiantur à viperis & serpentibus, ne venenent vinum, & consequenter corpora. accedit etiam quod sicuti vinum solet esse veluti vehiculum aliorum medicamentorum; pari pacto hoc in casu sit vehiculum veneni

veneni ipsius viperæ, ita vt & maiorem perniciem, & celeriore[m] interitum inferat. Hac in re à paucis animaduersa, puto ego hunc in modum esse decernendum. vinum viperinum, aut casu ita fieri aut arte: si casu fiat, proculdubio non conuenit; quia extinguuntur in ipso tota viperæ, & cauda & caput miscentur, neque fit fermentatio, vnde redditur potius vinum illud venenatum, quàm vtile. Cæterum si arte fiat, vt Nicolaus videtur innuere, tunc amputatis amputandis, cum fiat debita mixtio & fermentatio fit consequenter, vt vinum illud vtilissimum etiam pro sanis corporibus reddatur. atque ex his iam colligere licet, omnia alexiteria, vbi corporibus sanis exhibentur, semper in minori dosi esse exhibenda, quàm dum præbentur, vel iam venenatis, vel illis, quæ obnoxia sunt morbis, & in venenatas affectiones vergunt. vnde quoque iam colligere licet, quodnam debeat esse tempus, quo sani possunt vt alexiteriis, nam Rabbi Moyses vigesimo secundo Aphorismo loquens de smaragdo, inquit, eum sanis corporibus exhibendum quo tempore ventriculus vacuus est, & iam consummata est omnis concoctio, eo scilicet pacto, quo Galenus libro de Ther. ad Pisonem capite decimosextimo præcipiebat, vt theriaca sumeretur cum celebrata est ex toto ciborum coctio, & quod dicimus de theriaca, & smaragdo, idem decernendum est de quocunque alexiterio: & ratio est, quia si hæc remedia sumerentur, cum cibus est in ventriculo, proculdubio aut is corrumpetur, aut ipsorum virtus à cibus heberaretur. atque

hęc de præseruatione
dicta sint.



*De curatione vniuersali venenatorum ab
animalibus, & de temperamento
serpentum. Cap. XXI.*



S Venenum iam in corpus assumptū fuerit, duplex erit ratio curationis, alia vniuersalis, alia verò particularis vniuscuiusque speciei. vtile autem erit vniuersalem curationem prius cognoscere, quoniam ab hac multa ad particularem deriuabunt. quia verò, vt sæpè dictum est, venenorum alia ore sumuntur, alia extrinsecus inferuntur, initium sumam à curatione eorum venenorum quæ extrinsecus inferuntur. Inuenio autem huiusmodi venena communicari corporibus nostris trib. modis, aut morfu, aut expuitione, & afflatu, aut aculeo. morfu inferunt venena in primis serpentes, deinde rabie efferata, de quibus cum tractatio nostra sit, non erit opus eam inutiliter repetere: expuitione verò & flatu aspides, qui dicuntur pryades, basiliscus, quem tamen Galenus se minime vidisse scripserit, grauiissimi tamen scriptores eum reperiri, & halitu, ac visu interficere scribunt: & ego dum apud Imperatorem Maximilianum essem, vidi cadaver basilisci, quod hæcenus in thesauris eius seruatur. inferunt venenum aculeo omnia aranearum genera, vesperæ, apes, & quanquam hæc animalia diuersimode venenare videantur, illud tamen commune habent, vt ipsorum venena tota substantia potius, quàm qualitate interimant. neque valet quod Galenus scribit libro quod animi mores. capite tertio, in fine, aspidis venenum frigidum esse ac perinde afficere, atque cicutam, quia refrigerant quidem omnes serpentes, vt infra dicitur, sed non interimunt frigiditate, verum proprietate naturæ, & tota substantia. Modus verò, quo ab huiusmodi animalibus inferitur venenum hic est, animalia, quæ morfu venenant, virus venenosum gestant in

vesica

vesica quadam subtus linguam, qua rupta emanat quidam ichor saluosus, qui vbi corporib. infigitur, ea venenat, quod voluit significare antiquissimus Nicander, quando scripsit venena serpentum contineri in cute: modus verò quo frangitur hæc vesica, vt ego inuenio, duplex est; vnus quando mordent: vbi enim mordent cum corpora contrectent huiusmodi vesiculam, illa frangitur, quod tamen fit diuersimodè, quia serpentes semel hæc quatuor dentibus; mares autem duobus solum mordent. alter modus, quo frangitur hæc vesicula lingua, est compressio; nam comprimitur illa ab his animalibus, ita intentè vt frangatur, & virus, ac salua emanet: sic puto aspidem, pyradem expuèdo venenare, quia sic disrupta hac veneni vesicula illud eiaculant, & quadam arte profundunt. hæc, vt dixi, videntur esse communia omnibus animalibus venenum iaculantibus. Cæterum priusquam curationem aggrediar, nonnulla de serpentibus notatu digna sunt præmittenda. primum est, hoc nomen serpentis apud scriptores, & communiter & propriè accipi solere: communiter accipitur non solum pro serpentibus propriè vocatis, verum etiam pro scorpionib⁹, & araneis, vt est apud Cornelium Celsum pro lacertis; inuenio etiam & Plinium & Apul. appellasse pediculos serpentes, vbi scribunt Pherecidem Syrum Pythagoræ præceptorem serpentibus periisse; quem tamen constat pediculis esse enecatam. propriè serpens accipitur pro animali sanguineo pedibus orbato, & ouiparo, nam hoc proprium serpentis in lib. de Gen. anim. & alibi; sic etiam Gal. de Ther. ad Pis. 8. vt cum nos etiam loquimur de serpentibus, de his loquamur qui sine pedè sunt, & ouipari. Sed de his questio est à nemine exactè tractata & absoluta, scilicet cuiusnam temperamenti sint serpentes propriè sic dicti. Galen. loco citato, quod animi mores &c. manifestè credit serpentes omnes esse frigidi temperamētis; quod etiam colligi potest ex libro 2. de temp. cap. 5. vbi pluribus verbis nititur adferre causam, propter quam ses;

pentibus defunt pili. hanc eandem sententiam habuit
 ante Gal. Plin. lib. 10. cap. 72. habuit Rafis 35. Contin. 3.
 sed præter horum auctoritates sunt etiam rationes: v-
 na est; quia omnes qui venenantur à serpentibus, fri-
 gore quodam mirifico statim tentantur; altera est, quia
 hæc animalia vt dicebat Aristoteles 38. de Histor. anim.
 cap. 15. latent quatuor mensibus in cauernis non alia
 ratione, nisi quia cum frigidi temperamenti sint, non
 possunt sustinere aeris frigus, & propterea in latebras
 terræ vbi calor est, se recipiunt: tertia est, quod si sum-
 ma æstate serpentes & angues omnes tractentur, nemo
 est, qui sensu ipso non experiatur, hæc animalia summè
 frigida esse, vt ex his rationibus, & auctoritatibus facillè
 intelligi possit, eos esse frigidi temperamenti. sed Auic.
 6. quarti. tract. 3. cap. 21. miratur inuentos esse homines,
 qui credid. rint serpentes esse frigide temperaturæ: im-
 mo verò subiungit eos omnes longè se fellisse, qui hu-
 iusmodi sententiã sunt sectati. ad rationes autè propo-
 sitas respondet, non esse mirum si ex morfu serpentum
 oriantur & frigora, & horrores: eò quia cum vi veneni
 natiuus calor extinguitur, fit vt frigus per accidens
 quodam pacto sentiatur. quemadmodum etiam vide-
 mus propter summas inflammationes sequi & gægrenas,
 & refrigerationes, & mortificationes partiũ. pariter in-
 quit Auicennas non valere. quod hæc animalia lateant
 in hieme, quia vespæ, crabrones hiemè quoque latent,
 quæ tamen calidã esse experientia docet. Pro solutione
 huius difficultatis sciendum est, de serpentibus nos lo-
 qui posse, vel secundum partes aliquas ipsorum, vel se-
 cundum totum. si secundum partes loquamur, non in-
 conuenit in ipsis aliquas partes reperiri, quæ calidæ
 sint, vt est fel. sed si de toto loquamur, vt certi hæc de re
 sumus, confugiendum est ad rei ipsius naturam; vt enim
 Aristoteles & experientia docet serpentes sunt quidem
 animalia sanguinea, sed exiguo admodum sanguine
 prædita: iam verò cum omnis animalium calor sit in
 sanguine locatus, quis nõ videt eos necessario frigidos
 esse.

esse, quia paucum sanguinem habent. adhuc fuit sententia Hippocr. quæcunque habent multum caloris, multo etiam nutrimento egere; ut quæ paucò nutrimento opus habent, minus etiam calida sint: iam verò doctrina est Aristot. 8. de Histor. animal. 4. quam etiam secuti sunt omnes, & experientia comprobatur, serpentes paucissimo cibo egere & quatuor mensibus sine cibo viuere; quod præ cæteris, præbat exemplo pharmacopolarum, qui pluribus mensibus seruant in pixidibus viperas, aliosque serpentes sine vilo cibo: quod si verum est, minimè dubitandum est, hoc genus animalis frigidi temperamenti esse. quod cognoscens etiam Albertus Magnus libro septimo de Animal. cap. 4. dixit, serpentes diu viuere sine cibo, eò quod ob frigiditatem humoribus frigidis & viscidis abundant, quibus nutriuntur. possumus etiam addere eos propter sui frigiditatem mirificè delectari vino, atque dum sub sole sunt, huc atque illuc agitari, eò quod illorum frigiditas huiusmodi temporibus sedetur. quare, ut liberè dicam, non possum non satis mirari Auicem. qui, & hic & 2. de Medic. cap. de serpen. vsque adeò in re clara cæcutiuit, ut non viderit, omnia testari serpentibus esse temperamentum frigidum. Sed vtrumque sit, cum venenum horum animalium, proprietate potius, quam qualitate manifesta interimat, iure in curatione instituenda idem Auicem. 6. quarti. tract. 3. cap. 1. quatuor scopos nobis proposuit. primus est, ut calor natiuus corroboretur, quo possit pugnando aduersus venenum illud superare. Secundus, ut viscera omnia roborentur, ne à veneno ingrediente faciliter lædantur. Tertius, ut quam citissimè illud è corpore extrahatur. Quartus, & postremus, ut operationes venenorum frangantur omnino, & deleantur. Sed quanquam quatuor hi scopi sint propositi, differentia tamen est, in consequendis illis, quia licet dignitate prius sit, ut calor confirmetur: ætamen executione prius est, ut quamprimum venenum è corpore extrahatur, & ut prouideatur ne in cor, & in inti-

F

ma corporis penetret. quapropter ybi contigerit alicui commorsum, vel à serpente, vel ab araneo curare, debet statim prospicere, ne venenum in intima corporis recipiatur; quod quia citissime fieri solet, citissime quoque hic scopus adimplendus erit. providebitur autem ligaturis, suctione, attractione, cucurbita, incisione, vitione, & medicamentorum positione. primum autem quod faciendum est, vt si fieri potest, supra partem commorsam tres, aut quatuor digitos arctissime pars ligetur. Galenus enim tertio de Locis affectis septimo narrat, se vidisse dum ruri esset, rusticos quosdam percussos esse à vipera, & statim se arctissime supra partem commorsam obligasse, deinde partem illam amputandam curasse, atq; ita mortem euasisse. sed hæc in rusticis forsitan toleranda: in vrbanis verò omnia prius experienda, quàm pars aliqua amputetur. quod monebat Dioscor. lib. 6. cap. 40. scilicet ad incisionem partis commorsam tantum deueniendum, quando nulla alia spes superest vitæ. itaque liganda est pars, vel si ligari non possit, medicamentis adstringentibus obducatur, vel albimine oui, gummate, sanguine draconis, bolo armeno, atque tum deueniendum est ad exugendam partem commorsam, vt huiusmodi exuctione totum venenum extrahatur, in qua re aduertendum sæpe huiusmodi morsus siue dente, siue aculeo fiant, vsque adeo pusillos & obscuros esse, vt vix conspici valeant. Circa exuctionem Dioscorides nonnulla proponit documenta, consideratione digna. Vnum est, vt qui exugere debet partem commorsam, nunquam sit ieiunus. aliud est, vt semper os prius abluat vino, atq; eo generoso: tertium, vt ore contineat oleum: possumus his addere, vt qui exugere debent, plures sint, & sæpe mutantur: sic enim multò tutius poterit extrahi totum venenum. quod si ori exugenti prius affricata esset theriaca, magna quoq; securitas accederet. sed quia rari inueniuntur, qui vulnera venenata exugere velint, ea propter loco illorum succedunt cucurbitulæ: quæ si vlnerebus commorsorum

lum applicentur, potentissimè extrahere possunt ve-
 nena. proponit Dioscor. & alij quoddam aliud prasi-
 dium loco exuctionis, & est, vt gallus, vel gallina,
 vel palumbus viuui accipiantur, & deplumato po-
 dice vulnere admoueantur: sic enim non solum pro-
 prietate quadam, verumetiam calorifica illius loci fa-
 cultate, fit efficacissima ipsius veneni extractio. verum;
 quia, vt superius dixi, horum animalium morsuræ ob-
 turissimæ, & exiles sunt, operæ precium est locum com-
 morum scarificare, quod fit longis latisque incisioni-
 bus. Vbi autem apertus & dilatatus est locus, diu con-
 seruandus est apertus, & quo tempore cōseruatur, sem-
 per apponenda sunt remedia, quæ vim auxiliarem habent
 ad extrahendum quicquid veneni intus est. sunt
 autem hæc complura apud Medicos, ruta, allium con-
 tusum, dictamus Cretensis, sed omnibus præfertur the-
 riaca, immo verò fuit sententia Galeni vndecimo de
 simplicibus medicamentis capite de dracone marino,
 & libro de theriaca capite vndecimo, singulare prasi-
 dium esse, in omni genere vulnerum venenosorum, vt
 ipsa animalia, quæ vulnus infixerunt, trita ipsi affri-
 tentur, & applicentur, quod qua facultate, & qua vi ef-
 ficiatur, pollicitus est quidem Galenus docere, sed vt ego
 puto non fecit, aut infelicitè fecit. solet interdum
 venenum infictum, vsque ad eò contumax & præceps
 esse, vt non possit etiam hac arte debellari, & iecit
 Aegyptij Medici, in quorum regione venenata anima-
 lia sunt plurima, consueuerunt, vt scribit Auicennas 6.
 quarti. tract. 3. cap. 1. confugere ad ignem, quippè qui
 non solum venena, verumetiam omnia mala expellit.
 modus autem, quo vtebantur igne in his casibus, mul-
 tiplex erat, vt habetur apud Auicennam eo loco. modo
 enim ferro candente, modo fune accenso, modo oleo
 vrente: medicamentis etiam vstoris hoc agebant. Sed
 dubitatio est de theriaca, vtrum vtile sit eam extrinse-
 cus administrare. fuerunt qui omnino negarunt, im-
 pulsi hac ratione, quod theriaca sua facultate fugat, &

expellit venenum; vnde cum venenum internum expellatur a theriaca extrinsecus apposita, dicunt isti, venenum magis, atque magis in cor sese recipere, & propterea periculosum magis euadere. alij volunt theriacam à proprietate ad sese attrahere venenum, & propterea extrinsecus vtendam, quòd virus veneni extrahatur. In hoc dissidio puto ita decernendum, theriacam recentem nunquam extrinsecus apponendam, quia cum adhuc frigida sit ob opium, si non castigetur, periculum imminet, ne venenum intro magis repellatur ob frigus. cæterum iam fermentata utilis est, si extrinsecus apponatur, tum quia facultate quadam attrahit venenum, tum quia si non attrahit, tamen illam potentissimè frangit, & hebetat. vbi hæc omnia facta sunt, solet quoque veneni qualitas, & vestigium aliquod per corpus propagatum relinqui, quod opus est radicibus euertere: iccirco in his casibus, instituenda est in primis recta victus ratio, quam proponam, cum tractabo de venenis interius sumtis; adhuc vtendum est & Chirurgicis, & Pharmaceuticis remediis. Si venenum sit per totum corpus dispersum, atque illud sanguine plenum, fuit Auicennæ sententia loco citato, vtendum esse sanguinis missione, tum vt passim venenum hunc in modum euacuetur, tum maximè vt pabulum ipsi auferatur, hoc est, sanguis ipse: quare vtile erit, modo nihil prohibeat, confugere ad sanguinis missionem. De pharmacis autem hunc in modum constituendum est, quamprimum ad purgationem deueniendum esse, maximè autem confert in hoc casu vsus agarici, quem præter purgandi vim, resistere etiam venenis clarissimè intelligi potest ex auctoritate compositionis theriacæ, atque etiam ex ipso Galeno. sed circa purgationis administrationem duo dicenda: vnum est, in his casibus non expectandam esse humorum præparationem, eò quia humores venenati non possunt ad benignum reduci, sed quamprimum fieri potest è corpore extrahendi sunt, ne huc atque illuc moti

in cor tandem præcipitentur: alterum est, circa initia magnopere cauendum esse, ne vel purgatorio medicamento, vel sectione venæ, vel vomitu vtamur: ratio est, quia si hæc tempestiuus peragantur quam par est, certissimum periculum imminet: ne ab externis partibus in internas venena rapiatur. Sed dicit quis, cur Aetius libro decimotertio capite de veneno viperæ scribit, eos qui morfi sunt à vipera, debere (priusquam vrina appareant cruenta) bibere vinum, & vomere? Respondeo: etiam si hoc præcipiat Aetius, non propter hoc tamen voluisse, vt vomitus statim in principio administraretur, sed tantummodo priusquam signa lethaliissima adsint, & omnis spes sublata sit, atque hæc est vniuersalis ratio, & methodus curandi venena extrinsecus ab animalibus illata.

*De curatione venenorum ore sum-
torum. Cap. XXII.*

IN venenis, quæ ore capiuntur duplex curandi scopus est vt traditur à Gal. lib. de Const. ait. 19. vnus est, vt quam citissime fieri potest venena è corpore educantur: alter est vt vis & operatio eorum, omni ingenio & arte eneruetur. euacuari verò poterunt vel ore, vel aluo, vel vrina, vel sudore. cæterum quia per os ingressa sunt, & multò securius est per eandem partem illa euacuare; iccirco statim ac se offeret aliquis, qui venenum ore sumserit, prospiciendum erit vt illud vomitu euacuetur. Sed circa vomitum instituendum, quinque documenta opus est semper ante oculos habeamus. primum est vt vomitus fiant medicamentis familiarissimis, propterea iure damnatur ab omnibus hoc in casu ellebori vsus: comoda verò sunt oleum, butyrum, copia lactis, decoctio florum genistæ. Scribonius Largus auctor antiquissimus, commendabat vt vomitus concitetur, vel penna, vel loro vomitorio. quid autem sit apud Scribonium

lorum vomitorium ingenue fateor me ignorare, con-
iicio tamen fuisse in vſu apud Medicos, & pharmaco-
polas Iori, ſeu corrigiæ genus aliquod, quod in os im-
miſſum vomitus prouocabat, ſed de hoc forſan in
libro ſexto Variarum lectionum aliquid plus dicam.
Secundum documentum eſt, vt vomitus cieatur iis
remediis, quæ vim emplaſticam habeant: ratio eſt, quia
pleraque venena acia, mordacia, & tenuia ſunt, vnde à
remediis viſcidis & vinctuoſis non ſolum vis ipſorum
mordax obtunditur, verum etiam ipſis vinctuoſis vene-
na adhærentia, & veluti inuiſcata ſicuti minus nocent,
ita feliciter & tutius vomitu educuntur, vnde pingue-
dines, iura pingua vt dicebam, butyrum magnoperè
conferunt, quorum vltimum Auicennas in his caſibus
prætulit cuique alteri medicamento vomitorio. Ter-
tium eſt, vt vomitoria habeant vim incidendi & atte-
nuandi, quocirca iurè commendatum eſt à Medicis li-
xiuium, oxymel, acetum. hæc enim præterquam quod
citiffimè vomitum excitant, ſubſtantias etiam vene-
norum incidunt, & hebetant. Quartum documentum
eſt, vt vomitoriis ſemper immiſceantur aliqua, quæ
vim habeant venenis ipſis reſiſtendi, vt eſt puluis cornu
cerui, puluis lapidis bezoar, ſmaragdi, terræ ſigillatæ,
boli armeni, & aliorum: huiusmodi enim ſi miſcean-
tur, non ſolum ſeruulantur vomitui faciendo, verum
etiam & vi emplaſtica, & vi alexiteria minuunt vires
ipſorum venenorum. Quintum eſt, vomitum non ſe-
mel, neque exiguo tempore eſſe concitandum, ſed tan-
tiſper inſiſtendum, quouſque nulla veneni ſuſpicio re-
maneat, hoc eſt, omnis ſapor, color, & odor venenatus
ſit ſublatus: nec amplius appareat, vel morſus, vel nau-
ſea, vel cruciatus inteſtinorum. ſolent inteſtina citiſſi-
mè à venenis offendi, vt ſcribunt Aetius, Scribonius,
& Auicennas, itaque præter vomitum ſtatim etiam
clyſteribus & ipſa eluenda erunt, vt ſi quid veneni ad
ea peruenit omnino elidatur. ſunt autem clyſteres in
his caſibus, interdum lenes, interdum verò validi & for-
tes

res cuiusmodi laudauit Aetius. leues fiunt ex butyro, lacte, olco: fortes verò ex agarico, chamelæa & aliis. exempla eorum hæc erunt:

R. Lactis vaccini lib. 1. s.
 Olei amygd dulc. vnc. 4.
 Butyri vnc. 5.
 Pulueris cornu cerui drach. 1.
 Salis drach. 1. s.

Misce pro clystere. Item:

R. Chamelææ consolidæ,
 Centaureæ,
 Maluarum ana m. s.
 Agarici in petia ligatidrach. 1. s.

Fiat decoctio secundum artem. deinde

R. Dictæ decoctionis lib. 1.
 Olei dulcissimi vnc. 6.
 Electuarij de dactylis drach. 3.
 Salis drach. 1. s.

Cornu cerui puluerizati drach. 1.

Misce fiat clyster: Si forte venenum ad vrinam pertinere videatur, est sententia Dioscoridis & Auicennæ quod studium conuerti debeat ad vrinam prouocandam: quod cū fieri possit variis remedijs, eligenda sunt mitiora, quæ nihil acrimoniæ, vel insignis caliditatis possideant, vnde & cassiâ magnoperè laudo, & succum seminum melonum, radicem maluæ. & vt habeatur formula horū, quæ in hoc casu possunt prouocare vrinā.

R. Florum Cassiæ drach. 10.

Puluerizentur Glycirhizæ drach. 2.

Misce, & notandum admiscendam glycirhizam in hoc casu, quia, vt docet Mesues, cassia suapte natura nō prouocat vrinam, sed tum demum, si sibi misceantur diuretica, cuiusmodi est glycirhiza, quæ præterquam quod prouocet vrinam habet etiam vim alexiteriam & emplasticam, meritò cuius vim venenorum maxime recundit. si cassia non placeat, poterit sic aliu d d i e r e t i c u m parari;

R. Seminis cucurbitæ vnc. 2.

Radicum maluæ vnc. 1.

Glycyhizæ drach. 1. s.

Seminis Citri scrup. 2.

Fiat decoctio secundum artem. deinde

R. Dictæ decoctionis vnc. 4.

Mannæ electæ vnc. 3.

Succi seminis melonum vnc. 1. s.

Misce hoc enim medicamentum poterit simul, & vrinam, & aluum mouere, & venenis obfistere. Sed quæ dixi hætenus de curatione vniuersali satis aperta, & certa sunt inter Medicos; illud autem incertum est, an in curatione venenorum, quæ potu sumuntur conueniunt medicamenta purgantia. Galenus quidem nulli eorum mentionem facit. Aetius qui diligentissimus fuit semel tantum in cura veneni cerussæ purgantis medicamenti meminit. Auicennas etiam sexto quarti in initio, vbi loquitur de vniuersali curatione venenorum, numquam meminit purgantis medicamenti, ex altera vero parte vbi tractat de veneno arsenici, & calcis, & gypso, & cerussa, aliquam eius mentionem facit. Hunc in modum decernenda hæc puto, venena quantum ex se requirere usum purgantium, quoniam illa semper sunt e corpore educenda, sed quia medicamentis solent magis attenuari, & attrahi ad ventriculum, vbi damna inferunt, eapropter iure usus eorum à Medicis silentio præteritus est, exceptis tamen illis venenis, quæ cum suapte natura adhæreant partibus corporis opus habent aliquo, quod ipsa educat, vt est gypsum, cerussa. quare si interdum vtendum erit his medicamentis, quod fiet quando vel vomitus fieri non poterit, vel dysteres nihil prodèrunt, confugiendum erit ad purgantia. & quanquam Auicennas & Aetius interdum proponant scammoni vsum, agaricus tamen cunctis alijs præferendus est, quia præterquam quod euacuat, & expurgat humores, habet etiam alexiteriam facultatem & vim veneni inimicam, & vt

pur.

purgatorij aliquod exemplum habeatur:

R. Foliorum acetosa,

Pimpinellæ an. m. i.

Florum cord. p. i. s.

Citri,

Zedoariæ an. scrup. s.

Fiat decoctio secundum artem. deinde

R. Dictæ decoctionis vnc. 4.

Agarici præparati scrup. 4.

Infundantur omnia secundum artem. deinde facta diligenti expressione, adde

Mannæ electæ vnc. 3.

Syrupi de cortic. citri vnc. 1.

Misce. præter hos modos educendi venena, est alius qui fit per reuulsionem à partibus intimis ad extimas; hoc autem fit frictionibus, extremorum ligaturis, cucurbitularum appositione, lotione pedum, lixiuio feruenti, usu balneorum præcipuè laconicorum, ac omnium eorum quæ prouocant sudorem. possumus quoque inter hæc præsidiorum genera connumerare auxilij genus quoddam quo Cæsarem Borgiam dum venenat' esset, sese seruasse aiunt, & est, vt vel mula, vel bos exenteretur viui, & intra aluum horum animalium calentem corpora venenata ponantur: habent enim hæc animalia proprietate vitalis caloris, quem adhuc obtinet vim attrahendi venena ab intimis ad superficiem. verum & si hæc omnia prudenter administrata profint, remanet tamen periculum vitæ magna ex parte sublatum; tanta enim est celeritas penetrationis venenorum, vt statim soleant viscera violare, & insigniter contaminare: iccirco Medicus non debet contentus esse, quod subitaneum euaserit periculum, sed simul prospicere, vt quid quid mali impressum est in visceribus emendetur, & deleatur. ad quod agendum conferunt, & ratio victus, & antidoti, seu remedia alexipharmaca, quæ non modo conferunt, in venenis ore acceptis, verum etiam in ijs quæ ab animalibus extrinsecus inferuntur. nam de

remedijs Chirurgicis, quia iam proposita sunt, non est
 ut quidquam reperatur: illud sat sit hic attulisse, quod
 paucissimis verbis docuit Auicennas, scilicet si mittendus
 est sanguis; debere mitti. cognoscitur autem id esse
 faciendum, si corpus venenatum suapte natura sanguinolentum
 sit, & si venena reliquerint accidentia vlla inflammatoria,
 quia ut huiusmodi accidentia aboleantur, & vtile, & necessarium
 est sanguinem mittere. Circa victus rationem, quæ pro
 curatione vniuersali omnium venenorum exigitur, in
 primis prospiciendum est acri, ut scilicet qui venenati sunt
 detineatur semper in locis calidis & siccis, vbi aer purus &
 clarus sit, vbi odores aromatum fiant, & præcipiunt
 ferè omnes, ut habeantur serui sani, & integri, qui
 frequenter halent in os venenati. quod si etiam isti, qui
 expiraturi sunt in os, prius res odoratas mastigent,
 ut zedoariam, folium vocatū, seu malabathrum,
 nucem mirysticam, gariophylos, vtilissimum quoque
 erit in omnibus ferè alijs morbis solet somnus
 saltem moderatus commendari: ceterum in curatione
 venenorum secus est, nimirum prouidendum est,
 ut parcissime quantum fieri potest venenati dormiant,
 & præsertim in initio: ratio est quia oportet
 remedia diligenter, & sollicitè adhibere, quod fieri
 non potest in dormientibus; accedit etiam somno
 venena magis in cor rapi. postremo cum dormientes
 suos dolores, & sua mala non sentiant, nequaquam
 remedia adhiberi possunt, quare prouidendum, ne
 venenati dormiant, sed modò huc, modò illuc
 mouendi sunt, quia corporum agitatione venena
 magis in cutem trahuntur, & magis etiam
 consumuntur. a venere abstinendum est, alius
 lubrica conseruanda. Pro potu autem ut habet
 ab Hippoc. 6. in 6. epid. Com. 5. conuenit vinum,
 acceum, sapa. Ex cibis conueniunt omnes vnctuosi
 & crassi, cuiusmodi est lac, butyrum, oleum, oua,
 cerebella animalium, pedes vitulorum. Ex herbis
 allium, raphanus, borago, buglossa, pimpinella,
 tormentilla, melissa, consolida. ex fructibus
 vero nuxes auellanae, castanea,

neæ, ficus, citria, citronia, & similia Gal. 6. Epid. loco citato adferens rationem omnium eorum quæ proponit Hippoc. aduersus malefica medicamenta, inquit iccirco laudare vsum salis, quia à sale omnia venena extenuantur, & consumuntur: quamobrem vtile erit saltem simplicem, vel theriacalem in frequenti vfu habere, imò laudo vt habeantur aliqua aromata, quæ ferculis inspergantur, cuiusmodi esset:

R. Zedoariæ,

Gentianæ an. drach. s.

Cinamomi,

Gariophylorum,

Nucis myristicæ an. scrup. 2.

Croci scrup. s.

Puluerizentur,

Hyacinthi,

Smaragdi an. gran. 15.

Sacchari fini vnc. 2.

Misce. præter hanc rationem victus necessarium est, vt si corpora venenata recte curari debeant, tractentur etiam antidotis, omnibus ferè venenatis vniuersaliter conuenit vsum Theriacæ, & Michrydati: sed, vt inquit

Auicennas, si species veneni cognita fuerit

Medico, debeat antidotos peculiare,

& accommodatas illi speciei ad-

hibere. quare ad eorū quo-

que tractationem iam

descendamus.



HIERONYMI
MERCVRIALIS
DE VENENIS
ET MORBIS VE-
NENOSIS

LIBER II

Caput I.



ANVM profecto & inutile fuisset, vni-
uersalem hæc venenorum curationem
tradidisse, nisi etiam simul & particu-
laris adferatur. neque enim Medici ver-
santur circa vniuersalia, sed tantum circa
particularia. cæterum immensum esset
hoc & forsan superuacaneum tractare curationem, &
naturam omnium particularium venenorum, quando
quidem penè infinita sunt, & particulariter etiam à
scriptoribus tractata. quare vt immensitatem hanc o-
peris fugiamus, statui ex vnoquoque genere venenorum
vnum, vel alterum seligere; sic enim facile quisque po-
terit reliquorum indiuiduorum methodum sibi acqui-
rere. & quia supra diuisi venena in ea, quæ ab animalibus
inferuntur, & ea quæ ore sumuntur: eandem diui-
sionem nunc sequar, initium sumens à venenis, quæ ex
trinsecus ab animalibus inferuntur. Quoniam verò, vt
dixi, animalia quæ venenant, vel morsu offendunt, vt
serpentes, vel ictu vt aranei, & phalangia, vel solo tactu
vt

vt dracones athlanticis, vel afflatu, vt sunt alij quidam angues Indici & basiliscus: de his postremis non erit opus multa dicere, quia peregrina sunt animalia, & à nobis valde remota, tractabimus solum de ijs quæ morfu aut ictu venenum inferunt: & licet inter hæc præcipuū locum obtineat canis rabidus, quoniam tamen copiosissimus tractatus noster de eo ante hæc editus habetur, non erit opus iterum nunc de illo loqui. vnde tractatus tantum sum de veneno aspidis, & vipera quod morfu inferunt; subinde de veneno scorpionis & phalangij, quod ictu communicatur. ratio autem tractationis erit, primo vt paucis animal, vel venenum ipsum describam mox differentias; deinde modum quo inferitur, post temperamētum subinde symptomata & effectus, postremo particularem curationem tradam.

De Aspide. Cap. II.

NICANDER scriptor veterorū antiquissimus, primum locum tribuit aspidi venenato, qui serpens terrestris est, dico terrestrem, vt distinguatur ab aquatico, qui sic vocatur. & cum sit serpens animal est sanguineum, pedibus carens, latens hieme & ouiparum; nam vt suo loco dicitur, inter omnes serpentes sola vipera foetum viuum parit. Gal. lib. de Ther. ad Pis. cap. 8. secutus veteres omnes, & præsertim Nicandrum tria genera facit aspidis. Vnum est, quod appellant chelidoniam seu terrestre: aliud vocant chelidoniam, seu hirundinaceum: tertium pryadan, barbari vocant expuitorem. priorum duorum generum color est cinereus, & subuiridis. hirundinacea verò species aspidis tota similis est hirundini, vnde nomen habet. eo nueniunt autem omnia hæc genera, quia omnes aspidis sunt visu imbecillo, incessu tardo, auditu autem subtilissimo; nam vt habetur apud Dauidem psal. 57. ea est natura aspidum, vt quotiescumque excantantur cauda oburent aures, ne audiant verba incanta-

toris : & hæc est ratio propter quam nuncupantur fur-
di : conueniunt verò omnes & in alia re, quia semper
vt scribunt, coniuges, & pares incedunt, quod si contin-
gat alterum interimi, superstes persequitur occisorem
alterius, vsque quo ipsum mordeat; scribit Plin. lib. 22.
cap. 63. omnes serpentes vbi percusserint semel homi-
nem, numquam amplius à terra recipi, quod vtrum sit
verum, dubito, quandoquidem id nusquam inuenio.
Inuenio controuersiam esse inter scriptores. Galenus e-
nim in libro, quod animi mores, cap. 3. scribit aspidem
paulò minus frigidum esse ipsa cicuta. cæterum qui se-
ctati sunt Arabes Medicos, & de venenis scripserunt,
omnes affirmant aspidem esse calidissimum: sed quod
alias dixi de omni genere serpentum, idem quoque as-
ferendum esse puto, & de aspide, nimirum ipsum esse
frigidum, & consequenter omnes alucinari, qui existi-
marunt illum esse calidum. neque valet quòd ex eius
morsu incendia, dolores, rubores, & inflammationes
suboriantur, quoniam id, quod contingit, totum ori-
tur, non ex caliditate animalis, sed ex dolore prauo, què
consequuntur omnia accidentia, quæ æmulantur calidi-
tatem. Mordent aspides ac infundunt morsu venena,
femina quatuor dentibus, mares verò duobus tantum.
vtrum autem solo morsu venenum habeant, an verò
illud toto etiam gerant corpore, dubium est: nam Gal.
lib. de Theri. cap. 8. querens rationem propter quam
antidotos non ingrediatur caro aspidis, & aliorum ser-
pentum, sed tantummodo caro viperæ, scribit hoc fie-
ri, quoniam vniuersum corpus aspidis venenosum est,
vt ex hoc loco clarè colligatur, venenum eius per totum
corpus esse distributum. cæterum idem Galenus circa
finem lib. 2. ad Glauc. scribit populos Marsos vesci car-
nibus aspidum, hoc autem fieri non posset, si huiusmo-
di serpentes toti essent venenati. Dicendum est, vene-
num quidem in toto ipsius corpore esse, quod si verò
Marsi populi vescuntur ipsis, aut est, quia sub ipsorum
caelo

celo non sunt venenati, quemadmodum alicubi neque
 viperæ etiam, neque serpentes venenati, vel quia ut di-
 cebat doctissimus Fracastorius huiusmodi populi quã-
 dam sympathiam habent cum aspidibus, ut ab ipsis nõ
 lædantur. Symptomata quæ ab his inferuntur variã
 sunt, quatuor autem præcipua de ptyade dicuntur, vi-
 sus perturbatio, tumor faciei, surditas & dolor exiguus,
 propter quam postremam conditionem puto ego Cleo-
 patram Aegypti Reginam, ut refert Galenus loco citato
 lib. de Ther. voluisse sese potius aspide interimere, quã
 illo alio veneno. alia genera aspidum faciunt & ipsa di-
 versis symptomata, stuporem, pallorem vultus, palpi-
 tationem cordis, refrigerationem, crebros hiatus, colli
 inclinationem, & alia. De loco affecto in hoc veneno
 posset dubitari, primum, quia si prædicta symptomata
 attendantur, videtur & cerebrum, & cor potissimum
 affici. At Actius, & Promotus scribunt in curatione mor-
 sus aspidis Aegyptios id potissimum aduertisse, ut com-
 morsis propinetur acetum, usque quo illius sapor per-
 cipitur, & præsertim eius vis penetret in dextrum la-
 tus, eo quia (inquiunt isti) ab aspide obstruitur iecur, &
 eius sensus penè perditur, ut ex his locis colligi possit
 potius iecur affectum esse. Dicendum pro solutione,
 primum quod petitur ab hoc veneno esse cor, secundo
 loco iecur & cerebrum, ut iure Aegyptii etiam de ieco-
 re curam gerendam censuerint. aspidum venenum exi-
 tialissimum est; immò verò Moyses, qui numquam fal-
 lit, in Cantica sua scribit esse insanabile, neque solum
 irremediabile est, verum etiam citissimè interficit, ut se
 vidisse in Aegypto testatur Galenus. est tamen differẽ-
 tia, quia hirundinaceus statim interimit: terrestris au-
 tem spatio trium, aut quatuor horarum: ptyas verò
 paulò tardius. Curatio huius veneni cum citissimè iu-
 gulet, est sollicitanda: statim enim deveniendum est
 ad exuctionem plagæ, vel ore, vel arundine, vel cucur-
 bitula, vel galli, aut palumbi podice; & quia vul-
 nus obscurum & exiguum esse solet, curandum ut

amplius reddatur, & vt scarificationibus sanguis partiu circumpositarum extrahatur; quo peracto deueniendum ita; im ad ea, quæ proprie aspidis veneno aduersantur: huiusmodi autem sunt ruta, quæ apposta vulnere bezoarticam vim habet. Theriaca maximè ab omnibus commendata est. sit quoque mistura quædam ex opio, myrrha, & centaurea, quæ applicata vulnere magnoperè confert; immò verò Actius scribit, centauream vino tritam, & potu exhibitam si non vomatur, liberare; sed si vomatur, certissimum signum esse futuræ mortis. Neque solum externis his remedijs sollicitandum est, verum etiam adhibenda interna, theriaca, mithrydatum, antidotus Zopyri, & antidoti illæ quæ à Galeno proponuntur 2. de Antidotis aduersus aspides. Marcus Varrò dum 83. ætatis annum ageret scripsit, vrinam comiorfi ab aspide potam singularissimum præsidium esse aduersus aspidis venena. Sed illud certissimum est Aegyptiorum inuentum, & experimentum acetum quò copiosius potetur, vtilius esse hoc in genere veneni, & narrat Plinius lib. 23. cap. de Aceto, fuisse quendam ab aspide comiorsum; vas aceto plenum gestantem, quod quamprimum deposuisset, statim incipiebat sentire ictum, vbi verò iterum vas illud recipiebat illico omnis dolor, & malum cessabat, vt intelligi possit acetum esse singulare remedium aduersus hoc venenum.

De Vipera. Cap. III.



ASPIDEM iurè excipit viperæ tractatio, quæ & ipsa inter serpentes suum locum habet, vnde satis mirari non possum Augustini Suesani infantiam, qui in commẽ ad primum Aristoteles de Gen. anim. cap. 10. scribit viperam non esse serpentem, eò quod serpens ab Aristotele dicatur *serpens*, vipera verò *viperis*. certè mera puerilitas est, eò maximè quod ipsemet Aristoteles 5. de Gen. anim.

anim. cap. vltim. viperam ponit inter genera ^{serpentum}, seu serpentum, & quamquam certissimum sit, viperam serpentem esse, ea tamen duas habet conditiones à reliquis serpentibus diuersas: vna est, quod sola viuum foetum edit, vt Aristot. loco citato & experientia docet; nam reliqui serpentes oua excludunt, & incubant; deinde pullos ex ouis faciunt: viperam verò oua primum intra se, & in ventre ex ouis viuum foetum edit, quem deinde excludit. altera cōditio est, quod vt idem Arist. scribit 8. de Histor. anim. cap. 15. ceteri serpentes hieme latent in terra, viperam autem in faxis; quam Aristotelis sententiam cum Plinius lib. 8. cap. 39. perperam intellexisset, contrarium dixit, scilicet viperam in terra latere, & ceteros serpentes in faxis. Galenus lib. de Theri. ad Pison. secutus vt puto Nicandrum & veteres, meram fabulam de viperam scriptis mandauit, quam alij deinceps quoque susceperunt: nam opinio fuit, viperam foetum dum coit cum matre ei caput amputare, & deinde foetus quasi vindices paternae mortis dum exeunt, distendere matris ventrem, atque ita matricidas exire. sed vt dixi haec fabula est, quandoquidem non desunt, qui oculis viderint in pixide viperam enixam esse foetus, atque ipsam & foetum superstites extitisse: narrat Philostratus in vita Apollonij Thianæi, vidisse se viperam foetus suos tenellos lambentem. sed cur plerique in hanc sententiam venerint, & praesertim Plinius, puto fuisse verba Aristot. male intellecta, quae habet 5. de Hist. anim. cap. vltim. vbi scribit foetus viperæ corrosis membranis, quibus intra vterum obuoluuntur exire, non enim Aristot. vult eos exire dilaniato matris gremio, sed tantum ruptis illis membranis, quibus inuoluuntur. Viperarum multae sunt differentiae secundum magnitudinem & paruitatem; nam aliae paruae sunt, vt illae quae oriuntur in regionibus frigidis, aliae maiores, aliae verò maximae, ita vt referat Strabo lib. Geogr. 15. in India esse vipersas, quarum corpora non modo excedat longitudinem octo, vel nouem cubitorum, sed etiam

G

sexdecim cubitis sint longæ, sunt colore cinericio, interdum subflauæ, maculis nigris, vt plurimum interstincta. valdè differens est mas à foemina; nam foemina caput habet latius quam mas, ceruicem minus elatam, dentes quatuor, corpus crassius sed breuius, caudam magis extensam, tardius incedit. contra verò mas habet caput angustius, ceruicem magis eleuatam, solos duos dentes, corpus & longius, & tenuius, & velociter incedit. De temperamento viperarum disputatum est non parum, Galenus lib. de Loc. affect. 3. cap. vlt. scribit, omnia animalia quæ frigidi sunt temperamenti hieme sese in latebras recipere, & propterea tunc temporis viperas ferè immobiles manere. ex quo loco minimè dubitandum est, Galenum censuisse eas esse frigidi temperamenti. cæterum Auicennas 6. quarti. tract. 3. cap. 21. manifestissimis verbis docet, viperam esse calidi temperamenti; quin immo 2. primi. doct. 2. cap. 15. scribit, eius venenum calidum esse, eiusque calorem veneficam proprietatem adiuuare ad resoluendos spiritus cordis, vt non sit dubitandum mentem Auicennæ fuisse, viperam esse calidam. sequaces Auicennæ non contenti etiam mediocri caliditate viperarum, dixerunt esse intensissimè calidas, sed quod magis est, huic opinioni videtur quoque interdum assentiri Galenus, qui lib. II. de Simpl. medicam. circa initium loquens de carne viperarum, inquit, eam exsiccare, & moderatè calefacere. Responderi potest pro solutione huius dubij, viperas secundum varia tempora considerari debere, scilicet aut secundum hiemem, aut secundum æstatem: si considerentur secundum hiemem frigida videntur, quia tunc nec edunt, nec mouentur, nec venosæ sunt. si considerentur tempore æstatis calida, immo feruida videntur, ita vt Galenus 2. de Loc. affect. cap. vlt. dixerit, eas sub cane ætuosissimas esse, & furere. Sed hæc responsio minimè est commoda: primum quia si corpora viperarum etiam in summo æstatis contrectentur, ipso sensu gelidissimæ apparent, adhæc tum etiam sine cibo

cibo conferuantur, vt quod de alijs serpentibus dixi, idē & de his dicendum putem, earum ſcilicet temperamen- tum eſſe frigidum, & hac in re Arabes longè lateque eſ- ſe alucinatos. neque valet quod, vt mox patebit, ſubſe- quantur in his caſibus partis affectæ incendia, quæ cali- ditatem arguere videntur; quoniam id potius fit pro- pter varietatem ſubiectorum corporum, quàm propter ipſius animalis feruorem. Sed quid dicemus ad Gale- num? facilis eſt reſponſio, quia quicumque attentè leg- git caput illud, videre poteſt eum loqui non ſimplici- ter de carne viperarum, ſed de carne, quæ ad modum an- guillæ paratur, vt ſit edendo, qui modus apparatus, a- neto, ſale, & porro; quod condimenti genus non eſt dubitandum afficere carnes viperæ, & calefaciendi, & ſic- candi facultate: eſt tamen venenum huius animalis to- tum ferè in capite. vt etiam Galenus quandoque dam- naret eos, qui abſcindunt caudam dum parant trociſcos pro Theriaca, quaſi neque in cauda, neque in reliquo corpore venenum ſit, vt mirari etiam non oporteat ſi, quemadmodum ipſemet Galenus teſtatur, Aegyptij, aut alij populi carnibus viperarum veſcantur. Dum viperæ mordent, ſi ſcæminæ ſint, quatuor vulnera, at- que ea exigua inferunt: ſi mâres, duo tantummodo, vbi vulnus factum eſt, ſtatim exit ſanguis ſatis flori- dus, paullo poſt ichor potius ſanguinolentus oleoſus, & liuidus, tumor ſit in partē vulnerata rubeus, bilio- ſus, grandinoſus, tuberoſus, qui paullo poſt ſit mo- do niger, modò viridis; quoniam ſcribit Dioſcori- des etiam vniuerſum corpus tumidum euadere; ad- hæc ſequuntur horrores, refrigerationes, mentis ſtu- pores, capitis grauitates, vomitus bilioſi, ſingultus, febres, anhelitus difficultates, dicunt etiam alij quaſi perpetuò ſequi commorſos à vipera icteritiam; ſed hoc à nemine ſcriptore probatæ fidei inuenio, neque à Græco, neque ab Arabe. illud benè verum eſt, com- morſos à vipera modò pallidos, modò virides, mo- dò flauos euadere; & ratio eſt, quia cum hoc venenum

proprietate maximè aduersaria offendat, statim calorem natium iugulat, vbi hoc factum est pro varietate subiectorum, deinde corporum, non est mirum si diuersa symptomata occurrant, ita vt in biliosis fiat effusio bilis, & color pallidus & flauus euadat, in melancholicis viridis & ater, in illis qui imbecillo sunt capite, & ventriculo fiant alia symptomata quæ retuli, & tandem penè extincto calore natiuo viridis color se offerat, quod si interdum icteritia vera contingat, vt non diffiteor fieri posse, illud contingit, quia vbi copia bilis abundat in corpore ex agitatione, & commotione illius, effunditur in superficiem eamque tingit. Nicolaus Florentinus & alij sectatores Arabum tres ordines venenorum effecerunt, primum eorum quæ statim interimunt. secundum eorum quæ non ita statim, sed breui tempore enecant. tertium eorum quæ paullo tardius. atque inter has species reposuerunt viperam, quasi illius venenum serò interimat. sed licet nõ inficias eam, in aliquibus regionibus vipers non esse vsque adedò lethales, neque ita citò interimere: verum tamen non est dubitandum alicubi venenum ipsarum vsque adedò exitiosum esse, vt citissimè perimat, præsertim verò si morsus factus sit à vipera icterna in corpore ieiuno, si tempore æstatis in summo calore, & à vipera irata. Vtrum autem foemina, aut mas venenum lethalius inferat, controuersum inuenio; quandoquidem alij existimant à foemina venenum exitiosius effundi, alij contra putant marem venenosius esse foemina. sed hæc lis conciliari potest, quia & aliquo pacto venenum foemine lethalius est, aliquo pacto maris: foemina quia quatuor facit vulnera, maiorem veneni molem pluribus moribus effundere videtur. mas autem & si duo tantum inferat, tamen vis ipsorum comparata moli veneni foeminae multò acerbior & efficacior est, ita vt & qui dixerunt marem, & qui foeminam, lethalius venenum inferre, vtrique possint veritatem dixisse. quod cum ita se habeat, certum est.

est mortem esse proximam, si qui percussus est, incidat in syncopen, aut illi sanguis ex naribus profluat, labia viridia fiant, vngues refrigerentur, totum corpus tremat, & veluti grandine, vt dicebat Nicander, percutiatur. Solent autem occidere omnes viperæ spatio interdum septē horarum, plerumque ad tertium diem vix perueniunt percussi, si tamen perire debent. Curationis ratio ea est vniuersalis quam iam prescripsi, vt scilicet quamprimum venenum extrahatur, & si id fieri non potest, vt pars percussa obligetur, & si necesse erit etiam amputetur. peculiaria hoc in casu complura referuntur à Galeno & alijs, præcipua tamen est viperæ ipsius caro, siue comesta, siue extrinsecus apposita, Theriaca, pastilli viperini, oleum viperinum, præ cæteris autem commendari solet, ruta, allium, Actius ex Archigenis sententia laudat potum vini meraci larga copia ita vt vomatur; sed quia dixi in vniuersali curatione, vomitum in initio perniciosum esse. intelligenda est ea Archigenis auctoritas procurandum esse vomitum, cum iam initium morsus pertransierit. vrina potata ipsiusmet percussi utilis est; inuenio & succum fraxini & folium mirificè laudari in morfu viperæ, siue intus, siue extra adhibeatur; & mira res est, si hinc ponantur folia fraxini, & hinc ignis, atque in medio constituta fuerit vipera, potius eligit sese in ignem coniicere, quàm supra fraxinum transire, tanta est antipathia huius ad fraxinum: idem dico de succo taxi, & scribunt Claudium Imperatorem edicto publico monuisse omnes, huiusmodi remedium efficacissimum esse. scribit Aulus Gellius lib. 4. cap. 13. & sententia Theophrasti

tibicinem modulatè canentē curare morfos

à vipera. sed puto hoc

fabulosum

esse.

*De animalibus quæ aculeo venena
fundunt, & primum de scor-
pione. Cap. IIII.*

SEQVITVR vt breuiter & perspicuè loquamur de his venenatis animalibus, quæ aculeo venenum fundunt; hæc enim omnia id habent commune, vt spirituale, seu materiale venenum non puram qualitatem effundant in corpora animalium. sed aduertendum vt docuit Aristot. 4. de Hist. ani. 7. horum animalium alia habere aculeum intra corpus, vt vespe & apes, alia verò habere externum vt scorpiones & quæ intus aculeum habent, aut illud exerunt ore, vt apes, quæ vsque adeò tenaciter ipsum infigunt, vt id postmodum non possint retrahere, propter quod dicebat Virgilius, vitamque in vulnere ponit. alia verò exerunt aculeum aluo, vt scorpio. Cur autem hæc animalcula sint dotata à natura aculeo, Aristot. 4. de Par. ani. 6. attulit hanc causam. scilicet vt sese tueri possint huiusmodi armis aduersus noxias bestias. Scorpio, de quo nunc sumus acturi, animal est insectum exangue, quod vt habemus ab Aristot. 5. de Hist. anim. 26. quinque brachia habet ex vtraque parte instar forficum dentata, & solus caudam longam habet & extensam, in qua plerumque vnus aculeus, interdum duo sunt: aculeus autem cauus est & plenus tabo venenato: addit Apollodorus quidam curiosus speculator etiam hoc venenum esse album, quod effundunt in corpora, dum aculeo ipsa feriunt, vt à scriptoribus medicinæ appellentur vulnera huius animalis ictus potius, quam morsus. Habet scorpio hanc peculiarem conditionem, vt narrat Plin. lib. 29. cap. 4. quod numquam ferit volam manus, & ferè numquam percutit vllam partem, nisi vbi sit pilus, quod vtrum verum sit, non consulo vt quisquam experiatur. Nicander & Aelianus & Promotus nouem genera

genera esse scorpionum tradiderunt, sed solum differētia, vt ego puto,, colore, quia alios dicūt albos, seu subalbos esse, alios virides, alios nigros: omnia tamen hęc genera vt docet Aristoteles loc. cit. vermiculos gignūt, quos deinde incubant, atque adeo numerosa proles, & valida nascitur, vt dicant ab ipsa parentem interim: sed non possum credere Aristot. hęc omnia certò vidisse, sed potius ipsa accepisse ex libris Democriti præceptoris Hippocratis, qui fuit sagacissimus harum rerum indagator, & cuius libri si haberentur hodie, forsā Philosophia Aristotelis non esset in ea existimatione. Temperamentum huius animalis fuerunt qui existimarunt diuersum esse, secundum diuersa genera scorpionum, ita vt albi sint ynus temperamenti, viridis & nigri sint alterius. sed huiusmodi sententia explosa est à disputatione Auē. 5. collect. cap. 26. vbi plurimis verbis ostendit, colorem positum esse in superficie corporum, & propterea ex ipso colore non esse iudicandas substantias remedium, neque ipsorum temperamenta, vt non valeat hęc ratio, sunt diuersi coloris scorpiones, ergo sunt diuersi temperamenti. quare multò satius est dicere cum Gal. 3. lib. de Loc. affect. cap. 7. & cum Auicennas 6. quarti. locis citatis, temperamentum omnium scorpionum esse frigidum. Symptomata quæ oriuntur ex moribus scorpionum varia & diuersa sunt: nam vt habemus ex Promoto, vbi quis ab albo scorpione percutitur, dolores fiunt vehementes, circa plagam ipsam vsque adeo ingens suboritur incendium, vt locus videatur peruri, circa labia apparent veluti formicationes, oculi contorquentur, corpora videntur veluti guttis quibusdam percuti, in oculis fiunt lacrymæ viscidæ, tenaces, sitis, muscoli, & nerui omnes quodammodo videntur tēdi. Sin autem percutiatur quis à viridi scorpione fiunt quoque dolores vehementes, horrores, aspiduus veluti frigoris sensus, ita vt Galenus. 3. de Loc. affect. 7. dixerit, se quandoque audiuisse à percussō à scorpione quod veluti glacie quadam corpus eius op-

primebatur; sudores oboriuntur frigidi, & si partes infernæ percutiantur, tumores oriuntur in inguinibus, si partes superiores oriuntur in locis sub axillaribus, in his quoque solet interdum oriri conuulsio, solet annus extra procedere. Si à nigro scorpione venenum effundatur, delirant percussit, & veluti ignorantia quadam, erum perpetua detinentur, vultus contorquetur, indurantur omnes artus, & lingua crassa, & impotens ad loquendum redditur. tot sunt calamitates eorum qui ab hoc animali percutiuntur, quæ omnia mala nascuntur, tum ob corporum percussorum varias dispositiones, tum maxime ob facultatem prauam, & aduersam huius veneni, de quo loquens interdum Galen. solebat dicere venenum scorpionis esse quidem minimum mole, sed facultate & immanitate esse maximum, atque potentissimum, vt minime dubitandum sit esse lethale, præsertim verò si à ieiuno scorpione effundatur, si tempore æstiuo, & sub cane. dicebat Plin. lib. 11. cap. 25. à veneno scorpionis maxime interimi sceminas, & præsertim virgines: viros autem solummodo interimi, quando mane à scorpione percutiuntur, eo quod tunc temporis cum nondum effuderint venenum ieiunum multò lethalius sit. Verum de eius quod dicitur veritate dubitari potest. nam Theophr. lib. 4. de Hist. plant. cap. 10. scribit, nonnulla esse venena, quæ male tractat serpentes & ab iis homines nihil patiuntur, vt sunt scorpiones, ita quod manifestè asserere videtur, eos minime hominibus exitiosos esse. Dicendum est sententiam Theophrasti, nisi prudenter intelligatur, falsissimam esse, & tanto Philosopho, indignam: rectè autem intelligetur, si dicamus ipsum non de omnibus, sed de aliquibus scorpionibus esse locutum, quasi non omne genus scorpionum homini lethale sit: Quod autem reperiantur scorpiones, qui non sint hominibus lethales, vt præmittam testimoniū Promoti, qui de albo scorpione id asserit, est auctoritas Aristotelis 8. de Histor. anim. c. 28. vb. scribit in Syria magnos fieri scorpiones, qui

qui interimunt bestias, & præsertim fues, qui alioquin a venenatis pati non solent. circa Pharum autem, qui est locus in Aegypto, inquit, scorpiones minime exitiosos esse: cui etiam sententiæ videtur consentire Gal. lib. 3. de Alimen. facul. vbi scribit in Aegypto à plerisque impunè comedi solere scorpiones, vt verum sit: sicuti alicubi sunt venenati & lethales; ita alibi nihil nocere, atque de his locutum esse Theophrastum. Gal. lib. 10. de Simplic. medic. ad morsus scorpionis præstantissimum remedium esse docet, saliuæ humanæ vsus, & præsertim corporis ieiuni, vbi etiam refert historiam, qua compertum fuit solam saliuam humanam occidere scorpiones. sed præ cæteris omnibus magnoperè confert commorsis à scorpione si illud idem animal, quod venenum intulit, parti commorsæ affricetur, id quod ipsemet Gal. cõprobauit & lib. de ther. ad Pis. 10. & lib. ff. de Simpl. medic. cap. de dracone marino, quia verò vt ipsemet Gal. testatur 3. de Loc. affect. 7. scorpiones altè & profundè aculeum inferunt, ita vt vulnus quidem sit profundum, sed tenuè, & obscurum, eapropter magna vi, magna diligentia sunt affricanda remedia parti ipsi commorsæ, vt scilicet motu, & attritione possit vis remedij altius penetrare, propter quod etiam magnoperè iuuat, vt remedia, & fomenta, quæ applicantur in his casibus, sint liquori alicui commissa, qui possit perducere vim in profundas partes. itaque iuue laudatur fomentum maioranæ cum vrina humana, fomentum myrthi in vino, cyperus, calamentum, pulegium, assa foetida in vino applicata mirificè iuuare solet huiusmodi commorsos. Laudant plerique Theriacam diateserò vocatam, asparagum in vino elixatum, & alia quamplurima, quæ proponuntur à Gal. lib. secundo de antidotis.

¶

G

De Phalangis. Cap. V.



VCCEDIT tractatio Phalangiorum, quæ ab Auicenna & sequacibus rotellæ dicuntur, & sunt citra omnium controuersiam ex genere araneorum. sed illud in primis sciendum est, veteres vt narrat Plinius libro vigesimo quarto, distinxisse phalangia ab araneis in hoc, quod araneas appellarint, quæ non sunt venenatæ, phalangia verò quæ sunt. Cæterum huiusmodi differentia apud Medicos non inuenitur, quandoquidem vt videre est apud Aetium & Paullum Aeginetam ipsi tractationem faciunt separatam & de aranea venenosa & de phalangis, quasi voluerint ipsi araneas communiter appellatas venenosas fieri. Vt cumque autem sit, hac de re illud certum est, phalangium animal esse insectum, & sanguinis expers, quod plura brachia habet tenuia & longa, necnon tribus veluti internodiis donata; propter quam conditionem scribunt vocata esse phalangia, quod pedes habeat ad imitationem digitorum humanorum, quorum internodia appellantur phalanges. Variæ & diuinæ penè conditiones huius animalis describuntur ab auctoribus, sed potissimum ab Aristot. 9. de Histor. anim. cap. 39. & ab Alber. Mag. de Anim. cap. 1. inter alias autem hanc vnam habent, tam phalangia, quam araneæ, quod siue sint in terra, siue supra terram, telam quandam construunt vt ea venentur animalcula pro cibo: quæ vbi irriterint vi quadam mirifica exugunt ipsorum humiditatem, ita vt cadauera sola relinquunt. quomodo verò faciant telam, Democritus fuit huius sententiæ ex puris excrementis aluo emissis eam fieri. Albertus Magnus loco citato putauit, sententiam fuisse Aristotelis, quod hæc tela fiat à parte alimenti transmissa per corpus; eo pacto quo bombices vocati faciunt telas sericeas, sed vera sententia Aristot. habetur lib. 9. de Histor. animal. 39. vbi scribit, fieri eiusmodi telas eo pacto, quo sunt cor-

tices

lices in animalibus, nimirum ex crassiore, & terrestri-
ori parte ipsius alimenti. sed huiusmodi disputatio sub-
tilior est ipsis telis araneorum, quare à Medicis dimittenda. Illud autem scire ad nos pertinet, animal hoc ef-
fundere venenum aculeo paruo, vel quemadmodum
dicebat Gal. ore. Auicen. 6. quarti. tract. 5. cap. 5. imponit
Galeno quasi dixerit phalangia non ferire venas
quemadmodum scorpiones, sed vera Galeni sententia
fuit tertio de Locis affectis septimo, ictus scorpionis in
hoc differre ab ictibus phalangiorum, quod hi altè in-
ferunt aculeum, ita vt pungant venas, arterias & ner-
uos: illa verò pungere & ferire tantummodo cutim, ita
tamen, vt à cute deinde venenum ipsum communice-
ter omnibus partibus subiectis, tam nervosis quàm
carneis, eò quia vt ait Galenus cutis ipsa & còtinua est,
& nervosa. Sed dicit quis, si animal hoc venenosum est,
qua ratione Albertus Magnus 7. de Animal. 5. scribit se
vidisse puellam, quæ persequabatur araneas, & iis ve-
scabatur? Dico, quod aliàs dixi, verè hæc animalia esse
venenata secundum totum corpus; nam vt relatum est
à Nicolao Florentino sæpè mortui sunt homines ex
potu alicuius liquoris, in quo extincta fuerat aranea,
quod autem reperiat quispian, qui impunè vescatur
hoc genere animalis, sit nulla alia ratione, nisi secreta
quadam sympathia & similitudine hominis ad huius-
modi animal. Vnde non possum assentiri Plutarcho,
qui in libro de capienda vtilitate ab inimicis, putavit
animalia omnia, quæ vescuntur serpentibus & scorpio-
nibus, & aliis venenatis id facere, quia robustissimo
sunt ventriculo, ac optima valetudine, cum secus sæpè
còtingat, vt & inter animalia & inter homines hi potis-
simum res venenatas impunè edant, qui & imbecilla
valetudine, & infirmo sunt stomacho. Tèperamentum
huius animalis citra controuersiam & frigidum, & sic-
cum est, vnde colligebat Alber. Mag. etiam venenum e-
ius frigidum esse, quod ego quoque facilè confirmabo:
sed si intelligere voluit hoc venenum exiiale esse pro-

pter frigus, falsissimum est, quia quantumcunque fateamur ingēs frigus huius animalis, vsque adeo tamen parua illius moles est, vt non possit officere, quemadmodum dicebat Galenus, centesimam partem scintille ignis non lædere. Rideo etiam interdum eximiam nullorum diligentiam, qui imaginati sunt hoc animal lædere propter prauitatem humoris melancholici, quo abundat; certe si hic humor in eo consisteret, necessarium esset, vt multo subtilior esset, quam fila araneorum, quod quidem neque vsu, neque ratione comperitum est. Debet ergo constitutum esse arcanam, & lethalissimam vim esse, qua venenum horū animalium infectum est. Nicander nouem genera araneorum & phalangiorum proponit. Aristoteles tria summa facit, quæ deinde in plures species diuidit. Aetius & Promotus sex. Auicennas autem imponit Galen. loco citato quasi effecerit duodecim genera Phalangiorum: sed apud Galenum huiusmodi numerum inuenire nō potui, neque tamen id refert scire, vtrum tot, vel tot sint genera. sat sit diuersitatem & differentiam omnium horum animalium positam esse in varietate colorum, atq; etiā in magnitudine, quoniam alia sunt flaua, alia cinerica, alia alba, alia nigra, alia parua, alia magna, & alia phalangiorū in terra viuūt, alia in parietibus. Symptomata, quæ inferunt complura sunt, in primis vlnus ipsorum superficiale, atq; adeo exile est, vt vix perspiciatur, veruntamen dolores fiunt circa vlnus, tumores, qui modò liuidi, modò rubri, modò flauī sunt, tumescit interdum totum corpus, atque etiam graue fit, fiunt tremores, spasmi, vigiliae, dolores capitis, stomachi, vomitus, difficultas egerendi vrinam & faeces, rubor in toto corpore. proponit vnum Aetius, & est, quod quando mingunt commorfi à phalangiis, aut egerunt faeces, aut vomunt, sæpè & in vrina, & in facibus, & in vomitu apparent veluti telæ aranearū, quam sententiam retulit etiam Auicennas tanquam suam, & Arabicae medicinae sectatores, qui circa hoc symptoma
mira

mira figmenta faciunt, vt etiam de vrina eorum, qui commorſi ſunt à cane rabido: ſed vt ingenuè dicam, nō puto ego hanc rem ita eſſe æſtimandam, vt diligentius ratio & cauſſa illius indaganda ſit, quandoquidem etiam in iis, qui non ſunt commorſi à phalangiiſ appa- rent plerumque & in vrinis, & in fæcibus veluti telæ aranearum. ſat ergo eſt, accidentia ſæuiſſima oriri ex morſu phalangiorum, & conſequenter niſi huic veneno occurratur magnopere exitiale eſſe. Curatio eorum, qui commorſi ſunt à phalangiiſ, nō admodum diuerſa eſt à curatione commorſionis à ſcorpione; nam & in hoc veneno cum vulnus ſit exile & obſcurum, magna fricatione ſunt ipſi remedia adhibenda, & inter cætera laudat Auicennas & Aetius vt commorſi frequenter balneis immergantur, quia ſic omnis dolor & omnis cruciatus facile euaneſcit. inuat etiam fouere loca ipſa vino, in quo bullierint origanum, ſerpillum, ruta, inuat etiam affricare & potare theriacā. potus vini quoque commendatur, præſertim in quo bullierit calamus odoratus. ſed cōplura ſimilia videre eſt apud Aetium.

De Tarantula. Cap. VI.

INTER phalangia, & araneas adnumerant nonnulli animal illud quod Tarantula populari nomine appellatur, & eſt propria Italiae, & præſertim Apuliae, vnde intelligi po- teſt ſeſeſſiſſe Plinium, qui ſcripſit phalangium eſſe Italiae peregrinum, quandoquidem nō ſolum hoc genus eſt Italiae peculiare: verumetiam multa alia genera in regionibus Italiae naſcuntur: vt & experientia, & aucto- ritate ſcriptorum comprobatur eſt. Facit hoc animal mirabilia ſymptomata, & penè omnia, quæ faciunt a- raneæ & ſcorpiones, & alia; vnum verò dicunt præci- pium facere, quod quando momordit aliquem in eo ſtatu, & opere, in quo inuenit ſemper eum conſeruat, viſq; quo venenum è corpore pulſum ſit, ita vt ſi mor-

det aliquem ambulans semper ille ambulat, si tripudians semper tripudiat, si ridens semper ridet, vtrum autem hoc verum sit, ego affirmare non audeo, sed qui in Apulia versati sunt, illud pro certo affirmant, & aliquando vidi quendam, qui perpetuo saltabat, & dicebat sese commorsum à tarantula, sed cum à prætere esset captus, & funi alligatus, curatus fuit: præ cæteris tamen aduersus morsum tarantulæ dicunt magnopere facere musicam. sed remedia huius veneni potius ab incolis Apuliæ petenda sunt. & hic sit finis tractationis particularis de venenis, quæ ab animalibus immittuntur.

De venenis ore sumtis, & primum de Opio. Cap. VII.



VAM rationem sum secutus in tractandis venenis, quæ ab animalibus inferuntur; eandem quoque seruaturus sum in iis, quæ ore sumuntur, vt scilicet in vnoquoque genere vnum, vel alterum seligam, cuius exemplo possint deinceps singula venena tractari. Sumam autem initium ab Opio, quod vt docet Dioscorides libro quarto capite sexagesimo, & Plinius eum secutus libro vigesimo capite vigesimo secundo, fit duobus modis, vel enim contunduntur folia & caules ipsius papaueris, atque ex illis contusis succus exprimitur, qui exsiccat & in vsum seruatus dicitur meconium: alter modus faciendi opium est, quod inciduntur scapi secundum cutim, & ex incisura succus ille, qui instar lacrymæ defluit digito colligitur, & deinde concretus seruatur: at si auctorum mens perspicatur, postremum hoc genus solet verè nuncupari opium, eò quia vt dicit Dioscorides, meconium est multò inefficacius quàm sit hæc lacryma, quæ est verum opium. Galen. 2. de Antid. 7. ex sententia Asclepiadis videtur secus sensisse, nimirum quod appellat Dioscorides meconium.

conium, ipse videtur nuncupasse succum papaueris, quod autem appellat Dioscor. opiū, ipse nuncupat meconium. Sciendum autem ne quem decipiat ille interpret, quod vbi dicit Galenus lingua Græca *μυσγίος*, transfert ille lacrymam papaueris, quod non satis accommodatè factum est. Scribonius in libro de Medic. videtur hac in re secutus Asclepiadem, cum opiū quod efficacius est appellauit meconium: secus quā Dioscorides, sed vtrumque sit, illud perspectum esse debet, succum expressum papaueris viridis, esse inefficaciorē quā lacrymam, vtrumque tamen hoc medicamentum venenosum esse, quandoquidem vt docet Galen. i. de Temp. 4. naturam toto genere homini cōtrariam habet; illud tamen sciendum est, huiusmodi vim opij esse satis exiguam, & inefficacem, respectu aliorum venenorum; & hinc est, quod vt interimat opus habet, & qualitate actiua tanquam organo, & copia maiore quā alia venena, quemadmodum sapius dixi ex sententia Galeni. Quæ autem sit qualitas illa, quæ auxiliatur facultati deleteriæ opij, explicuit in primis Dioscor. loco citato, tum Galen. libr. 7. de Simp. medic. & postremo Auic. lib. 2. omnes hi & sequaces ipsorum conuenerunt opium esse frigidum in quarto & vltimo gradu: de qualitatibus passiuis Galen. suam non explicuit sententiam, sed Dioscorides dicit opium exsiccare, & Auicennas addidit exsiccare in quarto gradu, qua de re non obscuræ oriuntur difficultates, & in primis dubium est de qualitate passiuā, vtrum scilicet opium sit siccum; nam si effectus opij ipsius spectemus minimè siccum esse videtur, quandoquidem inducit non solum somnos, verum etiam sopores inexcitabiles & lethargicos. Gal. 2. Aphorism. 3. loquens de somno, inquit si frigiditas iungatur humiditati efficere somnos lethargicos, si iungatur siccitati inducere catalepsis, seu vigiles stupores: vt ex hoc Galeni ratiocinio liceat colligere, non posse opium esse siccum, quia facit lethargicas affectiones: illud etiam compertum est, &

tatem decrepitā maximè vigilem esse, & minimè somnolentam, quæ tamen frigida & sicca est. de qualitatibus etiam actiuis non minor est quæstio, diximus enim quæ fuerit sententia & Galeni & Dioscoridis & Auicennæ: sed contra sunt & rationes & exempla; ratio est, quia vt prodit Galenus, & Auicenna, vbique sapor amarus est sequax caliditatis, nõ frigiditatis, sed opium amarum est, itaque calidum potius quàm frigidum; neque valet in opio esse partes frigidas & calidas, quia vt acutissimè respondet Auerr. 5. Collect. 27. qualitates secundæ sequuntur secundùm gradum qualitates primas, ita vt si qualitas secunda sit remissa, sequatur & primam remissam; si sit intensa, sequatur & primam intensam. iam verò amaritudo opij est intensissima; quare debet quoque caliditas eius esse intensissima: hac enim ratione putauit Auerroes se cogere Medicos, vt asserant non semper amarorem sequi caliditatem. alia ratio est, quia odorata omnia sequuntur calorem, vt docuit Aristot. lib. de Sens. & sensili 5. & Galenus 4. de Simpl. medicamen. cap. 22. sed opium odoratum est, hoc est, graui & tetro odore præditum: quapropter calidam potius quàm frigidum, adsunt & exempla; nam sunt complures nationes & in Austria, & in agro Tridentino, quæ vescuntur semine papaueris, & in placentis, & ad conficiendum oleum: neque tamen à frigiditate huius seminis vnquam laeduntur. idem quoque fit in Aegypto, neque valet quidquam ratio Conciliatoris differen. 20. 4. scilicet quod illud contingat propter cœli Aegyptiorum varietatem, quoniam potius deberet contrarium esse, quia si verum est, vt scribit Alexander in Problem. vina in Aegypto fieri frigida, quod scilicet ob calorem externum terra ipsorum minus caleat, multò ergo magis deberet frigidum esse in Aegypto papauer, quàm alibi ob eandem hanc causam: adhæc Turcæ & Indi etiam nunc vtuntur quodam succo ad excitandā libidinem, & ad exhilarandos animos, quem appellant amphian, & omnes dicunt, qui ad eas regio-
nes

nēs appulerunt, illum succum esse opium, vt hoc exemplo liceat etiam asserere, opium esse potius calidum, quàm frigidum. de hac quaestione pro nunc scire sat erit, opium mistum esse ex partibus frigidis, atq; etiam calidis, necnon ex siccis, & humidis, atque ita esse compositas huiusmodi qualitates vt vix appareant omnes, neque ab inuicem benè discerni possint: non sunt enim per coctionē ita castigatae & temperatae quemadmodum deberent, quo fit, vt non sit mirum si apparent effectus frigidi & interdum calidi. quamquam frigidas partes superare experientia ipsa satis ostendit. neq; valet, quia amaritudo sit maxima, calorem etiam maximum esse debere, quandoquidem amaroris tanta est vis, vt quantumcunque minimus sit hic sapor, longè alios semper videatur excedere, idque compertum est vsu, quia si modicum aloes multo melli commisceatur, semper apparet amaror insignis eò quia vsque adeò hic sapor gustui nostro inimicus est, vt semper magis appareat, quàm vllus alius. quæ etiam ratio facit, vt nō sit mirum si odorem grauem, & tetrum de se mittit, quia vt habetur apud Aristotelem in Sect. Problem. pertinente ad odores, & etiam apud Alexandrum, odores prauī sunt ex inconcoctione, quemadmodum grati ex concoctione: at partes opij sunt inconcoctæ, non est igitur ex hoc arguendum opium esse calidum, quia grauius olet. quod autem fiant ab ipso effectus calidi, causa est, tum quia vt docuerunt Galenus & Dioscorides variæ sunt papaueris species, inter quas sunt etiam aliqua, quæ non nocent, tum quod propter cœli & terræ varietatem fieri potest, vt non solum in longo interstitio, verumetiam in breui videantur miræ earundem arborum varietates, vt præ cæteris significauit Hippocrates lib. 4. de Morb. atque etiam Theophrastus & Mesues. Effectus opij varij & diuersi sunt, in primis autem solet cognosci opium ex ipso graui odore, quæ relinquit in corpore illius, qui ipsum assumsit: nam cum in satis insigni copia sumatur, si debet nocere, fieri non potest,

H

quin amarorem, & grauitatem odoris corpori inferat: adhuc sunt somni inexcitabiles, exitiales, lethargici, pallor totius corporis, sensuum stupiditas, laxitas genarum, inflammationes labiorum, vt docet Nicander, singultus, narium torture, præcordiorum diuulsiones, addit Scribonius Largus, fieri etiam anhelitus difficultatem, & Nicander describit faciem eorum, qui opium sumserunt, quasi cadauerosam & Hippocraticam, quod scilicet propter caloris extinctionem fiant tempora demissa, oculi caui, & nares acutæ. lethale est, vt dicebam opium, & ita lethale vt nisi succurratur, citò interimat, quare si quis hoc venenum sumserit in curatione illius statim, vt monuit Galenus ex sententia Asclepiadis 2. de Antid. 7. deueniendum est ad vomitum, & clysteres: vomitus concitandus est oleo & mulla, aceto, oxymelle, sed quia vsque adeò grauati sunt sopore, qui sumserunt opium, vt interdum neque os aperire possunt, studendum est quamprimum eos à somno excitare, quod fit arctissimis ligaturis, asperis frictionibus, vellicationibus omnium extremorum, & præsertim narium & aurium, sternutatoriis, præcipuè sinapi & castoreo; nam dicebat Galen. 8. de comp. medic. secundum locos, castoreum esse veram, & efficacem antidotū ipsius opij, quare accepta æquali portione sinapis, & castorei, atque naribus immissa poterunt sternutationes fieri, & ad expergefaciendum Scribonius Largus laudat vt in casibus sinapi aceto teratur, atque extremis artubus apponatur, & loco huius nisi profuerint, potuerunt cauteria adhiberi, & vesicatoria qualia solent passim vsurpari. ubi excitatus fuerit æger, vt dicebam, concitandus est vomitus & clysteres infundendi, qui in tanto sensuum stupore necessarium est, vt sint acres & vehementes, cuiusmodi iam retuli. postquam autem & vomitu & clysteribus fuerit venenum e corpore eductum, studendum est, vt & vis venefica & frigus relictum in membris omnino deleatur: quod quidem fit iis medicamentis & internis & externis, quæ possunt simul & calefa-

cere

tere & veneni vim comprimere. extrinsecus laudatur
 vsus balneorum, laconica conferunt, & balnea natura-
 lia, dropacismi, frictions factæ ex nitro & sinapi. intus
 verò confert sumere theriacam antiquam cum vino,
 mithridaticam confectionem cum vino, vel vinum i-
 psam meratum, vinum cum pipere, piper ipsum, dia-
 trion pipereon, diacalametum, aromaticum rosatum,
 quæ omnia medicamenta debent vsurpari, vsque quo-
 certum argumētum appareat, omnes veneni opij reli-
 quias esse superatas.

*De venenis calidis & peculiariter de
 Euphorbio. Cap. VIII.*



NTER venena calida; primum locum
 tribuere videntur auctores euphorbio,
 quod est succus, seu gummi quoddam ar-
 boris inuentum à Iuba Rege, vt docuit
 Plin. lib. 25. cap. 7. & nominatum est euphorbium no-
 mine Medici ipsius Regis Iubæ, qui vocabatur Euphor-
 bus, & frater fuit Antonij Musæ Medici Augusti Cæsa-
 ris, quæ volui dixisse, ne quis miretur si Theophrastus
 Euphorbij nullam mentionem fecit, quandoquidem
 longè antecessit hæc tempora, in quibus inuenta est
 hæc planta. Gal. etiã pauca omnino de euphorbio scri-
 psit libro secundo de Medic. local. cap. 3. necnon 3. de
 Med. per gen. si mentionem fecit euphorbij, potius a-
 liorum relatione locutus est. Dioscorides autem dili-
 gentius persecutus est modū colligendi euphorbium,
 quod scripsit conseruari in vētriculis ouium, quemad-
 modum etiã Galenus confirmavit nono de Medic.
 localib. capite quarto, cur autem potiùs hoc genus gū-
 matis conseruetur hoc genere ventris, puto fieri secretà
 proprietate quàm manifesta qualitate: quãdoquidem
 Hippocrates libro quarto de Morbis scribit, Africanos
 populos vt pellibus pro indumentis, & iumentorum
 ventriculis pro crumenis, quasi propter duritiem, non

magis ouium quàm aliorum animalium efflet ventriculus eligendus . Omnes Arabes docuerunt euphorbium esse calidum & siccum in quarto gradu , præsertim verò Mesues . addit Serapio si euphorbij drachmæ tres fumantur , interimere : nec miretur quis Serapionem docuisse hanc mensuram , quasi sit venenorum demonstrator , quia vbi medicamenta lethalia crebro veniunt in vsum Medicum , licet docere mensuram lethalem , vt possint qui vtuntur cauere huiusmodi mensuras : in aliis autem venenis minime hoc licet : & propterea nõ possum excusare Arnaldum Villanouanum , qui in libro suo de venenis demonstrauit mensuras ferè omnium venenorum : & quanquam euphorbium sit calidum & siccum in quarto gradu , ac propterea interimat , veruntamen habet & ipsum proprietatem aduersariã naturæ nostræ , quò fit vt Andromachus dum recenseret commodã suã Theriacã inter alia scripserit , ipsam valere aduersus venenum euphorbij : quanquam multò efficacior est euphorbij vis manifesta quàm secreta , vt iurè Arabes Medici dixerint , euphorbium esse inflãmatiuum . Galenus verò sexto de Simplicibus medicamentis , dixerit esse causticum . Sed cum opium & euphorbium sint venena , tã occultis , quàm manifestis qualitatibus , iure posset quispiam percutari à me , vtrum sit magis venenum opiumne an euphorbium ? nam vtraque sunt in quarto gradu . Dico opium multò magis venenum esse : & ratio est , quia temperatura humana , & calor noster est in primo gradu , aut ad summum in secundo : iam verò ab huiusmodi gradu caloris multò remotiora sunt frigida in quarto gradu , quàm calida in quarto , vt cū sint remotiora , iure etiam sint magis contraria , & consequenter magis inimica . Effectus euphorbij sunt , ingens aestuatio , inflammatio oris , vetriculi , intestinorum , sitis , singultus , conuulsio , fluxus . quæ omnia ortum ducunt ab vno calore immenso . Quare curatio huius veneni tota posita est in eductione euphorbij per vomitum , & per dyte .

clysteres. Pro vomitu laudant omnes oleum rosatum quod non solum prouocat ipsum, verumetiam simul incendium veneni permulcet: si etiam butyrum huic oleo miscetur optimum est. maximè autem omnium conueniunt clysteres, qui fiunt ex lacte, oleo rosaceo, butyro. Vbi verò vomitu & clysteribus fuerit educum venenum, quoniam solent reliquæ incendij permanere, enitendum est, vt medicamentis refrigerantibus compefcatur omnis feruor; vnde magnoperè valet aqua hordei copiosè sumta, aqua endiuia, lactuca: præcæteris autem confert magnoperè serum caprinum, aut quodcunque larga copia acceptum. coagula animalium omnia commendantur ab Auicenna, quæ administrari possunt liquata aut aqua hordei, aut iure aliquo pingui, & similibus.

De Arsenico. Cap. IX.



NTER calida venena & naturam nostram corrumpentia adnumerat Galen. 5. de Simpl. med. 15. arsenicū, seu arrenicum; nam vtroq; hoc nomine vtuntur sapissimè Medici Græci. Duplex autem est arsenicū, alterum naturale, alterum verò factitium: naturale est, quod spontè oritur in metallis, cuiusmodi dicuntur esse in Caria, atq; etiam in Ponto. Vocatur autem huiusmodi arsenicum, auripigmentum, atque etiam sandaraca; nam tam auripigmentum, quàm sandaraca fiunt in iisdem mineris. & differunt duntaxat secundum maiorem & minorem naturæ coctionem. solent autem appellari & auripigmentum, & sandaraca arsenicum citrinum. Auctor libro de Plantis sub nomine Aristotelis loquens de arsenico, fabulosam quandam illius generationem attulit, vbi scribit fieri arsenicum ex aquis sulphuratis accensis, & limo æris permixtis: sed quod magis est, subiungit, ex auripigmento & arsenico fieri etiam plantas, atqui citius fieret homo ex luto, quàm

planta ex arsenico . factitium duplex est, aliud fit ex arsenico naturali & sale pari pondere mistis, necnon in stilli combustis donec vapores concretant circa vas instar crystalli, vnde huiusmodi arsenicum crystallinum nuncupari consuevit: aliud factitium est, quod fit ex arsenico naturali & sulphure simul combustis & mistis, quod genus Arabes Medici appellant realgad, sibi corrupto Arabum vocabulo vocant rizagal. Vtrumque tamen genus est calidum & siccum in quarto gradu, immo verò in fine quarti gradus, & quanquam ratione huiusmodi qualitatum excedetium sit aduersarium naturæ nostræ, habet tamen & proprietatem occultam, & deleteriam aduersus nos ita, vt si comparetur euphorbio, proprietates hæc lethifera multò maior & efficacior est in arsenico, quàm euphorbio, vt propterea etiam sit magis mortale. Inuentum est temporibus nostris arsenicum supra cordis regionem gestatum tempore pestilentia, magnum adiumentum attulisse: quod non est mirum, cum iam pridem dixerim, aliqua venena esse veluti alexipharmaca, & antidotos aduersus alia venena, vt non sit rationi dissentaneum, arsenicum aduersus pestilentia venenum antipathiam habere, quemadmodum habet argentum viuum aduersus toxicum: nisi fortè dicere velimus, hoc facere mitifica sua exsiccandi vi: sed si hoc esset, pleraque alia sunt, quæ huiusmodi vi pollent, & tamen non ita conferre putantur. Accidentia arsenici sunt ferè eadem, quæ etiam euphorbij, sed paululum valentiora; nam sitis & inflammatio maior est, immo verò vlcerantur labia oris, stomachus, intestina, contuelluntur omnes nerui, singultiunt: hinc dolores & cruciatus intestinorum incredibiles exsurgunt, quæ omnia cum nota haberem diebus elapsis, cum ductusque essem ad videndos tres illos iuuenes miseros, qui vna nocte extincti sunt, iudicauit eos ebrios arsenicum sumisise præ mentis errore, quod scilicet apparent & nares, & labia, & ora esse vlcerata. Ratio curationis horum venenorum est, vt quemad-

quemadmodum de euphorbio dicebam, statim vomitus prouocetur oleo rosacco, lacte, butyro, & melle iure pingui copioso, deinde fiant clysteres, postea ut capiantur ea, quæ possunt visciditate, & frigiditate occurrere facultati ipsius arsenici coruptoriae & ulceratoriae, præceteris autem, ut ego puto, mirifice confert si qui sumit arsenicum, statim aquam copiosè bibat, & præterquam quod hoc mihi compertum est, qui quandoque in cavernas misi canes ubi arsenicum erat, atque eos exanimis extractos, ubi copia bibendi aquam facta esset, reuixisse vidi. potest quoque idem docere nos exemplum murium, qui si quando accepto arsenico aquam biberint, liberari videntur. tum & hoc quod relatam est de vulpibus à Plutarcho 6. Symp. cap. 9. scilicet ubi degustarint amygdalas amaras præ insigni siccitate interire, nisi statim aquam bibant. Hoc verò pacto & curanda & tractanda erit quoque omnis læsio, quæ contingit ex calce: nam calx cum & ipsa sit calida & sicca in quarto gradu, & hac ratione venenet, eadem penè accidentia facit, quæ euphorbium & arsenicum, & consequenter eandem curandi rationem postulat.

*De venenis septicis, seu putrefacientibus,
& peculiariter de Aconito.*

Cap. X.

HEOPHRASTVS lib. 9. de Historia plant. 16. & Galen. libr. 5. de Simplic. medic. cap. 15. necnon libro sexto capite de aconito, proposuerunt inter septica & putrefaciëntia venena aconitum: quod Plin. lib. 27. cap. 2. dixit esse omnium venenorum occisimum, hoc est, & potētissimum & celerimum in occidendo. Sed si veteres cognouissent venena reperiri quæ hodie habentur, & præsertim in regionibus Indicis, & Mauritanis, dixissent profecto multo acutiora & celeriora aconito. vnde hæc planta nomen

H 4

aconiti sit adepta, varia sunt sententiæ; aliqui putant sic appellatam esse, quod ubi nascitur nullus pulvis adsit, nam *ἀργύριον* apud Græcos, idem est, ac si dicatur sine pulvere: alij putarunt sic vocatam esse, quod oriatur in saxis, quæ vocantur acones. Theophr. dixit sic vocatâ, quod nascatur in acone, qui est vicus Peiandinorû populorum in Ponto; utcumq; sit, satis est, plantam hanc, neq; fructu, neq; folio quidquã nocere, sed tantummodo succo radicis; nam sunt plantæ, quæ venenatæ sunt flore, sunt quæ fructu ut mandragora, sunt quæ radice ut aconitum. Cur autem potius in radice venenû hæc planta gerat, quàm in folio, vel in fructu; puto ego nullam potiorè posse assignari causam, quàm proprietatem specificâ ipsius. Nunc ader vnû genus aconiti videtur proposuisse: Dioscor. duo fecit, sunt qui tria, & recetiores stirpium inuestigatores inuenerunt quoq; nouem genera, inter quæ adnumerant napellum celeberrimum venenû, adeo quod quæcumq; de aconito dicuntur, possint quoq; referri ad ipsum napellum. Vtrum autem toxicum frequenter nominatum à scriptoribus sit reponendum inter aconita genera, decernendum est. Promotus quem ego Græca manu scriptum habeo, fuit huius sententiæ toxicum fuisse non simplex genus stirpis, sed venenum quoddam compositum, quemadmodum etiam pharicum. sed puto ego toxicum, neq; fuisse apud veteres vllum genus stirpis venenatæ, neq; medicamenti venenati compositi, sed appellatum fuisse toxicum omni veneni genus, quo teli & sagittæ venenabantur, quæ à Græcis vocatur *τετρα* seu *τετραγονία*; vnde cum inueniatur veteres consueuisse tingere sagittas napello, aconito, pardaliache, elleboro, & plerisque aliis succis venenatis, tum simplicibus, tum mixtis, sit ut putem, omnia hæc & potuisse, & posse hoc tempore appellari toxica, scilicet à sagittis, quæ tinguntur ipsis; nam apud Gal. lib. de Ther. ad Pison. cap. 10. scripta est quædam historia helenij, qua videtur existimasse helenium esse venenû, quo tingebantur sagittæ, & quia certum est apud stirpium scriptores, helen-

helenium non fuisse, neque esse venenum, sed herbam quandam aliam ab Helena repertam, hinc plerique putarunt eam non esse Galeni farinam, & ideo librum illum esse spurium, & quamquam ea de re iudicium nostrum sit in voluminibus Galeni à Iuntis editis, tamen quoque hoc loco volo quidpiam aliud dicere. Iulius Scaliger tempestate nostra vir doctissimus in suis commentarijs ad librum Aristot. de Plantis putavit locum illum Gal. ita esse corrigendum, vt loco helenij scribatur veleniū, scilicet *ἀπὸ τῶν βελῶν*, hoc est ab armis, & à sagittis, quasi eo in loco vsus sit hac voce populari & Romana. quæ idem significat, quod sonat apud Græcos vox toxici: & certè hæc coniectura mihi non displicet, sed enim huiusmodi vox, nimirum velenium, non reperitur apud scriptores Græcos, nihil refert, quia vox est materna populi Romani, & Galenus solet interdum vsurpare huiusmodi voces, quemadmodum 7. Meth. nominat decoctam, quæ erat vox non Græca, sed populi Romani, & certè si prius huiusmodi rem cognouissem, forsàn eam interieruissem inter alias rationes, quibus vtar ad probandum librum illum præstantissimū fuisse Galeni, poterit hoc tamen eo in loco adiuungi. De temperamento aconiti nihil certi prodiderunt scriptores veteres, Ioannes Gorraeus Medicus celeberrimus in adnotationibus suis ad Nicandrum voluit aconitum frigidum esse, & adductus est hac ratione, quoniam curatur medicamentis calidis, cuiusmodi proponit Nicander, posset etiam & alia ratio addi, frigidum scilicet esse iccirco, quia nascatur in regionibus frigidis, vt est Pontus; sed (pace huius viri dicam) deceptus est, quandoquidē vt docuit Gal. 5. de Simpl. med. cap. 15. & Auic. lib. 2. non longè ab initio medicamenta omnia, & venena putrefactia calida sunt & humida, vnde cum aconitum septicum sit, seu putrefactorium, quis dubitat necessarium esse, vt sit calidum & humidum; neque valet quod curetur remedijs calidis, quia remedia putredinis sunt omnia sicca, siue sint calida, siue frigida;

imò verò quotiescumque volumus statim compefcere ingentes putredines, vtimur medicamentis calidis & ficcis, quemadmodum manifestum est in curatione grænæ, quæ licet originem ducat ab immenso incendio, tamen vt comprimatur, solèmus adhibere & lixiua & calcem, quæ est calidissima, & siccissima: neque etiam valet aconitum esse frigidum, quia oriatur in regionibus frigidis, quandoquidem in his ob aeris rigorem solent intima terræ calidissima esse, vt propterea in Ponto dixerit Theophr. in lib. de Igne, metalla liquari ob calorem coactum in terra, vt non sit mirum, si in regionibus frigidis oriantur, & fiant radices in terra calidissima, atque hoc est quod dicebat Alex. 2. Probl. 6. scilicet in Scythia quemadmodum & in Germania fieri vna potentissima & calidissima, quia frigore cæli calor coactus in terra radices vitium calefacit, & consequenter in eis succum calidum producit: est itaque aconitum calidum & humidum, atque etiam insigniter, vel in tertio, vel in initio quarti gradus; sed tamen calidum sit, non est lethale ob caliditatem tantum, sed proprietate naturæ deleteriæ, ob quam cum iugulet calorè nativum animalium, consequenter inducit extraneum, & putredinalem, ita vt putrefaciendo interimat non solum homines, verum etiam feras immanissimas, veluti pantheras, lupos, & leones: neque solum si poterit, verum etiam vt scribit Theophr. 9. de Hist. anim. & Plin. lib. 27. cap. 2. si ipso tangantur genitalia, vnde Calpurneus ille Bestia interimebat vxores suas, vt dicitur tactis ipsarum genitalibus succo aconiti; est enim hoc venenum illud, quod dicebat Theophr. parari ita vt interdum occideret vna die, interdum hebdomada interdum vno vel tribus mensibus. Varia sunt symptomata & varij effectus, quos producit aconitum: in primis est qui sumferunt aconitum, solent or: primum percipere saporem quendam subdulcem, deinde paullo post Ponticium, nemum magnoperè caput perturbari solet: adhuc fiunt vertigines, deliria, convulsiones, tremores, grauitates pectoris

pectoris & pulmonis, sitis, aestuatio, intestinorum tormina & rugitus, & si vita venenati protrahatur, appareat & in excrementis, & etiam in cute signa insignis putredinis. Duo autem occurrunt circa ea, quae diximus, pulcherrima problemata. Vnum est, quomodo fieri possit, ut sagittae, vel tela veneno aconiti, aut alio infecta possint venenare, & interficere. aliud qua ratione fieri possit, ut aconitum solo contactu genitalium, & homines, & bruta interimat. Pro primo dico, duo concurrere ad hoc, ut venenum quo tinguntur sagittae efficax sit & lethale; vnum est visciditas ipsius succi; nam si debent venena telis in tractu adherere, & conservari dum iaciuntur, necessarium est, ut aliquo lentore & visciditate praedita sint, merito cuius tenacissime haereant ijs: alterum est, quod motu venena incalescunt, quemadmodum dicebat Aristot. 3. de Coelo, plumbum quod inest sagittis a calore motus liquari. cum itaque illa venena calida sint, & motu calefacta, ubi penetrant carnes, statim tamquam ignis in venas, & arterias se infinuant, atque per uniuersum corpus propagantur: vnde quem admodum scribit Plin. lib. 25. cap. 5. Galli ut ferarum carnes teneriores redderent, consueverunt tingere sagittas succo ellebori, atque inde circumcidere carnes tactas ab illo, & reliquis uti. Certa experientia edocti sic carnes euadere teneriores, nimirum ob igneum calorem a sagittis elleboro tinctis immissum. Ad aliud problema dicendum est, non esse praeter rationem, ut venena putrefacientia extrinsecus adhibita genitalibus necem inferant, quia partes illae factae sunt a natura calidae & humidae propter generationis beneficium, quae sita est in calido & humido, vnde ubi tanguntur haec corpora a venenis calidis & humidis ac subinde putrefacientibus, rationi consonum est, ut eum & ipsa sint calida & humida facile recipiant putredinem venenatam, atque eam propter vasorum latitudinem statim communicent partibus spiritualibus, & praesertim cordi, cum quibus & testes & genitalia habere maximam sympathiam, te-

ffis locupletissimus est Hippoc. 2. epid. nam id contingit de venenis huiusmodi, quod etiam contingit de lue venerea, quia sicut per contactum solum genitalium virus Gallicum contrahitur, & per vniuersum corpus distribuitur: haud secus etiam existimandum est contingere, vbi genitalia à veneno hoc tanguntur. Curatio est, vt si aconitum intus acceptum sit, primum studeatur illud euomere, aut per clysteres educere: sin autem sit gladio aut sagitta extrinsecus immissum, enitendū est illud suctu, cucurbitulis, scarificationibus extrahere, & si in vilo veneno extrinsecus illato vtile est ad ignē confugere, proculdubio vtilissimum est, quippe cum igne omnis putredo statim cohibeatur: adhæc sunt adhibenda ea remedia, quæ huic veneno propria existimantur. Herachitus Medicus approbavit radices eryngij siue in puluere, siue in succo acceptas. Galenus autem 2. de Antid. laudauit rutam acceptam in iure gallinaceo, vel vino: laudatur etiam trissago, origanum, castoreū: inuenio etiam non parum commendari vsum scoriz ferri, seu æris in vino acceptæ; valet theriaca, & mithridatum; sed omnium maximè commendatum est balsamum, quo cum vescantur viperæ in Arabia, dicunt ob id in ea regione vipers minimè venenatas esse. Aristot. 9. de Histor. animal. 6. scribit, pantheras vbi acceperūt aconitum quod vocatur pardalianche, eo quia enecat pardalos, seu pantheras, statim quærere sterces humanū, quod si inuenerint eo accepto statim liberari, quasi illud sit antidotus aduersus hoc venenum: & Albertus Magnus exponens locum illum dicebat, sterces humanum præsertim recens; & adhuc calore natiuo præditū, habere vim theriacalem, vt non sit damnandus Razes si etiam in venenis fungorum laudauit illud assumtū, quod voluit significare, non vt aliquis eo vtatur; indignum enim homine videtur, sed ita in mentem venit; nam & Galenus 11. de Simpl. medicamen. loquens de stercore hum. scribit sese nullā habuisse experiētiā huius remedij, sed tantū ex relatione aliorū sibi esse cognitū.

De

De Gypso, & Cerussa. Cap. XI.

GYPSUM & cerussa recensentur apud scriptores in numero venenorum: & quia hæc frequentissime in manibus hominum habentur, operæ precium est diligenter ipsa cognoscere. cerussa enim species est terræ artificialis, quæ ut docuit Theophr. lib. de Lapid. necnon Vitruuius & Dioscorides, fit ex vaporibus aceti feruentis circa plumbum concrefcentibus. gypsum verò duplex est, aliud artificiale, aliud verò naturale. artificiale ut docuit ibidem Theophrastus conficitur ex lapide in fornacibus deusto, perinde atque calx, & appellatur à nonnullis istud gypsum lapis cerussæ. naturale verò gypsum fit in mineris tam Græcæ, quàm Italiæ, & fit eo pacto quo cetera mineralia. Vñus cerussæ & gyphi varius fuit apud veteres, atque etiam nunc est. nam cerussa vtuntur pictores, Medici vtabantur antiquitus, & etiam nunc vtuntur mulieres ad dealbandas facies, quemadmodum clarè habetur apud Plautum, Athenæum, & apud Clemenstem Alexandrinum lib. 3. Pædago. cap. 2. gypso similiter vsi sunt, atque etiam nunc vtuntur varij artifices cementarij, pictores, Medici vtabantur, & veteres ad tingēdos pedes feruorum venalitorum. tradit Theophrastus in vsu fuisse ad depuranda vīna, quemadmodum hoc tempore aliquæ nationes vtuntur. Siccam esse temperaturam & cerussæ, & gyphi inter omnes ferè scriptores conuenit; sed aduertendum hæc propter siccitatem minime esse venena, sed tum propter inimicam cordi proprietatem, tum quia solent substantiam quandam lætam, tenacem, & crassam habere, meritò cuius vbi imprudenter deuorantur, strangulare consueuerunt. Sed de cerussa dubitari posset, numquid verè sicca sit, nam si ipsius generationem & substantiam spectemus, fit ex vaporibus aceti, & substantia plumbi corrasa. iam verò Aristoteles 13. problem. 6. scribit, vinum vbi in vapores conuertitur euadere aquam, ex quo loco colligunt nō

nulli cognouisse aquam vitæ, & consequenter distilla
 di artem; sed acetum est vinum corruptum, vnde & gyp-
 sam in vapores conuersum, verisimile est euadere aquã.
 adhæc Galenus 9. de Simplic. medicamen. scribit plũ-
 bi substantiam constare ex multa parte aquea, & aerea,
 pauca verò terrea: ex quibus verbis colligi potest, cerus-
 sam ipsam tam ratione aceti, quam ratione plumbi, hu-
 midam potius esse, quàm siccam. Dicendum est quod
 ad acetum pertinet, & si in vapores conuersum quodã
 pacto in aquam vertatur, seruare tamen facultatem sic-
 candi. de plumbo autem dicere possumus, Galenum as-
 seruasse quidem illud cõstare ex multa parte aquea, sed
 concreta & coacta. quamquam vt libere dicam puto ea
 in re Galenum paulisper ipsum dormitasse, quia cum
 sit plumbum corpus grauissimum, nescio villo modo
 cogitare, quomodo in eo multus aer sit, quemadmodũ
 videtur dicere Galenus. Vtrum autem ea in re defendi
 possit, quisque secum cogitet. De gypso etiam iure du-
 bitari potest, vtrum frigidum sit an calidum: Theophr.
 lib. de Lapidib. statuit esse calidissimum, & id astruit
 duobus argumentis. Vnum est, quia ipsum vbi aqua
 maceratur, statim inflammatur, & vrit perinde atque
 calx; immo verò, inquit nauem interdum combustam
 propter vestem gypsatam, & aqua conserpam: alterũ
 est, quia gypsum vbi manibus conteritur, statim in-
 clescit, ita vt vtere videatur; ex quibus omnibus clarè
 videri potest esse calidissimum. Sed ex aduerso Galen.
 9. de Simpl. medicam. astruit quidem gypsum siccum
 esse, sed de frigiditate, aut caliditate nullum verbum fe-
 cit. quamquam vt placuit nonnullis, videatur colligi
 posse; ipsum tribuisse gypso frigiditatem, cum dicit il-
 lud præditum facultate repercussoria. Serapion dixit
 esse satis frigidum, eò quia adstringit & repercutit. Ara-
 bum etiam sectatores manifestè tradiderunt esse frigi-
 dum in secũdo gradu, ad eò vt manifestissima appareat
 contradictio inter Theophrastum, & Arabes. Quæ si sol-
 ni possit, hæc vna mihi videtur soluendi ratio, nimirũ
 Theophras-

Theophrastum locutum esse de gypso artificiali, quod fit ex combustis lapidibus: Serapionem verò & Arabes de naturali, quod si iudicetur etiam ipsum locutum de artificiali, dicere possumus huiusmodi gypsum aut vetustum, aut recens, vetustum frigidum esse, atque de hoc locutos Arabes. nam licet videre calcem vetustam aqua conspersam, neque inflammari, neque vllum caliditatis signum habere, quod si etiam de recenti locutus sit Serapio, possumus dicere in gypso ratione terræ frigiditatem esse, ratione verò ignis relictæ inesse caliditatem, propterea verè censuisse & Theophrastum & Arabes. Cognoscere cerussam vel gypsum assumptum nõ est difficile, quandoquidem qui hæc deuorant si diligenter inspiciantur semper habent linguam, palatum, dentes, & labia dealbata, ita vt oculis ipsis statim huiusmodi venena conspicua euadant: sed præter hæc signa sunt & alia, quæ sunt veluti accidentia cõsequentia huiusmodi venena: imprimis enim adest singultus, tussis, ariditas faucium; torpor, mentis percussio, delirium, præ cæteris autè dolor circa stomachum. nam vt scribit Gal. 1. de Sympt. caus. cap. 7. omnibus illis qui sumserunt vel cerussam, vel gypsum oboriuntur dolores grauissimi circa os ventriculi & stomachum. præter hæc solent habere tota corpora dealbata, fiunt illis anxietates, syncopes, strangulationes: dicebat Auic. interdum fieri etiam vrinas nigras & sanguinolentas. cur autem fiât huiusmodi vrinæ, potest ea ratio assignari, quòd facultas retentrix renum ab hoc veneno infirma reddatur, ita vt relaxata vasa ipsorum permittant sanguinem exire. de nigredine autem vrinæ dicunt interpretes Auic. eam fieri propter extinctionem caloris natiui, sed hæc ratio minime accommodata mihi videtur, quandoquidem id si esset verum, in veneno opij deberent vrinæ nigriores fieri, quia citra omnium controuersiam ab opio magis extinguitur calor natiuus, quàm à gypso vel cerussa. Quare dicendum est causam huius nigredinis esse aut obstructionem quæ fit in vasis deferentibus sua

cum melancholicum à iecore ad lienem, propter quam
 cum impediatur transitus humoris melancholici & ni-
 gri, fit vt ille refusus in renes & vesicam nigras reddat
 vrinas: vel potius dicendum est, minimè verum esse
 quod fiant vrinæ nigrae, quandoquidem Scribonius
 Largus inter alia signa horum venenorum ponit vrinas
 albas. Est autem proculdubio huiusmodi venenum ex-
 itiale ex ratione quam antea retuli, vt credendum sit
 Plinio, Proculeium quendam grauius in stomacho cru-
 ciatum, vt tormentum illud effugeret, sese poro gypso
 strangulasse. Curandi ratio est, vt clysteribus & vom-
 itu statim venenum educatur, & quia tenacissimum est,
 vtendum vomitorijs grauissimis, atque etiam ellebo-
 rismo, si opus est: post vomitum etiam ad vsu scam-
 monei deueniendum est, vt consuluit Auicennas: de-
 inde vtendum medicamentis, quæ vim habeant & pin-
 guem & emplasticam, vnde Nicander iure laudauit oli-
 uas: sic etiam commendatur decoctum ex dactylis, fi-
 cubus aridis, origano; amygdalas amaras plerique lau-
 dant. sed veram & propriam antidotum huius rei, dicunt
 esse sterces muris tritum & ex vino potum, vt præterea
 alias antidotos, & theriacam, & athanasiam, & mithri-
 datum, quæ educto iam ex corpore per vomitum, vel
 medicamenta veneno maximè conueniunt, tum ad de-
 lendam ponitus materiam venenicam & proprietatem
 illam inimicam cordi, & deleteriam, tum maximè ad
 corroborandum, & consolandum ventriculum, qui ab
 hoc veneno plurimum patitur.

De Fungis. Cap. XII.

SVNT & fungi cõnumerati inter venena, quos
 tanto magis cognoscere necesse est, quanto
 grauius periculum impendet homini ex vsu
 horum: nam sunt nonnulli vsque adeo dediti
 gula, vt potius periculum mortis subire eligant, quam
 à fungis abstinere. est fungus vt placuit Theoph. & Gal.
 planta

planta sine radice mollis, spongiosa & alba. Nicander appellauit terrę fermentum, eò quia propriè generetur ex terra acido succo fermentata, vel vt dicebat Plin. lib. 22. cap. 23. ex pituita arborum: nam si loca spectemus vbi nascuntur fungi, plerumque sunt vliginosa & humore limoso veluti fermentata: quod autem scribit Theoph. lib. 4. de Histor. plan. 8. nimirum in quadam regione maris rubri fieri fungos ex aqua pluuiali, qui tacti à Sole statim lapidescant, nihil refert ad nostram tractationem: plerique scriptores, & inter alios Plin. varia effecerunt eorum genera, alia enim appellant à locis in quibus nascuntur: alia ab arboribus propè quas oriuntur: alia à calore: alia verò à magnitudine: siquidem inter fungos aliqui parui sunt, aliqui maiores, aliqui verò maximi, ita vt pilei formam æmulentur: vnde extat Plaut. ille iocus, apud quem seruius nescio quem pileatum vocat fungum. Diosc. lib. 4. cap. 78. duo genera tantum posuit: alterum quod edi potest, alterum verò perniciosum: fungus edendus est pratensis vocatus, pratensibus optima fungus natura est, dicebat Horatius. boleti etiam vocati inter hos numerantur quos Gal. 2. de Alim. facul. & lib. de cibis boni & mali succi, dixit semper esse innoxios, & ioco quodam solebat dicere Nero Imperator, huiusmodi fungos esse Deorum cibum, genus verò perniciosi tale est vel copia, quando scilicet comeditur in maiori copia, quam conuenit, vel apparatu, quando scilicet non coquuntur, quemadmodum deceret, vel suaptè natura fungus perniciosus est, vel propter naturam & substantiam spongiosam, vel ob prauam & deleteriam qualitatem; nam sicuti videmus spongas deuoratas à canibus eos interimere, quod in ventre tumeant & aqua impleantur, atque sic euictæ strangulent: pari pacto & fungi & corpora huiusmodi deuorata solent certam perniciem adferre. Quomodo autem fungi acquirant prauam & deleteriam qualitatem luculentissimè docuit Diosc. qui scripsit, eos venenosos euadere, vel quia fiunt circa ferrum rubiginosum, vel

circa pannos putres & marcidos, vel propè cauernas; nã
 cum in cauernis lateant animalia venenosa, vbi illa e-
 xeunt, fungos contrectare solent, & eos lethali veneno
 inficere. Cognoscuntur fungi perniciosi copia & appa-
 ratu, eò quod singularia quaedam & graua symptoma-
 ta inducunt: nam primo illi qui copiosè ipsos sumse-
 runt, sentiunt veluti angustiam quandam, nec non oris
 stomachi grauitatem summam; adhac percipiunt stri-
 cturam quandam pectoris, qua videntur veluti suffoca-
 ri, incurunt interdum syncopen, sudorib⁹ frigidis dif-
 fluunt, alui fluxu, & cholera tentantur. qui vero perni-
 ciosos fungos sumserūt, dignoscuntur & ipsi proprijs
 quibusdam symptomatibus; namque & hi angore ven-
 triculi sentiunt, tormina patiuntur, vomitus, vlcera in-
 testinorum, colli dolores, decolorantur, & quibusdam
 ventriculi puncturis premi & affligi consueuerunt: at-
 que his signis cognoscuntur illi qui perniciosos deuora-
 runt. Sed solent etiam cognosci fungi venenosi prius-
 quam sumantur, primò quidem colore, quoniam vt di-
 cebat Auic. 6. quarti. tract. 2. cap. 10. sunt modò viides,
 modò nigricantes, modò purpurescentes; adhac vbi
 auulsi sunt à terra statim computrescunt, & si cultello
 incidantur, fiunt modò liuidi, modò nigri. hi itaque
 suapte natura omnes sunt exitiales, ita vt retulerit Pli-
 nius visum esse quandoque integras familias vsu eorū
 fuisse extinctas: quare in tanto vitæ periculo multo ru-
 tius est omnes fungos auersari exceptis innocentissimis
 boletis. verumtamen quia interdum nonnulli gula tra-
 sti hanc perniciem deuorant, videnda est curatio. Vbi i-
 taque contigerit aliquem vocari ad eos, qui fungis laesi
 sunt, prospicere debebit, vt quàm citissimè ij è corpore
 educantur, id quod quatuor modis fieri potest, vomit-
 u, clysteribus, vrina, & medicamentis. primum autè
 vomitus tentandus est oleo rosaceo, succo raphani; oxy-
 melle; præsertim verò laudat Galenus ex sententia Hip-
 pocratis 6. in 6. epidem. 5. aceti vsu, eò quod illud nõ
 solum vomitum excitet aquæ præsertim & oleo mistū,
 verum-

verumetiam sua tenuitate incidit & absumit substantiam
fungorum. Clysteres conueniunt acerrimi, vt esset;
R. Foliorum centaur. m. s.
Coloquin. drach. r.
Foliorum pulegij
Calamenti an. m. r.

Fiat decoctio secundum artem. deinde
R. Dictæ decoctionis lib. i. s.
Hiera Archig. vnc. s.
Mellis rosa. fol. vnc. 3.
Pul. dictami creten. drach. r.
Salis parum.

Misce, & fiat clyster. per urinam porro prouocandus est
extus fungorum, decocto petroselinii, ameos, asari, &
inter cætera soleo vti huiusmodi decocto :

R. Radicum asparagi siluest.
Radicum petroselana vnc. s.
Asari,
Ameos,
Dauci, ana drach. s.

Fiat decoctio secundum artem. deinde
R. Dictæ decoctionis lib. r.
Mellis communis vnc. z.


Despumetur parum bulliendo & sumantur pro singula
la vice vnc. 4. plus minusve, ita enim plerumque flu-
tuosa solet esse urinae prouocatio in hoc casu. vt Nico-
laus Florētinus dixerit, sese vidisse interdum frustra fun-
gorum per urinam excreta. Postremo loco est euacua-
tio per medicamenta, & laudant omnes vsum agarici
atque scammonii; poterit verò huiusmodi medicamē-
tum commodè exhiberi :


R. Electuar. Indi drach. 3.
Diacatholic. drach. 5.
Agarici troc. drach. r.
Trocif. violar. cum
Scammonii scrup. s.

Misce, & fiat bolus. Vbi fuerint his auxilijs fungi eua-

cuati, superest vt prospiciatur ventriculo & intus nihil
vtilius est ipso melle, quod vsurpari potest, & colatum
& non colatum; dicebat enim Auicennas propriam &
peculiarem antidotum fungi venenati esse ipsum mel:
& iure, quia mel & humiditatem, & frigiditatem eius
corrigit, & si quid ipsius substantiæ in ventriculo relin-
quatur, attenuat, atque dissipat. præter hæc in vsu ha-
bendæ confectiones omnes calorificæ, vt est diamuscū,
diaspoliticon, diatrion piper. & postremo theriaca anti-
qua, quæ maximè commoda est. Atque hic finis esto
tractationis nostræ de venenis, quorum & si non om-
nia genera simus persecuti; potiora tamen ita tra-
didimus, vt liceat vnicuique ex
exercitatione in his
alia omnia per
tractare.

FINIS.





CENSURA
DE
HIPPOCRATIS
OPERIBVS.



BASILEAE
MDCLXVIC.

T Y P O G R A P H V S
L E C T O R I

Cum in duobus istis, de Morbis Puerorum
& de Venenis, tractatibus opera nostra
essent occupata & ultima ferè manus illis
imposita, admoniti sumus à quodam Medico
studioso de Censura ista Hippocrateorum o-
perum eiusdem, ut ille quidem coniebat,
Auctoris, qua cum lucem hætenus commu-
nem non viderit, summoperè hortabatur, ut
istis subiiceremus: paruum non inuiti, fa-
cturi studiis Medicis operam utilem, & Au-
ctori fortassis, ut speramus, non ingrata. Le-
ctor itaque candidus nostrum in re li-
teraria iuuanda animum re-
ctè accipiet.

C E N S U R A
DE HIPPOCRA-
TIS OPERIBVS.

HIPPOCRATEM Cum Heraclida filium, summum Philosophum atq; medicum, necnon, vt Strabo narrat, nobilitate insignem, ac Herodoti primi ferè historiarum scriptoris coetaneum, pauca scripisse, aut pauca saltè ad nos ipsius peruenisse scripta, nemo ferè est, qui ignoret. Cæterum cum posterioribus temporibus Aegypti reges locupletandæ bibliothecæ cupidissimi, quemque ad adferendos antiquorum auctorum commentarios propositis eximiis præmiis inuitarent, factum est, vt complures à lucri studiosis libri falsò probatorum auctorum adscripto nomine offerretur, qui deinceps vel surrepti quo tempore ea bibliotheca dissoluta est, vel inde transcripti falsis titulis, ad posteritatem longè lateque propagati sunt. Id quod Hippocratis Coi commentarios potissimum esse passos existimandum est, tum quia summam semper illius (cuius dictionem Dei voci Galenus (i. de usu par. cap. 9.) æquiparat, omnesque idem sensisse auctor est Suidas) apud omnes auctoritatem extitisse certum est: tum quia alii fuere huiusce nominis scriptores, & præ cæteris Hippocratis nostri auus Gnosidici filius, qui cum & ipsi libros reliquerint, facillè fuit bonos illos

reges, vel ipsorum bibliothecæ curatores fallere. Illud adiciere etiam hisce possumus, quod memorant Plutarchus (in Sylla) & Strabo (lib. 13. Georg.) libris Aristotelis contigisse, ut diu sepulti iacuerint, mox corrosi & deprauati sint inuenti: simile quid Hippocratis commentariis accidisse me vehementer suspicari. Siquidem Galenus perhibet eos dissipatos ab Artemidoro Capitone vocato, nec non à Dioscoride (1. in 3. Epid. text. 4. & com. in lib. de natur. hum. tex. 1.) ipsius contemporaneo collectos, mox sub Hadriano Imperatore editos, ac proinde immutatos esse, ut cum incorrecti & deformati essent, occasionem non exiguam attulerint, vel legitimos abrogandi, vel spurios legitimis tanquam contaminatis substituendi. Itaque multum interest, ut que verè sint ab illo Hippocrate scripta à cæteris dignosci possint, quod & à Galeno & à plerisque, aliis tentatum fuit, quodque si Hippocrati contradicendi studiosi factitassent, minimè spuriorum ipsius librorum auctoritate (quod interdum faciunt) vti essent, neque ita audacter cum damnare sibi proposuissent. Igitur pro illa, qua ergo omnes Hippocratis studiosis affectus sum voluntate, putavi non inutile me opus facturum, si Galeni aliorumque iudicia secutus, germana Hippocratis commentaria à nothis, ut distingui debeant, quantum in me est, breuibus indicarem, eò maximè quòd Erotianus in sui lexici Hippocratici proœmio nimium audacter omnes verè Hippocraticos haberi, qui circumferuntur, prodidit. Neque me latet hoc opus impeditum fore, tum quia ingens semper fuit auctorum circa libros Hippocratis discordia, tum quia (ut dicebat Soranus Cous) multæ causæ iudicium offuscant, nomenclatura, dictionis character, quem æmulari licet, ad hæc locutionis varietas, siquidem vnus atque idem scriptor ob ætatis varietatem modò debilius, modò validius scribere solet. Omnes autem, qui sub Hippocratis nomine circumferuntur, libros in quatuor classes partiri debere quòd semper iudicauerim, efficit in primis

primis insignis illa eorundem varietas; quicumque enim attēte, ac prudenter ipsos perlegerit, facile cognoscet aliquos esse, quorum phrasīs & doctrina parentem Hippocratem referunt: Alios, qui nihil minus quā Hippocraticam repræsentant farinam: Alios rursū, qui saltē doctrinam integram sapientissimi senis, Aliosque, qui nō exactē integram continent, ut prima classis sit eorum, qui & conscripti & editi ab ipso Hippocrate fuerunt; secunda eorum, qui ab ipso quidem sunt conscripti, verū editi à Thessalo eius filio, aut à Polybo, aliisque discipulis; cū enim in membranis atque chartis (ut erat tunc scriptorum omnium mos) obseruata & meditata notasset, quō memoria cōseruarentur, & subinde fufius in libris explicarentur, ipso Hippocrate extincto, ij, qui in membranis notata inueniunt, ne perirent ita imperfecta potius ediderunt. Tertia eorum, qui nec editi nec conscripti fuerunt ab Hippocrate, sed vel à filiis vel à discipulis secundum eius dogmata & doctrinam sunt confecti, cū enim quotidie videamus plerosque discipulos & filios præceptorum ac parentum doctrinam colere, sequi, nec non posteris tradere, haud secus immō multo magis contigisse Hippocrati par est, quem & viuētem omnes suspiciebant, & extinctum venerati sunt. Quarta demum eorum, qui ab Hippocratica eruditione alieni, & omnino spurij, sub ipsius tamen nomine publicati fuerunt. neque verō est, ut quæ à filiis Hippocratis scripta sunt, ea tanquam verè Hippocratica omnia recipiamus, cū & à Galeno (lib. quod animi mores &c.) & ab ipso antiquioribus Aristophane & Eupolide ij tāquam indocti, bardi, & meræ pecudes traducti sint, quod tamen de Thessalo (quem virum admirabilem vocat Galenus) minimè intelligendam puto. Iam verō ut singulos in proprias classes referamus, à prima initium capiemus atque ne in iudicandis germanis huiusce scriptoris operibus erremus, nonnulla præmittenda sunt de sermone, atque vniuerso Hippocratis scribendi gene-

re, quem quidem scribit Aelianus (lib. 4. Var. cap. 20.) cum esset Doricus à Democrito (à quo ipsemet fatetur se complura didicisse) monitū Ionica lingua scripsisse, hoc est, prisca illa Attica, quam eadem cū Ionica fuisse docet Strabo (in initio lib. 8.) vt verè dixerit Galenus (lib. 3. Epid. com. 3. & 32. lib. 1. de frac. tex. 1.) Hippocratē linguæ græcæ peritum fuisse, ac lingua Attica prisca secundum nonnullos vsū. Illud tamen quoque verissimum est, aliquando eum nomina quedam (vt erat tūc vocabulorum paupertas) sibi effinxisse, interdum obsoletissima vsurpasse, neque semper propriè locutum esse, sicuti ex libris Erotiani & Galeni de Hippocraticis vocibus inscriptis vnicique perspicere licet, vbi scriptum est ex Eratosthene, antiquos multa sibi nomina fecisse, Hippocratem autem vnum fuisse in phrasi Homericum, in nominibus fingendis promptum, & ad mentis demum conceptus explicandos, necnon ex popularibus magis proprias voces eligendas idoneum. Porro quod fuerit ipsi vsitatissimum atque familiare scribendi genus, si mihi liceat proferre, & quæ de eo diligentissimus Galenus disertè, sed sparsim adnotauit, in vnum conferre, tres conditiones Hippocratica dictio & phrasis habere videtur. Prima est breuitas, & breuitati cōiuncta obscuritas, quo enim tempore paucissimis eloquentia in vsu erat, pauciq; siue soluta oratione (qua primum Pherecidem Syrum Pythagoræ præceptorem & Hippocrate paulò seniore vsū fuisse auctor est Apuleius (2. floridorū) siue metrica scribebant, quicumque sese ad scribendum applicabant siue Philosophi siue medici, communi hominum (quos ait Aristoteles optare citò addiscere) desiderio inseruientes, quantum poterant, quamlibet prolixitatem euitabant, & præsertim ij, qui in continuis operum exercitationibus, vt Hippocrates, versabantur, vnde factum est, vt is rarò præfationibus (quemadmodum etiam Aristotelem (2. de elem. cap. 4.) in acroamaticis fecisse tradit M. Cicero) vsus sit, quanquam non me lateat Gale-

num

num(9. Meth. 8. & 2. de vict. acut. 1. prog. 26. 10. de elem. cap. 3. 2. de dieb. decr. vlt. 1. de elem. cap. 3.) alias breuitatis & obscuritatis Hippocraticæ causas proposuisse, vbi scribit cum concisè, breuiter, & obscurè scripsisse, quod ea, quæ euidenter apparent, absq; vlla probatione traderet, quod primus ferè indicationum aliarum que rerum inuentor extiterit, quod sæpe, quæ necessario sequuntur, amittès sub vno particulari vniuersalia præcepta complectatur, simulque crebrò euenientia relinquens, rara tantummodo enarret, atque vnius meminisse contentus, reliqua similis naturæ despiciat, vt iure dixerit idem Galenus (5. de Tuen. san. cap. 1. 1. de vsu par. c. 8. lib. de comar. cap. 3.) cum vniuersam medendi methodum summis capitibus indicasse. Altera conditio est; Hippocratis dicta tamerè concisè & imperfecta, nihilominus vera esse, nec quidquam ab ipso frustra proditum facilè inueniri, adeo vt syllabas nedum dictiones huius auctoris aliquid significare scribat Galenus, secus quàm Homeri. Ob quod si qui facilè Hippocratem damnant, vel quia imperfectus videatur, vel quia interdum superuacanea dicat, prius quàm reprehendant, diligenter eius verba considerare & perpendere debent, illud semper ob oculos proponentes, neminem ipso post natos homines sapietiorum, & medicinæ peritiorum extitisse, qui cum ante se nullum ferè probatum medicum habuerit, à quo discere posset, præter vnum vel alterum, vt auum suum Hippocratem, & Alcæona Crotoniatem Pythagoræ auditorum quem primum inuenisse corporum dissectionem ab Herophilo (quem scribit Tertullianus in lib. de an. ma.) septingenta cadauera secuisse, vt hominem cognosceret) posterius auctam & excultam, tradit Chalcidius (in com. ad Platonis Timæum.) propria tamen industria ac singulari ingenij fecunditate tot bona adinuenit, illustrauit, & perfecit. Tertia Hippocraticæ dictionis conditio est grauitas, quæ non modò in rebus tractatis conspicitur, verùm etiam in sententiis, verbis, & compositio-

ne; quod enim eruditissimus vir, atque ætatis nostræ
 vnicus splendor Petrus Victorius (in Comm. ad Deme-
 trium.) scribit Hippocratem in suis edendis sententiis
 duram compositionem amasse, id quidem minime vi-
 tio huic auctori verti debet, quippe qui cum breuita-
 tem in Aphorismis præsertim sibi proposuisset *τὸ ἀσύν-
 δετον*, hoc est, non colligatum, sed disiunctum orationis
 genus, quod necessario duritiem aliquam præ se fert, se-
 qui coactus est, vt eam potius æmulam quandam gra-
 uicatis locutionis, quam vitiosam nūcupare liceat. Has
 conditiones, vel saltem maiorem ipsarū partem si quis
 in legendis Hippocratis commentariis ante oculos ha-
 buerit, adulterinos à germanis, proprios ab alienis di-
 scernere, simulq; in iam propositas classēs vnosquosq;
 distribuere, ei non erit difficile: Nam vt ad primam de-
 scendamus, cæteros omnes germanitate (sic loquar)
 antecedere videntur Aphorismorum sex priores libri,
 de quibus sermonem faciens Suidas, dicebat, eos *συν-
 δετον ἀσύνδετον ἴσως βραχύτερον*, hoc est intelligentiam huma-
 nam superare: nec quidquam in antiquorum scriptis
 facile est inuenire, quod adeo sit in ore omnium atque
 Aphorismi Hippocratis, vt etiam nū pleriq;, cum rem
 aliquam tanquam verissimam asserere cupiunt, Hip-
 pocratis Aphorismis æquiparent. Galenus (lib. 3. de
 differ. resp. cap. 1.) (in com. ad Timæum Plat.) integerr-
 mus librorum Hippocratis iudex hūc etiam alios non
 nullos adicit, nempe prognosticorum libros, quos qui
 aliquid intelligunt necesse est nunquam admirari desi-
 nant, tanta est ipsorum præstantia atque diuinitas: in
 ipsis enim descriptio ea faciei cadauerosæ apud Teren-
 tium appellata habetur, quæ penè in prouerbum
 traducta passim facies Hippocratica vocata est. Com-
 mentariū de natura humana, in quo vsque adeo firma
 de elementis, ac proinde totius philosophiæ funda-
 menta iacta sunt, vt Aristotelem penè totius suæ phi-
 losophiæ semina ab Hippocrate mutuasse prædicauit
 Galen. De aere, aquis, & locis librum, quem vero si-
 mile

mile est & conscripsisse & edidisse, postquam longa peregrinatione perfunctus, certissima experientia insignique iudicio omnia didicit, quæ posteris deinde relicta non mediocrem vtilitatem esse allatura putauit. Tres priores de victu acutorum libros, qui vtrū ij sint, quos Varro, Strabo, Plinius, atq; alij scriptores esse ab Hippocrate ex tabellis è templo Aesculapij sublati cōfectos memorat, fortasse addubitari posset. Verum tamen eos potius ad redarguēdos sui temporis medicos, qui in instituenda vitæ ratione sapenumero cū maxima humani generis pernicie errabant, necnon ad indicandam veram victu faciendam acutorum curatio- nem, suopte ingenio scripsisse censeo: quanquam absurdum minimè sit etiam existimare, in summa illa scriptorum inopia potius eum ex præscriptis tabellis præcepta aliqua, & experimenta pro perficienda arte desumere potuisse, quæ postmodum regulis quibusdam cōplexa in artem redegerit. Etenim cum priores medici in curandis ægris victu grauiter peccarent, Hippocrates tandem, exemplo acutorum morborum proposito, quid in cunctis serè obseruandum sit, disertissime eo in libro docuit. Primum & tertium epidemiorū quos *προς ἰνδον* scriptos esse, alios verò *προς ὑπόμνησις* asserit. (lib. 3. de articulis.) libros pariter de articulis, fracturis & luxationibus, quos, ait Gal. (lib. 1. de victu acut. text. 18.) aliquos existimasse conscriptos ab Hippocrate Gnosidici filio, in ea classe licet collocare, si quæ plerisque in locis, & præsertim in eorum à se ipsis editis commentariis scribit, aduertamus: immò veid eos forsitan omnium germanissimos esse aliquis posset asserere, quòd Hippocratem in ea parte medicinae, quæ chirurgica vocata est, quæque tunc summa in existimatione habebatur, maximè omnium excelluisse constet. Suidas vbi Hippocratis scripra recenset, quatuor eorum ordines facit. In primo iusiurandum ponit: In secundo prognostica, in tertio aphorismos: De quarto loquens hunc in modum scribit. *πρὸς τὴν πύξιν ἔχει αὐτὸν καὶ πολυθρό-*

λητος η πολυθωμματος εξηγηται βιβλος η πρισαν ιατρικων
 επιστημων η σοφικων μεωδων εργαση. qui autem fuerint ij 60
 libri Hippocratis vsque adeo celebrati & admirabiles;
 omnem medicinæ scientiam, omnemque sapientiam
 continentes, hæctenus intelligere nõ potui, cum à quo-
 quam alio probato auctore id proditum habeamus.
 Illud posset fortallè quispiam suspicari tempestate no-
 stra, atque etiam Galeni huiusmodi libros fuisse desi-
 deratos, nõ autem vetustioribus temporibus: atqui vn-
 de licuit Suidæ eos commemorare, nisi ab aliquo scri-
 ptore nominatos legerit? præterea æquum esset frag-
 menta saltem aliqua ipsorum citata reperiri, vt con-
 tingit de plerisque aliis libris extinctis; quòd cum ne-
 quaquam comperiat, meras nugas proposuissè Sui-
 dam, semper suspicatus sum. Itaq; libri ad primã clas-
 sem spectantes, tot erunt. Sequitur secunda eorum, sci-
 licet, qui etsi ab Hippocrate scripti fuerint, ab eo tamen
 editi minimè sunt, & propterea neque ex toto integri
 seu perpoliti habentur: nam quod plerisque accidere
 solet, vt in componendis commentariis manu & inge-
 nio currant, ac impolito, rudiq; quodam stylo & or-
 dine prima scripta designent, vt deinceps recognoscantur,
 melioraq; maturiori iudicio reddantur, id eò magis
 euenisse Hippocrati putandum est, quòd ipsi in ar-
 tis operibus continuè occupato, ocium minimè suppe-
 teret, quale exactè scribendi ratio exoptulat. Hinc ve-
 rò factum esse verisimile est, vt morte præuentus mini-
 mè potuerit extremam manum iis omnibus, quæ ad-
 notauerat, imponere: sed post eius mortem pleraq; in
 chartis & tabellis inuenta à filio, & discipulis, in lucem
 edita sint. Huiusmodi autem sunt in primis liber 2. 4.
 & 6. Epidemiorũ, de quibus loquens Galenus (lib. 3. de
 differ. respir. cap. 1.) scribit, quemadmodũ primus & ter-
 tius non solum ab Hippocrate compositi esse videntur
 iis, qui optimè de his sentiunt ac iudicant, sed etiam ob
 speculationis familiaritatem mutuò inter se connexi,
 sic in confesso esse, secundum, quartum, & sextum à
 Thesã

Theffalo eius filio fuisse compositos, & qui in parentis fabulis, aut chartis siue pellibus, & mebranis quibusdā commentarios repererit, ipseque etiam aliqua & ea non pauca de suo addiderit: nam omnibus exactè huiusmodi scripta examinantibus facilè apparet Aphorismorum & Prognosticorum complura (vt propterea idem Galenus (2. de diebus decretorijs.) dixerit epidemicos libros ante Prognostica & Aphorismos esse conscriptos) ex adnotatis in epidemicorum aduersariis ab Hippocrate collecta esse. Quod porro subiungit Galenus quartum epidemicorum minimè inter hos esse reponendum, id quidem summa ratione dicit, cum absurdis stultis & Hippocratica maiestate indignis plenus sit: Sed hoc in loco nonnullè sese offerunt considerationes, quandoquidem Gal. in censendis epidemicorum Hippoc. commentariis aduersus sibi ipsi interdum videtur: nam in initio libri 3. de diff. respon. solum primū & tertium epidemicorum germanos facit: quod etiam confirmauit in principio 3. in 1. Prorhet. & 6. epidem. vbi scribit omnes in eo consentire, vt Hippocr. duos eos; qui ederetur; composuerit. Atqui in fine cap. 4. lib. 2. de dieb. decreto. scribit secundum, quartum, & sextum epidemicum. vel Hippoc. vel eius filij Theffali esse, quem fuisse virum clarissimum, & multa commentariis Hippocrat. vtpotè cuius sententiam exactè sit amulatus, addidisse in initio 2. & 3. epidem. testatus est. In initio etiam sexti epidem. vbi diligentem censuram horū librorum proponit, quartū librum alii locutione similem facit, licet cōtemplatione inferiorem: nisi dicere placeat huiusmodi in Galeni scriptis diuersitatem aut nullam aut admodum exiguam esse, si eius verba accurate expendantur, cum ipsius sententia firma hæc sit, primum & tertium legitimos esse, quintum, & septimum verè spurios, alios autem partim ab ipso Hippoc. esse conscriptos, partim à Theffalo eius filio immutatos & auctos: Quod si præter primū & tertium, alios quosdam Hippocrati tribuēdos quandoq; dubitat, id facit, non quia

K

ab ipso eos editos velit, sed quòd doctrina ipsorum verè Hippocratica sit. Librū de septimestri partu vt in secūda classe collocādum esse putem, facit in primis Gal. auctoritas, qui non modò complura dogmata & sentētiās ex eo accepit, verū etiam commentaria in illum scribere deliberavit, quorum fragmentum (si tamen legitimum sit) adhuc extat. Ex libro quoque de locis in homine cū citentur multa à Celso, Celio Aureliano, atque ab ipso Gal. cum si non verè germanum, saltem Hippocratis doctrina refertum antiquitus esse iudicatum facile colligitur. Librum de flatibus inter Hippocraticos videntur recensuisse Celsus, qui in proœmio suæ medicinæ Hippoc. omnia vitia corporis spiritui tribuisse scribit, Erotianus, Stobæus, & Greg. Nazianz. imò verò ipsemet Galen. sæpè eius auctoritate vsus videtur, & præsertim, cū definitionē illam medicinæ, qua dicitur ipsam esse adiectionē & detractionē, vt Hippocraticam celebrat, quæ tamen non alibi, quàm hoc in libro reperitur: neque satis mirari possum Valeriolam, qui in principio suarum enarrationum medicinalium, ab huius libri discussione facto ibi agit, tanquam ab omnibus vt verè germanus sit acceptus, cum id nemo, quem ego sciam, apertè dixerit, nec perinde sit librum Hippocrat. doctrinam aliquam aut etiam multam continere, atque ipsum ab eodem Hippocrat. factum & editum esse, ita vt pro verè germano habendus sit: etsi enim in ipso cōplura esse queant ab aliis interiecta, nec sapiētia Hippocratica digna (quod & plerisque aliis ipsius germanis commentariis contigisse certum est) ob hoc tamen non ita prorsus Hippocrat. nomine priuari debet, quin iure aliquo in hac secunda classe reponi queat, sicut pariter de libro De alimēto censeo; quem licet nōnulli auctori tribuant Philistioni, vel Pherecidi, ea tamen est in ipso sententiarum copia, sermonis breuitas, verborum grauitas, dogmatum consonantia, simulque dictionis obscuritas, vt verè Hippocrate dignus à plerisque omnibus sit iudicatus: ac propterea Gal. quatuor

com.

commentariorum libris eum illustrare voluerit, quæ
 mutila, & magna ex parte deturpata vix conseruata
 sunt. Agellius quoque non ignobilis scriptor lib. 3. cap.
 15. ex hoc libro perillustrem locum citat, vnde olim
 mutila Hippocrat. v. e. b. a. restituere nobis licuit; & sicur
 fictitiam esse eam puto censure huic libro appositam,
 in qua Gal. Hippocrati ipsum non adscribere iudica-
 tur, cum præter commentaria non raro celeberrimas
 Hippocratis ex hoc ipso tantum captas sententias ci-
 ter, ita quoque Fracanziano, & Cardano minimè assen-
 tiri possum, dum in commentariis ad hunc librum in-
 ter germanissimos, atque in priore classe collocandum
 esse, probare nituntur. qui enim fieri potuisset, vt dum
 eos recenseret, hunc quoq; non apposuisset Galenus?
 præterquam quod de germanissimis aliis a nemine
 dubitatum reperitur, de hoc autem (vt prædixi) dubitatum
 est ab aliquib. De humoribus inscriptus liber inter hos
 pariter à me collocatur, non solum quod Stobæus (Ser.
 90.) Galeni testimonio illum Hippocraticum faciat, nec
 non phrasia, & doctrina antiqua sit, ac Hippocrat. scho-
 la haud indigna, verum etiam quod Galenus in ipsius
 tres commentariorum à se non raro citatos ediderit li-
 bros, qui vtrum ij sint, qui nunc circunferuntur, sem-
 per dubitavi, cum crebra illa librorum aliorum citatio
 minimè Galeni officinam referat, sed alicuius potius,
 qui vt alios falleret, esse accommodatum existimauit,
 si locos alios Galeni frequenter citaret, qualiq; centon-
 as quasdam construeret. Addubitat Galenus, libro
de morbis seu de affectionibus, Hippocratisne, an Poly-
 bi sit? cumque nihil decernat, sed eius auctoritate, tan-
 quam graui ad confirmandam propriam sententiam
 vtatur, minimè spurius is ex toto putandus est: Eiusdem
 penè farinæ & ille videtur, qui *de rebus in utroque morbo*, seu
 de internis affectionibus. inscriptus legitur 6. Aphor. 27. q.
 si Gal. iudicium sequamur, pro eo habendus est, quem
 veteres inscribebant Maiorem de morbis: verum cum
 ipsemet in exposit. sing. primum & secundum libri de

affectionibus maioris citet, atq; hunc in duos minimè diuisum comperiamus, fit vt non parū hæcā quemadmodum etiā vehementer dubito, vtrū liber *de morbis* idem sit cū eo, qui inscriptus est minor de morbis, quod & eius ibidem a Gal. primus & secundus citetur, nec vlla alterius diuisio hodie inueniatur; quidquid tamen sit, vtrumq; inter eos reponere mihi placet, qui ab Hippocrate quidem nec editi, nec perfecti sunt, sed veterem illius eruditionem sapiunt, ac ab ipsius sequacibus in lucem missi, & forsā aucti, ac aliquantisper mutati fuerunt. Librum de victu acutorum, quem habemus in quatuor diuisum Galenus (initio 3. de diff. respir. inter alios à nobis in primā classe repositos apertissimè (vt retro diximus) rececit: sed quartum vel spurium, vel multis mendacis refertum in commen. ad eum passim facit, vt de tribus prioribus tantum nihil dubitet, quin antiqua & Hippocratica doctrina sint pleni, eos enim ab aliquibus de prissana, cuiusmodi citat Plinius (lib. 18. c. 7.) & Cælius Aurelianus sæpè, ab aliis Gnidas sententias inscriptos fuisse non semel significauit; præter quas tres inscriptiones Athenæus (lib. 2. dipn.) eruditus auctor aliam fuisse docet: nimirum de Diæta simpliciter, quoniam tamen in ipsis longius præfatur, quam eius grauitati & consuetudini conueniat, cumq; ab Hippoc. in lucem editos fuisse minimè cõstet, facile mihi persuadeo in secunda potius quam in prima classe locandos esse, eò maximè quod Gal. (6. epid. cõ. 1. tex. 29.) scribit Gnidas sententias ab aliquibus fuisse Euriphõti adscriptas lib. de officina medici cùm à Gal. eruditissimis cõmentariis fuerit illustratus, ac sæpè & ab ipso & ab Erotiano citetur, quin ex Hipp. bibliotheca prodierit, minimè dubitandum est, etsi ab ipso minimè editus sit, stylus enim maiorem Hippocratica claritatem præse fert, vt ob hoc forsā Gal. (in princ. lib. de offic. med.) vbi editos ab Hippoc. memorat, huius non meminert, qui si in cõm. ad eū librū hac de re nihil videtur, idem quoq; facit in plerisque aliis commen. vt in libris de vi-

tu

Atu acut. quos compertum est minimè ab Hippocrat. fuisse editos, verùm tamen lumina Hippocraticæ doctrinæ non exigua, neque pauca in seise gerit, imò non defuerunt, (vt Galenus perhibet) qui quod hic liber totius medicinæ præmiũ habet, ante omnes alios Hippocr. commentarios collocari, & legi debere putãnt. Huic autem affinis est de vlcibus tractatus à Galeno vt Hippocraticus non semel receptus, atque commentariis, qui desiderantur, illustratus: complura enim medicorum antiquorum dogmata ad vlcum tractationem spectantia hinc capta esse omnes intelligere possunt: Sed si quis liber in secunda hac classe locum habere debet, profecto est inscriptus, De capitis vlcibus, quem Galenus (6. meth. cap. 6.) ob stylum & doctrinã, genuinum Hippocratis facit, neq; tantum ipse plerisq; in locis eius testimonio vtitur, verùm etiam Celsus, atque Erotianus non pauca inde mutuati videtur, cuius hic finis erit. Nunc autem ad tertiam transeo, in qua plures, quàm in vlla alia reponere cogor, tum quòd (vt antè dicebam) tempore Ptolomæi à lucris studiosis, filij & discipulorum Hippocratis libri eius nomine notabantur, tum maximè quod iis, quæ ab Hippocr. verè scripta erant, multa interserta fuere, quò pro maioribus voluminibus maiora quoque dona reciperent. Vnde neque huiusce classis libri prorsus negligendi sunt, siquidem etsi germanis spuria intermista sint, lectori tamen diligenti bona à malis discernere licet, præterquòd scripta aut notata & digesta è Thessalo filio, vel Polybo discipulo tanquàm Hippocratica amplecti oportet, quòd (vt memorię mandauit (in 1. com. ad lib. de natur. hum.) Galenus) præceptoris decreta vel tantillum non immutarint, etsi alioqui, vt antea dixi, parenti admodum dissimiles filij fuerint. Itaque Prorrhethica & coacta præfagia hic libenter colloco, quæ tamen Galenus (in comment. ad Prorrheth. necnon 1. in 3. epid. 29.) minimè Hippocratis esse, multisq; erroribus scaterere statuat: attamen & commentariis Prorrhethica illustrauit, quod

sanè faciendum non erat si ex toto ea pro spuris habuisset, & in loco epidem. citato scribit eorū librorum (in initio 3. de diff. resp.) scriptores pleraq; vera ab Aphorismis, Prognosticis & Epidemicis mutuasse, ac in eos retulisse, vt profus minimè negligi debeant, præsertim cum ipsemet Galenus haud abnuat sese vsurum auctoritate eorum quoque librorum, qui non verè Hippocratis, sed aliorum sunt; Cælius pariter Aurelianus, siue Soranus interdum sententiam Prothetorum citat, quasi eius auctoris sint etiam tum putati libri. Atqui hæc omnia commentaria multo meliora esse, necnon diuiniore modo scripta, quàm putaret Galenus, dum Iacotius vir doctissimus in præfatione ad coacas prædictiones apertè proficitur, mihi sanè placere hæc in re non potest, quandoquidem nec sermonis proprietates, nec dogmatum puritas, nec rerum veritas eiusmodi sunt, vt ex mediâ Hippocratis officina manasse quis iure existimare queat. In libris quatuor de morbis inscriptis à Galen. & à Cornelio Celsò (in linguis.) necnon Cælio Aureliano sub Hippocratis nomine sæpe citatis complura inueniuntur, quæ doctrinam solidam & veterem redolent; at non pauca simul reperias, quæ diligenter examinanti nec vera, nec magno aliquo ingenio digna videntur, vt iure Gal. atq; alij potius Polybo discipulo, quàm Hippocrati tribuendum esse existimauerint, præsertim verò quartum, qui sanè antiqua philosophia, & medicina, plurimū scatet, quàmquam scribat priorem ex iis minimè de morbis inscribi debere. Fuit verò Polybus nō solum verus Hippocr. discipulus, verum etiam ipsius doctrinæ disertissimus asseror, & (ni fallor) suo tempore magni nominis medicus, siquidem Aristoteles, qui nunquam Hippocratem, à quo plura bona accepit, citare dignatus est, non modo Polybi (vt est in codice Vaticano manuscripto, non Polybij) mentionē (lib. 3. de hist. anim. c. 3.) facit, verum etiā ipsius pura verba (quod facere non solet) adducit, quæ cum in postrema parte libri de natura humana inueniantur,

ueniantur, eaque non germana Hippocratis Galen. iudicet, sit vt pluraque Polybi commentaria in tertia hac classe locanda putem, quod etiam iudicauī semper de libro sanæ diætæ, quem pauca vitiosa continere Gal. in comm. docuit, quemq; idem tradit (in com. ad 1. de vitu acut. tex. 18.) minimè Hippoc. esse, sed vel Eutiphontis, vel Phaontis, vel Philistionis, vel Aristonis, vel demum alterius cuiuspiam ex antiquis: prædictos enim antiquos fuisse, & eorum nonnullos antiquiores Hippocrate Coo Heraclidæ filio, nonnullos ipsi coætaneos constat. Librum de genitura, atque de natura pueri, eiusdem auctoris, imma verò hunc illius partem esse iudicabit facile, quicumq; attentè vtrumq; legerit: In iis verò cum citetur liber de morbis muliebribus, ab eodem omnes atq; simul de natura muliebri commentarium, fuisse conscriptos credi potest: citantur enim à Galeno & Erotiano sub nomine Hippocratis, verum tamen fabulosa aliqua vt de lacte fuerunt interfecta, & Polybi potius phrasim referunt, quàm Ionismis ad imitationem præceptoris conspexisse satis constat. Clemēs Alexandrinus non ignobilis auctor stromatū, citat sub auctore Polybo librū de octimestribus partibus, vnde colligere licet eius auctoris esse, atramen Hippocratica multa habere, & ob id tertia classe locum mereri, etsi à Galeno nuspiam citatus reperiat. Librū *περὶ σαρκῶν* id est, de carnibus malè inscribi, potiusq; *περὶ ἀρχῶν*, hoc est de principiis vocari debere (vt eruditissimus Zuingerus forsan primus omnium aduertit) haud difficile est illi intelligere, qui & seriem verborum in initio positorum, & res ipsas in eo tractatas expendere non oscitater voluerit. Hunc quandoq; citasse videtur Gal. (in cap. 3. lib. an anim. sit id quod in vtero?) habet tamen non pauca de partium & membrorum corporis generatione nimium à veritate remota, potius occultam quandam & ænigmaticam philosophiam referentia: similis penè farinæ est & ille, qui de ossibus inscriptus sub nomine Hippocratis circumfertur, in quo cō-

plura sunt verè Hippocrat. à Gal. existimata, veluti est dogma illud de renum attractione: insunt quoque & aliqua de venenis tradita, quæ cum ab Aristotele (3. de Hist. animal. cap. 3.) Polybo adscribantur, non prorsus spuria sunt habenda, eo maxime, quod vox, (*τρίσις*) quam in linguis Galenus Hippocrati propriam facit, hoc in libro usurpata inuenitur. Libros tres de diæta (vt scribit Gal. 1. de facul. alim. cap. 1.) alij Hippocratis, alij Philistionis, aut Aristionis, aut Euriphontis aut Philitæ auctorum omnium antiquorum esse existimarunt: sed quidquid sit, illud quod ibidem censeat Galenus, pro comperto habere oportet, primum ex ijs libris prorsus indignum esse Hippoc. totus enim ænigmaticus est, obscurus, & locutionib⁹ ab Hippocratica alienis refertus, attamen sunt etiam aliqua solida & antiquæ eruditionis lumina, quò sit, vt in hoc tertio ordine locum habere queat. secundus, vbi de cibis copiosè tractatur, minimè indignus Hippocrate à Gal. iudicatus est. Ex tertio quoque nonnulla videtur accepisse Cornelius (Lib. 1. cap. 3.) Celsus Hippocraticæ disciplinæ studiosissimus. In codicibus græcis ante librum de sacro morbo censura quædam apposita legitur, qua scriptor testatur eum librum minimè Hippocratis germanum esse, quippe qui nec modum illius interpretationis, neque intelligentiæ exactam rationem referat, attamen egregij alicuius auctoris esse. Vbi verò id dixerit Galenus, non constat mihi, primo quidem commen. ad prog. tex. quarto, citat librum quendam de sacro morbo, sed cuiusnã auctoris eum faciat, minimè expressè patet, quanquã colligi possit pro germano nõ habuisse: nonnulli sunt qui existimant Philotimum fuisse auctorem, quod in vetustis codicibus sub eius nomine inscriptis legatur. Cælius Aurelianus (lib. 1. de Chro. pa. cap. 4.) eum tanquam Hippocratis germanum citat, sed vtrumque sit, doctrina illius libri minimè despicienda est, neque extoto ab Hippocratica aliena, & si nonnulla contineat neque vera, neque magno aliquo ingenio digna. Julius
Cæsar

Cæsar Scaliger summi ingenij, raræque eruditionis vir, in præclarissimis, quos ad lib. Hippoc. de insomnijs edidit, commentarijs, minimè, vtrum is liber sit germanus? disputandum duxit, sed tanquam verum suppositum: Ego verò cum certò ex verbis principij videam ab eodem auctore & libros tres de diæta, & librum de insomnijs fuisse conscriptos, vt nò insulsè Caluus ita eos connexerit, vt hic eorum pars quædam videatur, sicut priores minimè Hippocratis esse iam constitui, ita quoque de hoc idem facere iudicium cogor, quem nunquã citasse Galenus inuenitur, & in quo grauitas sapientissimi senis minimè conspicitur, fuit tamen ab aliquo pio & religioso viro Hippocratisque sequace conscriptus, nec à veteribus omnino neglectus, siquidem & Gal. & posteriores hunc scriptorem imitati, eandemque ferè viam incedentes, de insomnijs similes sententias & dogmata protulerunt. Librum de vsu liquidorum inscriptum Gal. quidem nunquam citasse reperitur, cum tamen aliqua ex Hippocratis auctoritate citet, quæ ex nullo alio libro quam ex hoc desumpta videntur, fit vt existimem inter verè spurios minimè reijciendum esse, & eò quidem magis, quòd sententiarum fracta illa continuitas, quam interdum affectauit Hippocrates, nec non grauitatis aliqua species in ipso animaduertitur. In calce libri quarti de morbis auctor ille suos de morbis muliebribus citat libros, in quibus etiam cum citatus inueniatur commentarius de natura muliebri, fit, vt vtroque ab eodem auctore fuisse conscriptos existimem, vnde ad Polybum, aut alium Hippocratis sequacem referendi veniunt: Cur autem cum ijs hosce in eadem classe minimè locari debere iudicem, ratio est, quoniam & si eiusdem scriptoris sint, dispar tamen est doctrinæ, atque tractationis modus, sed non adeò, quin aliquo pacto inter Hippocraticos recenseri queant, cum etiam à Gal. sub nomine Hippocratis citati inueniantur in glossis, libri de sterilibus, quantum ipse obseruauit, ter meminit Galenus in linguarum interpretatione, bis

k s

k s

vero mentionem fecit libri de h morrhoidibus, vt hinc colligam ab eo inter Hippocraticos fuisse vtrosque aliquo modo receptos : imo ver  si verba in initio tractatus de sterilibus posita vel semel considerentur, vnus quisque facile intelliget eum ad libr. de muliebribus morbis spectare, vel potius eorum postremam partem esse, quemadmodum etiam tractatum de h morrhoidibus atque fistulis vnum & eundem esse iure quis asserere potest, quod Gal. sic eos citet, quasi coniuncti sint, nam & Celsum & Paulum grauissimos scriptores libri de fistulis Hippocratis testimonium s pe adducere inuenias, qui licet imperfectus & vix mchoatus sit, chirurgia tamen antiqua eum plenum esse satis apparet, vt quod de vno, idem & de altero constituendum sit, n pe in hac tertia classe collocari oportere, cui etiam placet adijcere, de iudicationibus, & decretorijs diebus libellos, in quorum priore multa sunt, qu  in alijs germanis Hippocratis habentur, vt s pe iudicauerim ex Aphorismis & Prognosticis constat fuisse : in altero autem qu dam non infuls  de decretorijs diebus inserta sunt, plura ver  de quibusdam alijs morbis ad seipsum quidem non pertinentia, haud prorsus tamen c temnenda. Quarta atque postrema succedit classis, qu  ver  spurios, hoc est, dictione, sententijs, & doctrina ab Hippoc. penitus alienos continet, inter quos recenset Galeus quintum & septimum epidem. quod fit, vt s penumero sim miratus, fuisse etiam inter veteres aliquos, quibus quinti testimonio vt placuerit, qu  cum auctor libri de insania vn  cum libr. de Sacro morbo, t quam suam citet, fit vt existimem vtrosque, & simul tractatum de ellebori vsu ab eodem conscriptos, omnesque spurios esse, tamen in libro de Sacro morbo nonnulla antiqu  & Hippocratic  doctrin  lumina conspiciantur, qu  effecerunt, vt in tertia classe reposerim. Idem iudicium ferre oportet de 4. illo libro tribus de victu acut. inscriptis addito, atque de parte libri de natu. hum. vbi de venis agitur, qu  quoniam
multa

multa absurda continet, nec stylo Ionico scripta est, à Gal. (i Comm. de natur. huma. 3. de Hist. animal.) inter verè spurios reiecta fuit, & (vt dixi alias) pura est Polybi doctrina forsan adulterata, cui eam tribuit Aristot. vel contemporaneus, vel non multò posterior ipso. Ius iurandum, cui primum locum inter Hippocrat. libros adscribit Suidas) quonam in loco sit collocandum, semper equidem dubitavi, certè indicij plusculum ea de re in Suida desidero, quòd cum neque à Gal. neque ab alio quopiam vetere probato scriptore citetur, rationi consentaneum sit virum usque adeò grauem nūquam simile iuramentum edidisse, fieri quidem potest, vt forsan suis discipulis eiusmodi præceptiones & iuramenta proposuerit, quæ postmodum ab alijs sint diuulgata, sed inter germanos lib. neque illud iusiurandum, neque præceptiones inscriptas vnquam recensuero: Libros pariter de arte ab auctore libri definitionum med. non parum commendatos, & de arte vetere ab Erotiano interdum, & ab eodem finitionum medic. sub Gal. nomine vulgarum auctore citatos inuenio. Caterùm cum absurda plurima in ijs contineantur, ac præsertim in lib. de arte vetere multum primis qualitatibus detrahatur, quas scimus non modò Hippoc. maximi fecisse, verum etiam quidquid boni de ijs scripsit Aristot. (vt commemorat Gal.) ab eo accepisse, inter verè spurios colloco, quamquam doctrinæ antiquæ vestigia nonnulla habeant, ac quandoque Gal. aliqua ex ijs accepisse videatur, vt fortasse non malè censuerint, qui libri de vetere medicina auctorem fecerunt Dexippum Coum Hippocratis discipulum, cuius non semel meminit Gal. Ex lib. de Lege inscripto videtur Plinius sententiam illam mutuatus, qua scribit soli medico licere hominem interimere, videtur etiam aliqua accepisse Celsus, sed neque ab ipsis, neque à quopiam alio vt Hippocraticis liber citatur, nisi quòd in tractatu, in quo Galenus optimum medicum debere esse optimum Philosophum demonstrat, aliqua ex lege mutuatus videtur, vt est il-

lud, quod medicum vrbes, & regiones varias obambulare oporteat. Iam verò tractatus de ornatu medici, ac de medico, qui Dioscoridi ab aliquibus tribuitur, stylus ita ab Hippocratico diuersus, & incultus est, totque ridiculis rebus, & nugis confusus, vt qui eum non aperte spurium putat, prorsus nihil videre iudicandus sit. In tractatu de superfœtatione inscripto plura quoque de fœtatione traduntur, quæ faciunt vt existimem eum esse *κευήσιος* *καὶ* *ἐπικευήσιος* esse inscribendum: is tamen à Gal. nunquam citatus est, cui licet multa insint Hippocratis dogmatibus consentanea, cum tamen verè ipsius non sit, nec sciatur auctor, quæ tam ei classẽ potius adsignandam puto. Libri de Exsecutione fœtus, De corde, De dentitione, De virginibus, De visu, eiusdem farinae sunt, ac inter spurios omnino collocari postulant, non solum quod nemo ipsorum testimonio vatur, verum etiam quia absurda non pauca, & ab Hippocratica grauitate atque doctrina longè aliena habeant. Ex libro tamen De corde videtur Gal. aliqua mutuasse, & in libros de placitis Hippocratis ac Platonis retulisse. Qui de glandulis inscriptus est liber, eum Galenus minime Hippoc. germanum esse, sed ab aliquo iuniore sub illius nomine inscriptum, atque editum monstrat, cum tam locutionibus, quàm sententijs longè superetur a germanis illius libris, neque ab vilo veterum medicorum, vel eorum qui indicem scripserunt, mentio vlla ipsius fiat, ob quod iure huic classi deberur, quæ tametsi omnibus alijs ignobilior sit, prorsus tamen eam negligendam esse minime consulo. Galenus librum Hippocratis de septimanis citat, quasi in ipso de animæ substantia clarè disseruerit, sed eum spurium esse profiteretur, neque (quod sciam) is ad manus nostras peruenit, certè in fine libri de carnibus seu principijs autor ille de septenario numero complura scribit, atque etiam sefealibi diligentius tractaturum pollicetur, verum tamen de animæ substantia nullum ibi verbum legitur, quemadmodum nec in exiguo illo fragmento, quod

Fabius

Fabius Caluus sub nomine libri de septimanis publica vit. Atque hic est vniuersus illorum Hippocratis operum catalogus, quæ vno volumine collecta, in suasque classes à nobis redacta omnium manibus quotidie re-runtur: Extra hæc si quæ afferantur Hippocrati attributa, aut meræ nugæ, aut fragmenta sunt operum non extantium. Epistolis tamen assignandus aliquis restat locus, de quibus sanè diu hæstitaui. verùm cum nec Philosophiæ nec medicinæ partes sint, separatim statuendas esse iudico, ita tamen vt ab ipso forsitan scriptæ, nūquam verò editæ, vel vt ederentur, factæ habeantur, imo cur neque ab eo scriptas vnquam fuisse, sicuti nec eas, quæ tribuuntur vel Democrito vel alijs, sed potius ex rei Historia ab alijs confictas quispiam credere queat, in primis facere posset Galenus, alijque scriptores posteriores, qui cum nusquam earum mentionem vllā fecerint, ac tamen in ipsis plerumque res dogmaticæ tractentur, vt ob hoc æquum fuerit illarum quandoque meminisse, haudquaquā putandū est ab ipsis eas pro legitimis esse habitas, huiusmodi verò argumentū nō parū valere ex eo sciri potest, quod ætate ipsorū & bibliothecæ amplissima, & optimorū auctorū libri conseruati, magis quàm posteriorib⁹ sæculis erāt, cui accedit Gal. tāta diligentia in Hipp. cōmentarijs cōquirendis vsūm fuisse, vt minimè cōsentaneum sit huiusmodi tractationes ipsum effugere potuisse, cum etiam profiteatur sese spūriorū quoque Hipp. librorū testimonio quandoque vsurū. Adde in Epistolis præsertim verò in ea vbi colloquium Hipp. cū Democrito de cribitur, tot reperiri ab Hipp. grauitate aliena, sicut & in plerisque alijs, vt virum sanctissimū, & in loquendo ac scribendo prudentissimū rationi cōsentaneū videatur eū in modū aut nō scripsisse, aut si scripsit, familiariter (vt fieri cōsuevit) & absq; vlla matura cogitatione, quæ exigūt monumēta victura, conscripsisse. Sūt tamen in aliquibus earū, sicuti in scita ad Crateuam, complura, quæ medicos iuxta ac Philosophos iuuare & delectare queant.

DE ORDINE LIBRORVM HIPPOCRATIS.



H

T si libri Hippocratis nomine editi, siue germani, siue spurij non ita sint scripti, vt vel rei naturæ, vel tractationis modo, vel temporis ratione certum aliquem ordinem requirant, quia tamen in ijs edendis necesse est aliqui antecedant, alij subsequantur, optimè consultum iri existimandum est, si non temerè, sed ea ratione disponantur, vt aliqua salte ipsius naturæ consequentia eluceat, ac propterea facilius à lectoribus intellectu & memoria complectantur. Quoniam verò in classes diuisi omnes à nobis sunt, neque in ijs disponendis vlla vel tractationis, vel rei tractandæ ratio habita fuit, sed dumtaxat commentariorum dignitas, seu potius germanitas, & germanitati proximitas spectatæ fuerunt, eundem in vnaquaque classe dirigenda ordinem seruare æquum fuit, quod quia non temere, sed aliquo scopo proposito factum est, eius breuem quendam typum seu significationem trademus. Quicumque enim in Hippocratis commentationibus voluendis versari faciliter atque vtiliter cupiunt, primùm scire eos decet, inter opera tam germana quam spuria sub Hippocratis nomine publicata, alia esse ad theoriam, alia verò ad praxim pertinentia, quorum theorica vocata practicis quasi vniuersalia particulis præponi debere, omnis medicorum atque Philosophorum schola docet. Vtraque verò cum multas habeant partes, neque omnes ab Hippoc. (quæ tunc erant nascentis medicinæ crepundia) admodum tractatæ inueniantur, cum ordinem placuit seruare, vt

quæ

quæ initiandis, (si in vlla sunt classe) accommodantur, primo loco ponantur, mox quæ rerum naturæ principia & causas continent, tum morborum & signorum tractationes, postremo ea, quæ siue victus ratione, siue medicamentorum vsu, siue manuum operatione faciendam curationem docent. Neque verò me latet Erotianum in ijs ordinandis seu potius distinguendis alia via incessisse, dum volumina omnia sub Hippocratis nomine vulgata in significatiua, naturalia seu causatiua, curatiua, & ad artis præceptiones spectantia diuisit, sed is minimè vllam germanorum ab alijs separandi rationem habuit, quod forsàn primum sibi proponere decebat : prædictam autem totius Hippocraticæ cōmentationis seriem luculenter sequens ordo indicat.

CLASSES LIBRORVM
HIPPOCRATIS.

Prima.	De sacro morbo.
Liber de natura humana.	De hæmorrhoidibus & fistulis.
Lib. de ære, aquis, & locis.	De sana diætâ.
Prognostica. Aphorismi.	Libri tres de diætâ.
Primus & 3. Epidemiorum.	De usu liquidorum.
Liber de articulis, luxationibus, & fracturis.	De iudicationibus.
Secunda.	Prorrhetic. lib. tres priores
Liber de officina medici.	Coaca præ sagia.
Liber de locis in homine.	De insomnijs.
Liber de flatibus.	Quarta.
Liber de humoribus.	Iusiurandum.
Lib. de septimestri, & octimestri partu.	Præceptiones
Lib. de alimento.	De lege. De arte.
De affectionibus.	De arte veteri. De Medico
De affectionibus internis.	De ornatu Medici.
De victu in morbis acutis.	Postrema pars libri de natura humana.
De ulceribus.	De sâtatione & supersâtatione.
De vulneribus capitis. 2. 4. & 6. epidemiorum.	De exsêctione fœtus.
Tertia.	De glandulis. De cordi:
Lib. de carnibus seu de principijs. De genitura.	De dentitione. De insanici:
De natura pueri.	De Virginibus.
De Osibus. Lib. de morbis	De ellebori usu.
De natura muliebri.	Quartus prorrheticorum.
De morbis muliebribus.	Quintus & 7. epidemior.
De sterilibus.	Epistolæ.

INDEX

INDEX RERVM
MEMORABILIVM IN TRA-
CTATVM DE MORBIS

PVERORVM.

¶

- A**CTVM nervis obeft 355
 Actionis corporis quenam prius & qua posterior in macie offendantur 69
 actiones naturales beneficio nativi caloris fiunt 60
 actionum cerebri animalium tria genera 191
 actio cerebri motrix tribus modis viiatur 193
 actio animalis dupliciter leditur. ibid.
 actiones naturales lese parvis lesionem praesupponit ibid.
 adstringentia alium 76
 adolefcetes ebrj cur magis meiant quam senes 272
 aetatum varia diuifio 2
 aetas puerilis 14. annorum termino finitur. ibid.
 Aegyptus plena Medicis 3
 Aegyptij puerorum Medicis caruere. ibid.
 aetas puerilis nervos maxime infirmos habet 355
 aes cofringit & glutinat 49
 aer vel fubftantialiter corrumpitur, vel vitio aquarum, halituum terrae, & cadaverum 17
 aer calidus maciei obeft 79
 Aethiopes natura funt graciles 58
 affectus idem praeter naturam morbus esse potest & fymptoma 59
 affectus a caufis externis producti facilius curantur 274
 affectus animi lac nutricum corrumpunt 73
 Alberius Magnus falsi criminis notatus 9
 Alexandri Petronij de variorum origine opinio refutatur 25. & 26
 Altimari ofcitantia 236
 alimentum a natura secundum temperatura dignitatem animalibus traditur 25
 alimentum putre non potest fatui in vtero esse familiare. ibid.
 alus fluxus in variolis perniciosus est 45
 alui folutio maciei inimica est 74

L

alium in pueris quæ causa	mine perfectis ossibus in
adstringant 290 & 201	lucem prodeunt 54
alui magis hieme quàm æsta-	animalia cornigera carent al
te adstringuntur ibid.	tero ordine dentium 118
alui fluidam habentes mor-	Apollonius corpora emacia-
bis acuis non corripuntur	ta sale impinguabat 63
ibid.	apoplexiæ & epilepsiæ discrimen
alvus fluida in iuuent, ad-	193. & 194
stricta in sene melior est	apoplexia non sentitur pue
292	ri, & quæ sit ratio 186.
alui adstricta signa 293	& 188
alui adstrictionis curatio 294	apoplexia maximè fit à qua-
alui fluxus à quibus causis	dragesimo anno vsque ad
excitetur in pueris 296	sexagesimum 187
alui fluxus absq; febre si in-	apoplexia potissimum fit hie-
tra septimum diem finia-	me ibid.
tur, satutatis est 297	apoplexiæ & epilepsiæ mate-
alui puerorum fluxus cura-	ria secundum magis &
tio 298 & 299	minus differet 188
allium appensum collo pue-	apoplexiæ & epilepsiæ discrimen
roris effasinationes arceat	195
78	aphiarum definitio 242
amara cur maximè noceant	aphiarum in pueris causæ
infantibus 45	ibid.
alui adstrictio spasmus in	aphis potissimum infantes
pueris excitare solet 180	sollicitantur, & quæ sit
abyssi ad finiendum singultum	ratio 243
efficacia 266	aphiarum differentiæ & si-
anima pueri nihil differt ab	gna 244
anima belluæ 191	aphias benignas à malignis
animi affectus balbutiem in	discernendi modus ibid.
ducunt 203	aphiarum curatio 145-146.
animalia laui pectoris ad vo-	147
mitum propensiora sunt	appetitus in impinguatione
267	necessarius est & quo pa-
animal tactu animal est 57	cto sit excitandus 80
animi vitium corrupti spi-	aqua lacustres melancholiâ
ritus 67	gignunt 61
animalia cuncta excepto ho-	aqua frigida vsus pingue-
	facit

facis	83	Ascariidum in pueris signa	
aqua mineralis potus urina			339
difficultatem parit	278	Ascariides cur ceteris lum-	
aqua maximè nocet auribus		bricis minus pravi sint	
235			341
aquilonis status aluos adfrin-		Ascariidum curatio	354. &
git	291		355
Aristotelis locus ubi àvδ'		Ascariides cur vehementio-	
ιόντος ñgros legitur, cor-		ribus egeat remediis quàm	
rectus	9	ullum aliud lumbricorū	
Aristoteles errat	57	genus	354
Aristotelis locus explicatus		Auerroes fallitur	35
181. & 182		auctoris libri definitionum	
Aristoteles in describēdo tor-		medicarum deprauatus	
pore torpescit	190	textus corrigitur	86
Aristotelis sententia reiecta		Auzoar filio suo trium an-	
268		norum sanguinem minuit	
Aristoteles hominem primo			47
septenario perfici statuit		Auzoar reprehenditur	
2. de labiorum r̄sibus ni-			42
mis ieiunè locutus est 118.		Auzoar de causis vario-	
epilepsiam & somnum eo-		larum & morbillorum	
dem modo fieri asserit	196	sententia	14
aromata caput tentant	112	Auicennæ & Arabum de	
mulieribus nocent	ibid.	is̄dem opinio	13
aromata coctionem adiuvāt		Auicennas Razi conciliatus	
81			37
Arabum circa cibos in vá-		Auicēng locus explicatus	41
riolis accommodatos sen-		sententia excluditur	45
tentia	46	Auicennæ erratum	80
Arabes in secanda vena au-		aurium in variolis dolens	
daciſſimi	47	curandi ratio	50
Ascariides iumentis familia-		aurium dolor vnde oritur	
res sunt	329	in pueris & qua ratione	
Ascariides cur silueris Hip.		curari debeat	231. 232.
ibid.			233. 234.
Ascariides cur in iunētis po-		aurium dolor in pueris à	
tius fiant quàm in homi-		vermibus excitari potest	
nibus	332		231.

- aurium excrementa amara sunt* 232
aurium dolor periculosus est ibid.
aurium doloris causſæ quibus ſignis inueſtigandæ ſint 233
- B**
- Albutici tres ſpecies* 196, 197
Albuties à quibus oriatur cauſſis 201, 202, 203
Balbuties naturalis à ſola humiditate oritur 203
Balbi ſiunt melancholici 206
Balbuties ſigna 205
Balbuties interdum ætatis progreſſu curatur 206
Balbi cur alui profluuium tenentur *ibid.*
Balbi cur melancholici ſint & melancholicis morbis infeſtenur 207
Balbi cur bonis ſint moribus *ibid.*
Balbuties curatio 208, 209, 210
Balbuties vocis exercitatio prodeſt 212
Balneum ſiccis conuulſionibus accommodatum 185
Barbarorum infantes cur celerius ſua membra exerceant quàm nobilium 192
Baſiliſci in interimentis animalibus celeritas 66
Bleſi quinam dicantur 196
- Bones cur hieme emaciætur, oues verò minime* 118
Bilis in corpore humano uſus 290
Bruſta omnia ſanguinea menſtruas purgationes habent 19
Bruſta variolis non tentantur *ibid.*
Bruſta cur nunquam ferè uolunt 268. *cur non eruent.* *ibid.* *cur veſica calculo rariffimè laborent* 279. *cur tibus ſiccis potius quàm humidis uiantur* 131
Butyrum à caſeo qua ratione ſeparetur 15
Butyrum ad inungenda corpora loco olei in uſu fuit apud veteres 77
- C**
- Calculus veſicæ homini peculiaris eſt* 280
Calculus veſicæ cur pueros frequentiſſimè infeſtet, puellas verò minime *ibid.*
Calculi veſicæ duplex generatio 281
Calculus veſicæ à quibus cauſſis producatur 282, 283
Calculi veſicæ ſigna, & curatio 283, 284
Calculo veſicæ remedia calida tenuium partium profunt, queque ſit ratio *ibid.*
Calcu-

I N D E X

<i>Calida capiti affusa</i> κεφαλαλγια ιολλις	207	<i>Capitis aqua in externis partibus</i> consuetudinis curatio	97
<i>Canis rabidi venenum latere potest in corpore ad multos annos</i>	28	<i>Capitis aqua copiosa extra cranium existens</i> qua ratione curanda sit, & quae in eius curatione observanda	98
<i>Capitis aucta magnitudo quando morbofa sit appellanda</i>	84	<i>Capitis aqua intra cutem & musculos temporales consuetudinis curatio</i>	99
<i>Capitis auctae magnitudinis quae sint causae & quot species</i>	85	<i>Capitis tumoris ab ichoribus humorum excisati cura</i>	100
<i>Caput atraefloriam vim habet potentissimam</i>	89	<i>Cantarides in pueris fugientes sunt</i>	113
<i>Caput ventri superpositum est tanquam cucurbitula quaedam</i>	ibid.	<i>Cardanus alucinatur</i>	207
<i>Capita augefcentia sana sunt</i>	90	<i>Carnes in macie consumuntur</i>	56
<i>Capitis tumor flatuosus quo pacto gignatur</i>	ibid.	<i>Carnium in corpore nostro usus</i>	57.58
<i>rarius in fetu contingit quam hydrocephalos & quae sit ratio</i>	91	<i>Carnium tria genera</i>	56
<i>Capitis sudor cur exiguus sit in infantibus</i>	ibid.	<i>Carnium quenam prius in macie, quae posterius consumantur</i>	57
<i>Capitis inflatio cui alui fluxus succedit, ferè irremediabilis est</i>	93	<i>Caro consumi potest actione tactus illaesa</i>	58
<i>Capitis inflationis curatio dietetica</i>	ibid.	<i>Carne consumta vel diminuta calor nativus offenditur, & quae sit ratio</i>	60
<i>Capitis flatuosi tumoris tum in infantibus, tum in adultioribus curatio</i>	94	<i>Capre pinguescunt cicutis</i>	82
<i>Capitis aquosi tumoris in adultioribus curatio</i>	95.96	<i>Casus recens pinguefacit</i>	79
<i>Capitis aqua ab internis partibus ad externas propulsa quando curari possit, & quando non</i>	96	<i>καλαζα morbus suillus</i>	9
		<i>Cerebri intemperies maxime epilepsiam gignit</i>	195
		<i>Cerebrum vel per essentiam leditur, vel per consensum</i>	193.
		<i>radix est omnium morborum</i>	84

<i>Celſus à Græcis diſcrepat</i> 125	<i>nuata longo tempore reſti-</i>
<i>Celſus falſò ſtatuoſam her-</i>	<i>ci debent</i> 71
<i>niam curari non poſſe aſſerit</i>	<i>Conſectio extennatis corpori-</i>
126	<i>bus accommodata</i> 81
<i>Cibi propria natura maciem</i>	<i>Corpora calida & humida</i>
<i>inducentes</i> 65	<i>putredini maxime obnoxia</i>
<i>Cibi nutritibus conuenien-</i>	6
<i>tes in lætentiũ macie</i>	<i>Corruptela alimentorum iã-</i>
73	<i>to deterior quãto ipſa fue-</i>
<i>Cibi laxantes variolis obſunt</i>	<i>runt meliora</i> 26
45	<i>Conuulſionis & motus vo-</i>
<i>Cibi in variolis accommodati</i>	<i>luntarij diſcrimen</i> 194
45.46	<i>Conuulſio ſolius morbi opus</i>
<i>Cibus frigidũ qui pingueſcunt</i>	<i>eſt</i> 195
84	<i>Conuulſio duplex eſt</i> 194
<i>Ciborum pinguium uſu qua-</i>	<i>Conuulſio ex elleboro lethalis</i>
<i>ratione aliã pingueſcunt</i>	<i>eſt</i> 182
<i>corpora, aliã verò macre-</i>	<i>Coryza effectus eſt deſtilla-</i>
<i>ſcunt</i> 81	<i>tionis</i> 225
<i>Cibos partibus emaciatis af-</i>	<i>Coryza cur veterum tempe-</i>
<i>figendi ratio</i> 82	<i>ſtate non ita innotuerit</i>
<i>Cibus corruptus in ventricu-</i>	<i>ibid.</i>
<i>lo inſomnia terrificã parit</i>	<i>Criſis æque bona atque mala</i>
216	<i>dicitur</i> 40
<i>Cicatrices pilor non admit-</i>	<i>Cucurbitula pueris apponen-</i>
<i>tunt, & que ſit ratio</i> 32	<i>de non ſunt ante exactum</i>
<i>Corallus ruber ventriculum</i>	<i>ætatis annum</i> 155
<i>corroborat</i> 218	<i>Cucurbitule pueris adhiberi</i>
<i>Cornarij erratum</i> 86	<i>poſſunt tribus condiçioni-</i>
<i>Cornarius fallitur</i> 108	<i>bus obſeruatũ</i> <i>ibid.</i>
<i>Conſectio nutritis læti vim</i>	<i>Cucurbitularum forma in</i>
<i>ſtatis diſcuſſoriam largiẽs</i>	<i>febris puerorum con-</i>
95	<i>ueniens</i> 159
<i>Corpora collum breue haben-</i>	<i>Cucurbitulis os ſtrictum ha-</i>
<i>tia cur ſtrumis facile ten-</i>	<i>bitibus quando ueniã</i>
<i>tentur</i> 105	<i>ſit</i> <i>ibid.</i>
<i>Corpora frigida quiete, cali-</i>	<i>Cucurbitule lati oris quãdo</i>
<i>da motu macreſcunt</i> 64	<i>uſurpanda</i> <i>ibid.</i>
<i>Corpora longo tempore exte-</i>	<i>*Cutis infantium rara eſt</i> 91
	<i>Cura</i>

<i>Curâ Græcis μσλδὸν dicta & quæ ratio nominis</i> 64	<i>Dentes quibus ante debitum tempus oriantur</i> 257
<i>Cutis dupliciter accipitur</i> 12	<i>Dentes tot sunt mulieribus, quot viris</i> 258
<i>Cutis qua ratione possit esse morbi subiectum</i> ibid.	<i>Dentium ordo</i> ibid.
<i>Cutis est veluti cloaca totius corporis</i> 13	<i>Dentitio cur tot cruciatus in infantibus pariat</i> ibid.
D	<i>Dentitionis morbose signa & curatio</i> 259
D <i>Eambulationes tardæ pinguefaciunt</i> 79	<i>Dentitio cur alui fluxum in pueris excitare soleat</i> 296
<i>Decoctum ligni materiam euacuat in ambitu corporis existentem</i> 348	<i>Depilationes in morbis perpetuæ quæ ratione oriuntur</i> 32
<i>Demosithenes balbutiem vocis exercitatione impetravit</i> 212	<i>Destillatio quid sit & quas habeat species</i> 225
<i>Dentitio quid sit, & quo pacto fiat</i> 252	<i>Destillatio in pueris raro accidens parit, & quæ sit ratio</i> ibid.
<i>Dentes sunt ossa sententiæ</i> ib.	<i>Destillationum in pueris causæ & signa</i> ibid.
<i>Dentes igne cremari nequeunt</i> 253	<i>Destillationum curatio</i> 227
<i>Dentes quo pacto ab ossibus differant</i> ibid.	<i>Destillatio mater est omnium agrisudinum</i> ibid.
<i>Dentes cur à frigore magis lædantur quàm caro</i> 254	<i>Dignorum breuitas paruitatem iecoris indicat & Auicennæ & Rasis sententiæ</i> 33
<i>Dentium usus</i> 255	<i>Dolor magnus sensum requirit egregium</i> 304
<i>Dentes cur nervis mollioribus à natura donati sint</i> ibid.	<i>Dolor in homine clamorem, metus verò silentium excitat, & quæ sit ratio</i> 305
<i>Dentes cur brutis in materno utero nascantur, homini verò minimè</i> ibid.	<i>Dulcia variolis nocent</i> 45
<i>Dentes cur soli inter ossa ad finem usque vitæ augeantur</i> 256	<i>Dulcia cur facile corrumpantur</i> 321
<i>Dentes quam ob causam decidunt ac denuo renascantur</i> ibid.	<i>Dulcium usu lubricos parit</i> ib.
	<i>Dysenterie puerorum curatio</i> 299. 300
	L 4

E	
E brietas assidua maximè locutione impedit 204	epilepsia interdum fit per cōsensum ab aliqua parte interna affecta <i>ibid.</i>
Ebrii cur balbuiant 201	epilepsia quasi per hereditatem acquiritur, & quæ sit ratio <i>ibid.</i>
effascinatio in infantib. quo pacto contingit 66	epilepsie signa 169
effascinatio tribus modis fieri potest <i>ibid.</i>	epilepsie signum futuram accessionem demonstrans <i>ibid.</i>
effascinationes arcendi modus 79	epilepsia cur exitialis sit in pueris 170
Empedoclis de ossibus opinio 36	epilepsia semel curata in pueris si aliquam partem deprauatam reliqueris, non amplius reuertitur 171
Emplastra variolis non conueniunt 52	epilepsie duplex generatio <i>ibid.</i>
Elephantiasi laborantibus labia crassissima sunt 119	epilepsia congenita sponte ætatis mutatione curatur, & quæ sit ratio <i>ibid.</i>
ἐμφύσητος materia quæ sit 90	epilepsie quæ post ætatis mutationem cōtingit cur difficillima sit curatio 172
epilepsia cur pueros frequentissime interimat 161	epilepsia pueris frigidas plagas inhabitantibus familiaris est <i>ibid.</i>
epileptici cur lunatici dicantur 162	epilepsia diætetica curatio 174
epilepsia quid sit <i>ibid.</i>	epilepsia est veluti quidam somnus 175
quo pacto ab aliis convolutionum generibus differat 163	epilepsie per essentiam difficilis est curatio 174
epilepsia symptoma est in genere motus deprauati <i>ibid.</i>	epilepsie curatio pharmaceutica 175. 176
epilepsia cum motu est euidenti 164	epilepticis posteriorum capitis vltio confert 177
epilepsie tria tempora 165	epilepsia vehementia conueniunt remedia 176
epilepsia qua ratione motus præter voluntatem dicitur <i>ibid.</i>	
epilepsie per consensum immediata causa 166	
epilepsie causarū series 168	

I N D E X.

epilepsia interdum diu latere consuevit & tandem re- uerit 177	ius 16
erysipelas morbus est & sym- ptoma 59	facies cur maiorem patiantur humorum putredinē quam aliae partes 36
ἐπιτέμεις 113	facies cur naturalem facul- tatem habeat imbecilem ibid.
ἐπιτέμεις, seu ἐπιτέμεις Latini efflorescentias, ac tubercula transferunt, & quae sit ratio nominis 7	februm synocharum ortus ab ichorum sanguinis e- bullitione, vel putredine dependet 28
Exanthemata qua ratione o- riantur 9	febris pestifera signum 41
ἐξάνθημα Aristoteli visiligo dicitur ibid.	februm redius quae sit ratio ex Galeno 109
Exanthematum nomen mul- tis commune est 22	febris puerorum vel denti- tionem sequitur, vel spon- te oritur 152
Exanthematum duo genera 23	febris puerilis omnium est ge- nerum ibid.
Exanthematis alii & lati di- scrimen ibid.	februm quae maximè pueros infestet ibid.
Exanthemata fiunt abundā- tibus ichoribus 28	febris synochos in quibus po- tissimum fiat corporibus, & cur pueros maxime in- vadat 153
ἐξουφάλου quo pacto ab um- bilici tumore inflammato- rio differat 123	febris quartana extra vige- simum quintum & qua- dragesimum quintum an- num admodum breues ef- se solent ibid.
ἐξουφάλου quot sint species & quae generatio 124	febris in pueris quibus de causis excitentur ibid.
ἐξουφάλου specierum signa primo ex Celsi, deinde A- rabum, & Graecorū sen- tentia ibid. & 125	febris puerorū cur serè sem- per salutare sint 154
Excrementa latis lumbricis laborantium cur semini- bus cucurbitae similia ap- pareant 335	febris maximè ledit actiones naturales ibid.
	febris puerorum curatio 155.
F	156
Facultas animalis oculis distribuitur per spiri-	febris incendium quae ratio- L 5

ne in pueris mitigari possit 156	fœtus interdum impuro san- guine nutritur in utero ob inopiam 25
febris puerorum precipuam iecoris & ventriculi cu- ram postulat ibid.	fœtus cum sanguine puro non- nihil etiam impuri atra- bit 16
febris synochus cum putredi- ne qua ratione oriatur 157	fœtum natura tribus modis ab excrementorum illuue vindicat 19, 20
febri synochi cum putredi- ne que in pueris conue- niant remedia ibid. & 158	fœtus si visoso lacte vescatur exitialis morbos subit 26
febris synochi putridæ præ- stantissimum remedium est sanguinis euacuatio 159	fœtum puri alimento non nutriri in utero ostenditur ibid.
febris prava & magna spas- mum inducit, heclica vero minimè, & qua sit ratio 180	fœtus in lucem editus reddit copiosius excrementum quàm pro magnitudine ipsius conveniat ibid.
Fernelij de morbillorum & variolarum origine sen- tentia refellitur 21	fœtus recens editi si vlcerebus capitis agitentur, immu- nes euadunt ad epilepsia ibid.
Fernelius sibi ipsi contradicit 22	fœtus interdum variolis in- quinati ab utero prodeunt 21
falso ἐξ αὐτῆς γὰρ ἢ ἐκ τῶν ὑ- μα διαγερῆσθαι esse statuit 23	fœtus in utero per vena vni- bilicales nutritur 88
Fernelius fallitur ibid. non rectè Hipp. auctoritatem in suum usum detorquet ibid.	fœtus extra uterum saepe ge- stat esse lentæ matris, & quæ sit ratio 91
Fernelij erratum 281	fœtus inflatione cerebri quo loco colligantur 90
feces spumose capitis affe- ctionem indicant 297	fricatio pedum & corporis qua ratione variolis proficit 45
fœtus in utero nutritur san- guine purissimo 15.16	frigus tribus de causis locu- tionem impedit 203
fœtum ali sanguine menstruo qua ratione dixerit Gale- nus ibid.	frigidum inimicū est ossibus & dentibus 254
fœtus cur contracta labe non etiā in utero egrosset ibid.	frigus

I N D E X.

figus externum alui facies indurat 291	Glandulę sedes sunt excre- mentorum ibid.
fructus pinguefacientes 80	Gracilitas corporis secum temperamentum arguit 62
Fuchsij de variolarum & morbillorum origine sen- tentia refellitur 24	Granatorum acidorum suc- cus à putredine conservat 247
Fuchsij & Arabum discor- dia ibid.	Guilielmus Placentinus falli- tur 89
Fuchsij duplex erratum ibid.	H
Fuchsius Arabae non intel- lexit ibid.	
G	
G alenus loci explicatus 16	H alius effascinari cor- pora quo pacto con- tingat 66
Galenus de macie contradi- ctio sublata 58	Hernia flatuosa medicinam admittit contra Celsi sen- tentiam 126
Galenus loci animaduersus 47	Hernie cancrose non sine maximo periculo tractan- tur 127
Galenus epilepsiam singul- tati comparat 163	Hippocratis Galeni & Celsi de strumarum materia sententia conciliatae 103
Galenus sibiipſi conciliatur 290	Hippocratis & Galeni con- tradictio sublata 80
Galenus Auicennae concilia- tus 319	Hiemi sicca ver succedens humidum febres in pue- ris excitat, & quae sit ratio 153
Galenus Hippocrati concilia- tus 323	Homo imperfectis ossibus in lucem prodit, & quae sit ratio 88
Gallinae antiquae ius aluum adstringit 300	Homo omnium animalium calidissimus est 330
Gaza in vertendo Aristote- le fallitur 101	Hydrocephalus quid sit in in- fantibus, & quae ratio no- minis 85, 86
Gaza Aristotelis locum pes- sime transfert 56	
Glandularum linguae usus 235	
Glandes nutriuntur sangui- ne pituitoso & frigido 103	

<i>Hydrocephali materia semper aquosa est</i>	<i>ibid.</i>	<i>Ignis nullum animal generare potest</i>	313
<i>Hydrocephali materia quibus in locis colligatur</i>	<i>ibid.</i>	<i>Imperforati quo pacto supernimere possint</i>	134
<i>Hydrocephalos infantibus familiaris est</i>	<i>ibid.</i>	<i>Imperforationis curatio</i>	135.
<i>Hydrocephalea intra craneum perniciosissima est</i>	88	<i>Inedia caput replet</i>	173
<i>Hydrocephali materia quibus de causis in capite potius quam in aliis partibus colligatur</i>	89	<i>Incubus antesignanus est a poplexie</i>	217
<i>Hydrocephali definitio</i>	90	<i>Infans in utero per umbilicum nutritur</i>	78
<i>Hydrocephalos quo pacto intra craneum oriatur</i>	<i>ibid.</i>	<i>Infantes cur caput magnum habeant</i>	83
<i>Hydrocephali curatio secundum Græcos & Arabes</i>	95. 96. 97. 98.	<i>Infans cur ex parte dormiat</i>	214
<i>secundum Celsum curatio</i>	99	<i>Infans infomniorum memoriam non conservat</i>	215
<i>Hydrocephalos quo modo ab alii fluxu vindicandus sit</i>	100	<i>Infantes facile à quouis importuno remedio offenduntur</i>	94
<i>Humores in plenilunio augentur</i>	108	<i>Interpretum Galeni error</i>	114
<i>Humiditas copiosa relaxat membra</i>	93	<i>Intertrigo quid sit in pueris & à quibus oriatur causis</i>	143
<i>Humiditatum per nares & palatum excretio naturalis est</i>	230	<i>Intertriginis signa & curatio</i>	144
<i>Humiditatum ex auribus fluentium retentio perniciofa est</i>	235	<i>Intestinorum usus</i>	288
<i>Humor in corpore dominans ex superficie colore cognoscitur</i>	70	<i>Intestina cur homini flexuosa natura creauerit</i>	<i>ibid.</i>
		<i>Intestinorum functiones dupliciter vitiantur</i>	<i>ibid.</i>
		<i>Intestina cum sensu sint obstructo cur eximios cruciatus sentiant</i>	304
		<i>Intestinorum tormina à quibus oriuntur causis</i>	305
		<i>Intestinorum dolores à vermicibus exitiales sunt</i>	306
I <i>ecorie & manuum pedum que sympathia</i>	33		<i>inte-</i>

intestinorum doloris curatio ibid. & 307.308	exitialis euadat 28
Ira humores ad corporis su- perficiem propellit 45	Laborum vlcera in febris salutaria sunt ibid.
Ira variolarum curationi o- pistatur ibid.	Laborum exulceratorum cas- ratio ibid.
Ira corpori frigido confert 79	Laborum exulceratorum do- lori quo pacto occurren- dum sit 123
Ira balbutiem parit 211	Lactentes pueri medicatio- nutricum curantur 43
Ignis parua ab imbecillitate musculorum laryngis ori- tur ob caloris diminutio- nem 202	ne non 172
Ignis parua a calore diminu- to orta signa 205	Lac est sanguis optimè con- coctus 69
Ignis parua a calore diminu- to orta signa 205	Lac sanguinis qualitates in- sercipit ibid.
Ignis parua a calore diminu- to orta signa 205	Lactis vitiis signa ibid.
Ignis parua a calore diminu- to orta signa 205	Lactis tenuitas & crassitas duobus signis cognoscitur ibid.
lumenta castrata non ten- entur strumis 105	Lac nutricis pharmacum ca- piens expurgat infantem 74
L	
L aborum scissura quas potissimum ledat a- ethones in pueris 118	Lactuca sanguinem ferui- dum & tenuem corrigis 75
Laborum vsus in homine & brutis ex Aristotelis sen- tentia ibid. & 119	Laganorum vsus lac copio- sum in nutricibus gignit 74
Labia quibus de causis fini- dantur ibid.	Lentium ius laxat aluum 46
Laborum scissurae cur pue- ris familiares sint ibid.	Lentium facultates ex Gale- ni sententia ibid.
Labium inferius cur metue- ribus ac iratis tremat ibid.	Lentes in aceto cocti variolis profunt 47
Labia cur frequenter a fri- gido quam a calido aere exulcerentur ibid.	Leprosi sunt qui variolis nu- quam tenantur 9
Laborum scissura quando	Leprosi seminata in corpo- re per plures annos latens 18

Leonicenus non recte inter ψευδοτήτι η τροωλότητι nullam esse differentiam asserit 197	Lumbrici qua ratione ma- ciem inuadunt 61
Liens & ceterorum corpo- ris membrorum ἀσπνί- δρα 61	Lumbricus morbus est in nu- mero 311
Liene laborantibus cicatrices ulcerum turpissime fiunt 32	Lumbricorum causa effe- ctrix 313
Lingua innaturalis cum sub iectis partibus colligatio loquelam impedit 201	Lumbricos in febribus gene- rari quo pacto dixerit He- rodotus ibid.
Lingua tunicam habet com- munem cum ventriculo 206	Lumbrici cur in lactentibus non gignantur 314
Lingua puerorum cur incō- tinens sit 207	Lumbricorum causa forma- lis & finalis ibid. & 315
Loca caua citius à grauibus replentur corporib. quàm à lenibus 167	Lumbrici qua ratione finem habere dicantur 316
Locutio tribus modis in ho- mine vitari potest 195	Lumbricorum mundi maior est utilitas quàm lumbrici- corum hominis ibid.
Locutio quo pacto in graui- ssimis cerebri intemperie- bus ledatur 197	Lumbricorum causa materia- lis 319
Locutionis instrumēta ibid.	Lumbrici ex quibus potissi- mum cibus gignantur ibid.
Locutio vitatur vel ob fa- cultatis imaginatricis, vel ob instrumentorum suo- rum lesionem ibid.	Lumbrici cur pueros potissi- mum infestent 320.
Locutio emitti potest salua voce non contra 199	unde varios colores acqui- rant 322
Locutionis ob nimiam sieni colligantiam vitiatur cura- tio 209	Lumbricorum cause 323
Loquendi impotentia mor- bosa non est in infantibus ante debitum tempus 195	Lumbrici veri in intestinis duntaxat gignantur, & que sit ratio 324
	Lumbrici cur in autumno po- tissimum gignantur 325
	Lumbrici in famelicis cor- poribus acerbiores euadunt 326
	Lumbrici cur tempore pestis quàm plurimi conspiciantur ibid.
	Lumbricorum quoad figuram tria

tria genera	ibid.	Lumbricorum vniuersalium	
Lumbrici rotundi duas habent conditiones	332	curatio, & que circa ipsam obseruanda sint ib.	
Lumbricus latus cur rarissime fiat in homine	334	& 349	
Lumbricorum tres differentie	336	Lumbricorum rotundorum curatio	351.352
Lumbricorum differentie à coloribus desumpta	ibid.	Lumbricorum latorum curatio	354
Lumbricorum signa in tres classes diuiduntur	ibid.	Lumbrici lati cur uehementioribus indigeant medicamentis quam rotundi	ibid.
Lumbrici quas in homine actiones lædant	ibid.		
Lumbrici qua ratione appetitum caninum excitent	337		
Lumbrici rotundi quibus signis innotescant	338		
Lumbricorum latorum signa	ibid.		
Lumbrici quomodo à similibus passionibus discernendi sint	340		
Lumbricorum signa prognostica	ibid.		
Lumbrici lati qua ratione cæteris sint deteriores	341		
Lumbricos virum melius sit viuos exire, an mortuos	343		
Lumbricorum curatio dietetica, & præseruatoria	345		
Lumbrici prius quam è corpore expellantur, interimendi sunt, vel stupefaciendi	346		
Lumbricorum curationis scopus præcipuus	348		
		M	
		Maciei definitio	55
		Macies quas corporis partes prius & quas posterius consumat	56
		Macies naturalis non facile emendatur	57
		Macies duplex	59
		Macies utrum morbus sit, an symptoma	ibid.
		Maciei cunctæ duæ sunt generum	69
		Macies primò actiones naturales lædit, & qua sit ratio	59
		Maciei causa immediata & interna duplex est	60
		Maciei internarum causarum series	ibid. & 61
		Macies antiqua iccoris aliquem affectum præsupponit	62
		Macies natua temperamenti siccitatem requirit	ibid.
		Macies causæ externa	64.

<i>Maciei causse quibus signis inuestiganda sint</i> 68. 69	<i>à natura supposita fuerit</i> 169
<i>Maciei propter alimentii de- fectum signa</i> ibid.	<i>Melancholia quo pacto bal- butiem pariat</i> 201. 202
<i>Maciei ob pravam lactis qua- litate[m] orta signa</i> ibid.	<i>Melancholici celeriter ima- ginantur</i> 208
<i>Maciei ob virium resolutio- nem signa</i> 70	<i>Membra queque ratione si- militudinis inuani similia membra</i> 276
<i>Macies in febris subita- nea cur exitialis sit</i> ibid.	<i>Membranarum generatio</i> 104
<i>Macies subitanea non sem- per lethalis est</i> 71	<i>Mitio in pueris dupliciter vitiatur</i> 271
<i>Macies que melior sit obese- tate, & que peior</i> ibid.	<i>Mitio partim actio est, na- tura partim anima</i> 272
<i>Macies adueticia cur in pue- ris quam in aliis quibus- nis deterior sit</i> ibid.	<i>Morbilorum descriptio</i> 10
<i>Maciei propter lactis vitium in pueris curatio</i> 73. 74. 75. 76	<i>Morbilorum & variolarum discrimen</i> 24
<i>Manardi error.</i> 11	<i>Morbilorum materia subti- lior est quam variolarum</i> 33
<i>Manus & pedes cur potissi- mum infestentur à vario- lis</i> 33	<i>Morbilli nunquam in vlcera desinunt</i> ibid.
<i>Matres non recte signentis & fabellis filios terrent</i> 173	<i>Morbi definitio</i> 12
<i>Medicamenta vehementia nutricum lac sua qualita- te inficiunt</i> 74	<i>Morbus vt effectus suas ha- bet causas, vt causa suos effectus</i> 13
<i>Medicamenta lac & sangui- nem attenuantia</i> 75	<i>Morborum qui ab aere or- riuntur conditiones</i> 21
<i>Medicamenta repellentia in parotydis fugienda sunt</i> 114	<i>Morbi non fiunt à vitio mu- tatione</i> 27
<i>Medicamenta purgantia fe- bricitantibus pueris adhi- bere periculosum est</i> 153	<i>Morbi hereditarij qui sint ibid. & quomodo fiant</i> 30
<i>Medulla spinalis cur cerebro</i> 100. 101	<i>Morbi hereditarij statim cu- randi sunt</i> 27
	<i>Morborum puerilium descriptio</i> 6
	<i>Morbi plerique noui tandem desinunt</i> 35
	<i>morbi</i>

I N D E X.

<i>Morbi acuti characteres</i>	40	<i>Elogiatur</i>	199
<i>Morbi in utero contracti interdum latent per plures annos</i>	89	<i>Mutitas naturæ propter secretatem signa</i>	204
<i>Morbus qui in medulla sit, exitialis est</i>	182	<i>Mutitas secretati conuenientia incurabilis est</i>	205
<i>Morbus egrotantis complexio ni dissimilis periculosus est</i>	184	<i>Mutitas ab humiditate orta interdum sponte natura soluitur</i>	ibid.
<i>Morbi attoniti à melancholia sunt</i>	187		
<i>Morbi omnes à Christo curati difficillimi fuere</i>	191	N	
<i>Morbi ad quibus signis cognoscatur</i>	204	<i>Natura perfectè mouente nihil agere debet</i>	49
<i>Morbus idem sub pluribus generibus contineri potest</i>	282	<i>Natura semper à fine suo frustrari nequit</i>	20
<i>Montani error</i>	313	<i>Natura non intendit morbos</i>	250
<i>Montanus graniter alucinatur</i>	330	<i>Nervi non mouent partes, sed muscoli</i>	162
<i>Mulieres menstruatae infantes visu corrumpunt</i>	67	<i>Nervi quid ad mouendas partes prestent</i>	ibid.
<i>Mulieres cur facile iniuriis exponantur</i>	68	<i>Nervi à cerebro oriuntur</i>	163
<i>Mulierum in curandis variolis error</i>	51	<i>Nervi in conuulsione vel replentur, vel exsiccantur</i>	179
<i>Mulieres maximè lumbricis infestantur & que sit ratio</i>	322	<i>Nervi duabus de causis contrahuntur</i>	ibid.
<i>Mulierum in ablucendis saepe balborum capitibus error</i>	212	<i>Nicola Florentini erratum</i>	50
<i>Musculi obediunt voluntati</i>	163	<i>Nuces pinguefaciunt</i>	80
<i>Musculorum usus</i>	164	<i>Nucum esus puerorum loquelam riuat</i>	204
<i>Mutitas soli homini conuenit</i>	198	<i>Nutricum optimarum nomine duplices sunt</i>	73
<i>Mutitas quid sit, & quo fa-</i>		<i>Nutrices optimas ex habitu corporis cognoscendi ratio</i>	73

<i>Nutricum stomachus in puerorum macie vomitu uisus quam medicamentis expurgatur</i>	75	<i>ta ingenio puerorum ob-</i>	220
<i>Nutricibus puerorum febricitantium à vino abstinentum est</i>	154	<i>Oribasi & montani de lumbricorum materia error</i>	317
<i>Nutrices perperam infantibus frequenter maximas præbent</i>	243	<i>Ossa semel è corpore extracta numquam renascuntur</i>	233
<i>Nutrimenti absumtio maciem inducit</i>	60	<i>Oues epilepsia tentantur</i>	167
<i>Nutrimenti accommodati carentia triplex est</i>	61		
		P	
O		<i>P Anis repletio cur omnium sit deterrima</i>	26
<i>O Bestias equaliter perseuerans melior est immodica macie, & quæ sit ratio</i>	71	<i>Papula ab Aetio relaxata à morbillis differunt</i>	11
<i>Oculi miris. è iniuriis externis resistunt</i>	34	<i>Paralyfis à corpore secundum magis & minus differt</i>	186
<i>Oculi non rigent, nec gelu tentantur</i>	ibid.	<i>Paralyfis cur ex toto partis motum impediât, torpor non item</i>	190
<i>Oculi cur magis in variolis infestentur quàm in morbillis</i>	ibid.	<i>Paralyseos & torporis causa continens</i>	ibid.
<i>Oculos in variolis præseruandi ratio</i>	43	<i>Paralyseos & torporis discrimen</i>	ibid.
<i>Oculi cur in copiosissima capitis humiditate claudine queant</i>	92	<i>Paralyseos & torporis cause, & signa</i>	ibid.
<i>Olea cur variolis inimica sint</i>	52	<i>Paralyfis reclusa aut incurabilis est in pueris, aut curatio difficilis</i>	ibid.
<i>Olei usus externus erysipelati nocet</i>	ibid.	<i>Paralyfis & torpori si febris superueniat aut tremor, optimum est</i>	ibid.
<i>Oleum infecta necat</i>	350	<i>Paralyseos & torporis curatio</i>	192. 193
<i>Opiata frequentius ore sum-</i>		<i>Paralyfis maioribus indiget auxilio quàm torpor</i>	192
			paren-

Parēnum imprecationes cur formidanda sint filiis 67	Pinguofactionis modus & ratio 72
Parentum ira cur filiorum corpora & animos corrū- pat ibid.	Pituita puerorum aëria est & fluxuientia 188
Paulus agineta fallitur 228	Pituita duplex est 288
Pecora saginantur sale 64	Plania non nutriuntur re- bus falsis 63
Peritoneum quibus potissi- mum de causis rumpi in pueris aut relaxari soleat 124	Plinius fallitur 267
Peritoneum discissum in cor- pore duriore non coalescit 296	Plinius non rectè Dioscori- dem damnat 276
Pernio quid sit & cur pue- ros potissimum infestet 146	Podagra cur dolores acet- bissimos pariat 229
Pernio cur manus & pedes potius innadat, quam a- lias corporis partes 147	Procidencia ani cur pueri potissimum tenentur 137
Perniorum causæ & signa 148	Procidencia ani causæ, ibi- dem & curatio 141, 142
Pernionum curatio 149.	Pueri cur stant ab ortu va- riis morbis obnoxij sunt 4
150	Pueri cur recens nati plorēt ibid.
Perniones à summo calore curantur 149	Pueri cur variolis & mor- billis magis obnoxij sint quam puellæ 37
Petri Aponensis error ibid.	Pueri plurimo indigent ali- mentis 45
Petrus Aponensis alucina- tur 325	Pueri collostrati 61
Phantasmatum multitudo balbutiem parit 202	Pueri cur facite quasuis in- iurias subeant 65
Phrenitis quo pacto balbu- tiem gignat 201	Puerorum effasinatorum signa 70
Pinguedo concrefcit à frigo- re 55	Puerorum corporis habitus difficilis est 71
Pinguedinis in animalis cor- pore rursus ibid.	Pueris effasinatorum quæ con- ueniant remedia 78
Pisces in mari non nutriun- tur aqua falsa 63	Pueri maxime calidi sunt & humidi 157
	Pueri cur vitiligini obnoxij non sint 153

<i>Pueri quibus de causis febre quartana tententur</i>	<i>ante octauum diem non imponebantur, & qua fuerit ratio</i>	ibid.	ibid.
<i>Puerorum facultas naturalis admodum robusta est</i>	<i>Pueri sub convulsione pereunt ante octauum etatis diem</i>	154	183
<i>Pueris ex febre quodnam impendat periculum</i>	<i>Pueri humiditate abundant aëria & tenui</i>	ibid.	182
<i>Pueris lactentibus vinum summopere obest</i>	<i>Puerorum complexio spasmodica secunda apertius nem dissimilis non est</i>	ibid.	183
<i>Pueri etatis inter septimum & decimum quartum annum febre syncho putrida laborant curatio</i>	<i>Pueri nervos cur habeant infirmos, bruta verò minime</i>	158.	192
159.160	<i>Puerorum nonnulli alium adstrictam habentes quæ ratione sani vivant</i>		295
<i>Puero febre syncho putrida laboranti victus tenuis conuenit</i>	<i>Pueri cur magis quam viri balbutiant</i>	158	202
<i>Pueris ante decimum quartum annum cur secunda non sit vena</i>	<i>Pueri quo pacto ad assumptionem medicamentorum per os cogendi sint</i>	ibid.	349
<i>Pueris loco sectionis venæ vel hirudines vel cucurbitulæ applicari possunt</i>	<i>Pulvis pinguefaciens Aucennæ</i>	158	77
<i>Pueri cur epilepsie maximè obnoxij sint naturalis sententia</i>	<i>Pustulas curandi ratio chirurgica</i>	166	42
<i>Pueri et ætos maxime convulsionibus tentantur</i>		168	
<i>Pueri venas habent angustas</i>	R	170	
<i>Pueri facultatem motricem & nervos imbecilles habent</i>	<i>Ranas cur veteres gustare noluerint</i>	ibid.	26
<i>Pueri cur præ timore convellantur</i>	<i>Ranuncula qualis sit in pueris affectus & qua ratio nominis</i>	181	148
<i>Pueris antiquitus nomina</i>	<i>Ranuncula puerorum causæ & signa</i>		149.150
	<i>Ranuncula curatio</i>		150
	<i>Raucedo quomodo fiat</i>		39

Remedia iecur & ventricu- lum corroborantia adstri- ctionem habere debet 156	ritus valde non exhaust 155
Remediis relaxantibus in ven- triculi affectu semper ad- dendum est aliquid con- stringentis 76	sanguis brutorum terrestrior est quam hominis 255
Remediorum, effascinationes à pueris arcentium series 78	satyrisimi significata 286
Refrigerantia impense fugiē- da sunt in pinguefaciēdis pueris & quæ sit ratio 82	scrovi tumorem cur frequen- ter incurrant pueri 133
Remedia naribus & auribus infusa facile virtutem suam cerebro communi- cant 68	scrovi tumoris sex species ibi- dem
Rigor fit à succis acribus 28	scrovi tumoris quis locus af- fectus, & qua sint causæ ibid.
Ruellij erratum 124	scrovi tumor in curatione cũ hernia umbilica convenit ibid.
	scrovi tumor facilis est cura- tu in pueris ibid.
	scrovi tumoris per testium ab- lationem curatio pernicio- sa est ibid.
	seminarie partes vitæ sunt fundamentum in macie non consumuntur 134
S Alia appetitum excitant 80	semen cânabinum pinguefa- cis 76
salsus quæ ratione pinguefacit corpora ibid.	semen ab vniuerso corpore secedit 168
sarcocolla proprietate occul- ta pinguefacit 76	seminis magna pars à cere- bro derivat ibid.
sanguine puro existente vri- na pura sunt 22	sensuum instrumenta à cere- bro oriuntur 78
sanguis cur citissime circa vssa putrescat 36	sermo motus & operatio eff facultatis imaginatricis 194
sanguinis in variolis nutrien- di tempus, locus, quanti- tas atque modus 48	sermo gravis & tardus mo- deratum animum arguit 206
sanguis salsus extenuat cor- pus & maciem inducit 63	senes cur vigilantissimi sint 215
sanguis à cruribus missus spi-	

signa præsentis morbi ab effectibus ipsius, fiat veri vero à causis sumuntur	39	cur in infantibus	ibid.
signa futuram in adultioribus epilepsiæ accessionem demonstrantia	169	somni infantium terrifici futuram epilepsiæ accessionem demonstrant	216
singultus duos affectus designat	261	somnus infantium terrificis occurrerenduratio	ibid.
singultus cur facillime infertur pueri	ibid.	somnum conciliantia	220
singultus quid sit	262	σνφωρινόςες οδορτες	258
singultus causa & signa	264	spasmus ab imbecillitate paruum nervosarū eritur	178
265		spasmus epilepsiæ similis est	ibid.
singultus ex inanitione cur exitialis sit in pueris	264	spasmi & epilepsiæ discrimē	ibid.
singultus à frigida intemperie orti curatio	265	spasmi differentiæ tres	179
singultus vitio lactis facti curatio	ibid.	spasmus symptoma est in genere motus depravati	ib.
singultus ex euacuatione curatio	ibid.	spasmus vel à repetitione fit, vel ab inanitione	108
σπείλας morbus puerilis est & quæ sit ratio nominis	221	spasmus vel essentialiter vel per consensum fit	ibid.
spasms cur tempore ætatis potissimum oritur	ibid.	spasmi interna causæ	ibid.
spasms causæ ac signa	222	spasmus in plenilunio potissimum pueros inuadit	ibid.
spasms cur foueam pariat in principio	ibid.	spasmi differentiarum signa	181
spasms curatio	223	spasmus à dorso incipiens exitialis est in pueris & quæ sit ratio	ibid.
somnus longior maciei confert	79	spasmus qui ex siccitate fit consummata incurabilis est	182
somno cohibentur euacuationes	45	spasmus in pueris facilius est curatu quàm in viris	183
firmus humectat	93	spasmi ex repletionem curatio	184
somnus infantium immensus minime morbosus est	215	spasmi à siccitate orti curatio	185
somni usus	ibid.	σπινθηρίς musculi usus	137
somni terrifici quo pacto oriatur		σπινθηρίς	

<i>spiritus triplici modo conqui-</i> <i>nantur</i>	66	<i>strumis plerumque non sen-</i> <i>tantur eunuchi</i>	ibid.
<i>spuma & stridor in epi-</i> <i>lepsia quo pacto fiant</i>	169	<i>strumarū causse externæ</i>	ib.
<i>stercora humana cur ma-</i> <i>xime fateant</i>	321	<i>struma cur pueros & suæ</i> <i>maxime infestent</i>	ibid.
<i>striga veteribus que dicta</i> <i>sint, & ratio nominis</i>	65	<i>strumarum differentia</i>	ibi-
<i>struma cur pueros potissimū</i> <i>& mulieres offendant</i>	97	<i>dem</i>	
<i>struma morbus puerilis est,</i> <i>& cur scrophula dicatur</i>	101	<i>strumæ glandulis indurata</i> <i>loco & materia similes</i> <i>sunt</i>	106
<i>struma suisibus familiaris est</i> <i>ibid.</i>		<i>strumæ quando fiant ex glan-</i> <i>dulis</i>	ibid.
<i>strumæ à glandulis indura-</i> <i>tis differunt ibidem, &</i>	102	<i>strumas à glandulis distin-</i> <i>guendi modus empiricus</i>	107
<i>strumarum materia diversa</i> <i>est à materia sanguinis &</i> <i>carnis</i>	ibid.	<i>strumæ iuuenum cur letha-</i> <i>liores sint quàm puerorū</i>	ibid.
<i>strumæ potissimum in collo</i> <i>oriuntur</i>	ibid.	<i>strumarum que facilius, &</i> <i>que difficilius curentur</i>	ibid.
<i>strumæ quas actiones ledant</i> <i>ibid.</i>		<i>strumis colli male curatie</i> <i>quo modo vocem amitti</i> <i>coningat</i>	108
<i>strumarum locus affectus</i> <i>quis sit</i>	103	<i>strumæ post curationem ite-</i> <i>rum atque iterum reuer-</i> <i>tuntur</i>	108
<i>strumæ nunquam à flauo</i> <i>fiunt</i>	ibid.	<i>strumarum materie visci-</i> <i>dias & contumacia</i>	ibid.
<i>strumæ cur interdū folliculū</i> <i>habeant, interdum non</i>	104	<i>strumarum curationis ne-</i> <i>cessitas</i>	109
<i>strumarū causse antecedentes</i> <i>ibid.</i>		<i>strumarum curatio in quo</i> <i>consistat</i>	ibid.
<i>strumarum generationi</i> <i>qua corpora sint aperta</i>		<i>strumarum curationis scopū</i> <i>ibid.</i>	
		<i>strumarum curatio dietetica</i>	110

tibus	237.238	cedis aut comitatur febris	40
possille terminari solent in a-		variolarum febris impetiosa	
lias graues aegritudines	238	est	ibid.
239.240		variola fere semper in icho-	
conillarum curatio ibid. &		rem purulentum finiun-	
239.240		tur	ibid.
trepidantibus incalescis pe-		variola proprietate quadam	
ctus & facies	124	oculos petunt	ibid.
trepidatio quid sit	211	variolarum locus affectus	
tubercolorum perforatio in		qua ratione cutis fit ibid.	
variolis quo tempore &		variolarum materia calida	
quomodo sit administran-	41	est & viscida	13
da		variola & morbilli equa	
tubercula inter pueriles mor-		siunt quibuslibet tempori	
bos relata ab Hippocrate	42	bus	21
tumorum capitis causse an-		variolarum accidentia à ma-	
tecedentes & externae	91	teriae prauitate oriuntur	
tumoris infantium capitis			22
stansosi signa	92	variola pestis nomine ab A-	
tumoris humorosi signa ib.		rabis designantur	27
tumor ex aqua intra craneu		variolarum & morbillorum	
factus lethalis est	93	caussa materialis & effe-	
tyranni duo quibus potissi-		ctrix	28
imum trahuntur pueri		variolarum materia exiens	
voluptas & dolor	155	crassior est quam morbillo-	
		rum	ibid.
		variola vitio caeli primum	
		orta sunt	30
		variola quibus de causis in-	
		terdum lethales sunt inter-	
		dam salatares	29
		variolis quinam facilius te-	
		rentur	31.38
		variola quibus de causis co-	
		tagiose sint	34
		variola quibus de causis ge-	
		nas, labia, & praepusium	
		maxime deformant	35.36
			M 5

Variolas & morbillos ignorarunt veteres 26
 Vari potissimum in facie nascuntur 9. & quae sit variatio 32
 variolis vnumquemque hominem aliquando tentari necesse est 33
 variolas perpetuo aut ante-

variola faciei celerrime sup- purantur	36	fert corpori	65
variola quam ob causam in ter se dissideant	ibid.	venus immodica caluitiem inducit	168
variolarum causse internæ	37	venus immoderata cerebrum neruos, & locutionem le- dit	204
variolarum causse externæ ibid.		ventriculus non conuelliur	179
variola morbi sunt acuti	40	vesicularum corpora impura sunt	67
variolarum signa	39. & 40	vetule teneros infantes coin- quinant	ibid.
variolas & morbillos cur se re semper delirium comi- setur & facum retentio	39	vigilie exsiccant mirificè	94
variola duplici de causâ in- gulant agros	41	vigilia puerorum immodica unde oriatur	219
variola cur interdū videan- tur declinare nec vere de- clinant	ibid.	Quibus signis cognoscatur ibid.	
variola etiam verè declinan- tis qua ratione interdum agros perimat	ibid.	vigilia puerorum immodica curatio	220
variolarum & morbillorum curatio penè eadem est	42	vinum in macie puerorum accommodatum quale esse debeat	79
variolarum curatio	43-44. 45. 46. & c.	vinum crassum nutrimenti vehiculum esse nequit	80
variolarum albedo quid in- dices	49	vinum pueris & nutricibus interdicitur	173
variola qua ratione citò ex- sicari possint	9	vinum neruos vehementer percellit	ibid.
Varronis locus explicatus	79	vini nigri & generosi potus spasnum in pueris parit	181
vasorum, quibus vterofatus alligatur, in homine & brutis differentia	123	vires saepe simul nutriuntur & morbus	158
venarum meseraicarum ob siccatam coarctatio ma- ciem inducit	60	vitia facultatis ratiocinatri- cis quo tempore fieri inci- pian	161
venus immodica maciem in-		vitia motricis cerebri facul- tatis trium sunt generum ibid.	

vita animalium in calido & humido conficitur	312	vomitum maximè repletur ca-	112
viniigo sine tuberculo macula est	7	vomitum in affectibus aurium & oculorum vitandus est	
ulcera capitis sponte nata à defillationibus puerorum vindicant	214	ibid. cur pueris familiaris sit 267. & nausea puerorum causse & signa 269.	
ulcerum & cicatricum à variolis relictorum curatio 52		puerorum curatio 270	
ulcera in partibus sicis facile sanescunt	100	voracitas ad strumarum generationem maxime confert	105
ulcera capitis parum doloris inducunt & que sit ratio 36		vox à morrice & voluntaria sit facultate	170
umbilici tumor duplex est 123. tumoris inflammatorij generatio 124. tumore cur facile corripantur infantes ibid. tumor inflammatorius triplex in se multigenus complectitur ib. tumor inflammatorius ab umbilico prociديو triplici differentia seiungitur ib. tumor quo pacto fiat ibid. tumorum qui faciles & qui difficiliore sint curatio 126. puerorum tumoris inflammatorij curatio 127. 128. 129. tumor reliquis remediis non confertentibus vel incidendus est vel vrendus 131		vrine incontinentia quo pacto in pueris oriatur 271	
vomitum venarum quid sit Hippocrati	89	vrine incontinentie in pueris causse & signa 273	
		vrine incontinentie curatio 274. 278	
		vrine difficultas duplex est 276	
		vrine difficultatis causse & signa 277	
		vrine difficultatis curatio 278	
		vsarum pedes & manus cur esse sint incandissimi 33	
		veteri calor cibos incoctos attrahit 91	
		vulnera quibus in partibus difficulter coalescant 36	
		vulnera inflicta à ferro cur difficiliter curantur quam ab aere 43	

FINIS.

INDEX RERVM MEMORABILIVM

IN TRACTATVM
de Venenis.

A CONITVM scorpio	^A actiones lese immediate sequuntur morbum 3
nis morsus medetur 46	actiones humani corporis triplices sunt 5
aconitum vnde dictum sit 122	actiones corporum sunt compositorum 16
aconitum succo dumtaxat radicis ledit & quæ sit ratio ibid.	agarici vsus venenis resistit 86
aconiti genera ibid.	agens omne efficacius in termino agit quam in motu 9
aconitum temperamenti est calidi & humidum ibid.	agens omnia opus habet certæ sui instrumenti quantitatæ 21
aconitum proprietate naturæ deleteriæ interimit 124	alexiteria quo pacto mediâ esse inter corpora, & venena dicantur à Galeno 77
aconitum parari potest ita vt interimat statuis temporibus ibid.	alexiteria in magna quantitate sumpta nocent 78
aconiti symptomata & effectus ibid.	alexiteria quo tempore assumenda sint 79
aconitum qua ratione solo genitalium contactu interimit & homines, & bruta 125	anima qua ratione bonas & quo pacto malas edat actiones 2
aconiti vel intus accepti, vel extrinsecus gladio, aut sagitta immissi curatio 126	anima cur interdum spiritus vocetur à Galeno 30
accidentium conditio 17	animalia venenosa qua ratione fugari possint 66
actiones humani corporis ab una anima producuntur 2	animalia venenosa quo pacto venenâ ei aculent 80
actiones ob instrumenta variantur 2	Argentarius

Argenterius & Fernlius a-	aspides toto corpore venenati
lucinantur 4	sunt ibid.
arbores sub quibus animalia	aspidium morsus symptoma-
venenosa plerumque lati-	ta 57
ant 61	aspidis venenum primo cor
Arnoldus Villanovanus re-	offendit deinde cet ebrum,
prehenditur 118	& iecur ibid.
arsenicum pessè prodest 46	aspidis venenum exitiatis-
arsenicum duplex est 119	simum est ibid.
arsenici fabulosa generatio	aspidium morsus curatio ib.
ibid.	aspidis veneno aduersantia
arsenicum factitium dupli-	remeaia 98
citer fieri potest 120	Auerroes fallitur 73
Arsenicum calidum est &	Auerrois rationes refelluntur
siccum in fine quartii gra-	77
dus ibid.	Anicennas alucinatur 83
arsenicum euphorbio letali ⁹	Augustinus Suesanus falli-
est ibid.	tur 98
arsenici accidentia ibid.	Anicennae & arabum circa
arsenici curatio 121	serpentium temperamen-
arsenico copiosus aqua potuit	ta error 101
confert ibid.	
aspidium tria genera 95	
aspidium solertia ibid.	
aspides auditu praediti sunt	B Aspiliscus halitu & visu
subtilissimo ibid.	interficis 80
aspides cur surdi nuncupen-	Botesi fungorum sunt inno-
tur 96	centissimi 132
aspides semper pares incedunt	boves cur facilius à scorpia-
ibid.	num icu laedantur quam
aspides temperamenti sunt	sues 59
frigidi ibid.	
aspidis morsum qua ratione	
inflammationes & rubo-	C Adauera venens in-
res subsequantur ibid.	terentorum cur ne-
aspides venena morsu insun-	que à feris neque ab au-
dunt ibid.	bis sententur 62
aspidium cæro cur non ingre-	calor animalis quos modis ex
diatur antidotes ibid.	

linguatur	35. 36	contraria sub vno genere co-	
caloris nativi incolumis qua-		tinentur	16
tuor conditiones	36	cordis temperies omnino de-	
calor animalium duos peren-		struitur à vi venefica	7
nes motus habet	ibid.	cordis temperamentis in mor-	
calor natiuus verus est vene-		bis venenosis qua ratione	
norum domator	48	vitiatur	ibid.
caloris animalium & planta-		cor à venenis congelatur &	
rum discrimen	52	exsiccat	ibid.
calpurneus coitus uxores vene-		cor veneno peremptorū cur	
nabat	66	cremari nequeat	ibid.
cantharides vesicam offen-		cor egregiam a natura natū	
dunt	3	est constitutionē qua possit	
cantharides toto corpore ve-		iniurias euasare	8
nenatae sunt	52	cor aerē astrahit ratione va-	
carnes asse cur difficiliter ve-		cu	ibid.
nenari possint quàm elixæ		cordis & partium genitaliū	
68		στυπιδία	41
castoreum vera est opij anti-		corpus imbecillo corde prædi-	
dotus	116	tum citissimè à veneno in-	
cerussa siccandi facultate pol-		gulatur	22
let	128	corpora calida moderatè, ci-	
ciborum venenatis conueniē-		tius à frigidis venenis inte-	
tium series	92	rimūtur quàm frigida	41
cicuta sturnos nutrit & ca-		corpora sana cur medicamen-	
pras	11	tis iracunda nō sint	47
cicuta vino in exigua quanti-		cornua animalū & præfer-	
tate commissa letalis est		tim cerni vim habet aduer-	
41		sus venena	69
cicuta quandoque nutrit			
43		D	
citrinum & citionium venenis		Δολιχηρίων καὶ Ἰουρασίμων	
resistunt	71	discrimen	14
Claudius imperator boleto		Deleteria duū sunt generū	15
fungo venenatus interiit		Deleteria propriè qua dicantur	43
67		Dioscorides cur colchicon ve-	
compositiones circa quas mor-		nenium diligenter descri-	
bi sunt, trium sunt in hu-		pserit	54
mano corpore generum	5	Dispositio	

Dispositiones affectus sunt permanentes corporum compositorum 4
 Dolor ab humido solo non induciur 35

E

Eleborus insaniam curat 46
 Error omnis in principio commissus maximum quid est in virtute 10
 Euphorbium unde dictum sit 117
 Euphorbium conservatur in ventriculis ovium ibid.
 Euphorbium calidum & sic cum est in quarto gradu 118
 Euphorbij effectus ibid.
 Euphorbij assumpti curatio ibid.
 Excrementa animalium venenosorum cur minimè feciant 56

F

Febri ardens ledit cor vehementer immediate 4
 Frigida soporem inducunt 40
 Fulmen vim venescam deiecit 57
 Fungorum esu interdum integra familia extinguuntur 49
 Fungus terre fermentum Nunc candro dicitur, & quæ sit ratio 131
 Fungorum genera ibid.

Fungi quæ ratione interimantur ibid.
 Fungi quo modo pravam & deleteriam qualitatem acquirant ibid.
 Fungorum venenosorum effectus, & symptomata 132
 Fungorum venenosorum an sequam assumantur signa ibid.

Fungi venenati peculiaris antidotus est mel 134
 Fungorum venenosorum curatio 133. 134

G

Galenus de venenis commentaria desiderantur 2
 Galenus à duplici contradictione vindicatus 42
 Galenus meram de viperis fabulam proponit 99
 Galeni locus à Iulio Scaligero correctus 123
 Galenus atucinatur 128
 Genus proximè venenorum est mistum non naturale 48
 Gypsum duplex 127
 Gypsi & cerussæ varius usus ibid.
 Gypsum & cerussa temperamenti sunt sicci ibid.
 Gypsum & cerussa qua interimantur 128
 Gypsi & cerussæ accidentia & signa 129
 Gypsi & cerussæ assumpti curatio 130

H Erba venenosis anima
libus inimica 66
riomo qua ratione alijs ani-
malibus venenum esse pos-
sit 60
Hydrargirum scabiei serina
medetur & leprae 46
Hyosciamus cerebrum offen-
dit 8

I

I Gnis putredines statim co-
hibet. 126
Inestina citissime à venenis
offenduntur 88
Ioannes Gorraus fallitur
123

L

L Aluca venenum est si
largiter edatur 43
Leporis marini veneni pul-
mones exulcerat 8

M

M Arsi carnis aspidis
vescuntur 96
Medicamentorum purgan-
tium & venenorum dif-
ferentia 13
Medicamenta, & venena pis-
trefacientia calida sunt &
humida 123
Medicina peculiare munus

est circa corpus humanum
versari 19
Medici circa particularia vir-
tantur 94
Mithridates à venenis non
offendebatur 20
Morbi venenosi definitio 2
Morbus omnis immediatè le-
dit actiones ibid.
Morborum tria genera 6
Mortui cur oculos sursum
conuertant Aristotelis ra-
tio 64
Mors non est finis rerum
45
Mouere non est opus muscu-
li, sed anima 3
Mures accepto arsenico si sta-
tim aquam biberint libe-
rantur 121

N

N Atura completitur
materiam, formam
& compositum 19
Natura cur omnia venena
non creauerit graui odore
& sapore prauius 53
Nocturna pollutione cur ho-
mimes dumtaxat sententur
non bruta 55
Nutritio dupliciter accipi po-
test 32

O

O Dores cur serpentibus
inimici sint 66
Odores

Odores exhalationes sunt ca-
 lida, & sicca *ibid.*
 Odores grati ex coctione sunt
 ingrati contra 115
 Opium duobus modis fieri po-
 test 112
 Opium frigidum est in 4. gra-
 du 113
 Opium calidum non esse 115
 Opium qua ratione effectus
 producat calidos *ibid.*
 Opij assumi effectus & sym-
 ptomata *ibid.* & 116
 Opij haustu laesorum curatio
 116
 Opiu cur letalius sit euphor-
 bio 118

P

Phalangiorum, & ara-
 nearum discrimen
 108
 Phalangiorum nominis ra-
 tio *ibid.*
 Phalangiorum & aranea-
 rum conditiones *ibid.*
 Phalangiorum & scorpionis
 ictuum discrimen 109
 Phalangij & araneis qua
 ratione quidam impunè
 vescantur *ibid.*
 Phalangia temperamenti sunt
 frigidi, & sicci *ibid.*
 Phalangiorum differentia
 110
 Phalangiorum morsus sym-
 ptomata *ibid.*
 Phalangiorum morsus cu-

ratio 111
 Pherecydes pediculis interijt
 81
 Pharmaci significata 13
 Pituita qua ratione & extra
 corpus & in corpore frigi-
 da fiat 41
 Pili boum cur tenuiores sint
 quam suum 59
 Plato reprehenditur 12
 Plauti iocus 131
 Plinius alucinatur 45
 Plinius anime immortalita-
 tem non cognouit *ibid.*
 Plinius pediculos serpentes
 appellat 82
 Plinius decipitur 81. necno
 111
 Plutarchus fallitur 109
 Posus aceti copiosior ab aspi-
 de commotis confert 98
 Proprietates à tota substan-
 tia quatuor generibus con-
 tinentur 13
 Preservatio corporum à ve-
 nenis per ricijus rationem
 65. 66. 67. 68.
 Præcauendi à venenis ratio
 per medicamenta 71. 72

R

Ranas cur veteres edere
 non consueverint 67
 Remediorum aduersus vene-
 na series 71. 72. 73
 Remedia alexiteria sanis con-
 uenientia 75
 Rerum non naturalium con-
 dicio 11

Σ

Rute aduersus venena effica cia	74	Serpentes delectantur vino 70 & qua sit ratio	83
S		Serpentes pedibus orbi, & o- uipari sunt	81
Alia hominis ieiuni a- lijs animalibus vene- num est	60	Serpentes dupliciter accipi possunt	82
Sal venenis refertur	93	Serpentes frigidi sunt tempe- ramenti	ibid.
Sanguis menstruus interdū purè venenosus euadit	92	Serpentes quàm ob causam diu sine cibo viuunt	83
Sanitas immediata est bona- rum affectionum causa	3	Signa venenum indicantia prius quam corpus huma- num ingrediantur	60.61
Scorpio iclus venenum effun- dit	104	Signa venenis interemptorū	62
Scorpionis venenum album est	ibid.	Signa venenoris assumtorū	ibid.
Scorpionis peculiare ex Pli- nio condiciones	ibid.	Signa venenorum que ab a- nimalibus eiactantur	ib.
Scorpionum nouem genera	105	Signa venenorum diagnosti- ca	63
Scorpionum proles numero- sa est	ibid.	Signa venenorum prognosti- ca	64
Scorpiones temperamēti sunt frigidi	ibid.	Somnus venenatis non con- uenit, & qua sit ratio	92
Scorpionis albi morsus sym- ptomata	ibid.	Spiritus est primum anima instrumentum	30
Scorpionis viridis morsus symptomata	ibid.	Spongia à canibus deuorata qua ratione ipsos interi- mata	131
Scorpionis nigri morsus sym- ptomata	106	Sturni cur à cicuta nō interi- mantur	23
Scorpionis veneni mole mi- nimum facultate maxi- mum est	ibid.	Substantia duplex considera- tio	2
Scorpionum morsus curatio	107	Substantia qua ratione magis, & minus suscipiat	17
Scorpionis & canis rabidi venenum est corpus mistū	17	Sues cur à scorpionis morfu minimè ledantur	59
Semen in corpore retentū ve- nenosum euadit	54	Sues à scorpione commorfo s aquas	

aquas ingrediantur flammam moriuntur, & qua sit ratio	ibid.	venenosorum morborum varia nomina	2
fues cur hieme pilos non amittant	59	venenosi morbi character quando perfectus sit	3
T		venenosorum actio semper vehementis est	ibid.
T arantula propria est Italiae	III	venena quo magis occulta & placida videntur, eo deterioriores edunt effectus	ib.
Tarantula morsus symptomatica	ibid.	venenosi morbi, & ardentis febris discrimen.	4
Taurorum sanguis venenosus est	68	venenosorum morborum natura in quo consistat	ibid.
Temperamentum totius substantiae a Gal. dictum quid sit & quare ratione vivitur	6	venenosi morbi similes sunt	5
Turritio dupliciter accipi potest	16	venenum nonnumquam a corde ratione vacui attrahitur	9
Theophrastus reprehenditur	12	venena spiritibus vitalibus aduersa sunt	ibid.
Theophrasti & Arabum de gypsi temperamento controuersia sublata	129	venena qua de causa directè cor ipsum petant	ibid.
Theriaca corporibus sanis ob duos fines exhiberi potest	76	venenosorum duo genera	10
Theriaca recens nullis corporibus sanis conuenit, & quare sit ratio	ibid.	venenosorum morborum causa	ibid.
Theriaca attrahit venena	77	venena ancipitis sunt naturae	11
Theriaca quo tempore assumenda sit	79	venenosorum tractatio quare ratione ad medicum pertinet	12
Toxicum vnde dictum sit	122	veneni definitio	16
Trahitur aliquid ab alia re dupliciter	8	veneni subtilitas est non accidens	ibid.
V		venena venenis contraria	17
V enenosorum morborum principale subiectum	1	venena res sunt non naturales	18
et cor	1	veneni, quilibet suapte natura natus est corrumpere	19
		venenosorum in interimendo differentia	20
		venena aliqua non interimunt	20

<i>Et quae sint causae</i> ibid.	<i>qua ratione refrigerando</i>
<i>venena quae agunt proprie</i>	<i>interimant</i> 41
<i>tate cur citius interimant</i> 22	<i>venena frigida quo pacto à ca</i>
<i>venenorum aliqua cū, ali-</i>	<i>lore nativo mutari dixeris</i>
<i>qua tardè interimunt, &</i>	<i>Galenus</i> 42
<i>quas ob causas id contin-</i>	<i>venenorū materia duplex</i> 44
<i>gat</i> 22. 23. & 24	<i>venenā quo tempore creata</i>
<i>venena aestate collecta omnium</i>	<i>fuerint</i> 45
<i>maxime operantur</i> 23	<i>venenorū causa efficiens ib.</i>
<i>venenū cur citius in ieiuno</i>	<i>venenorum triplex finis</i> 46
<i>corpore effectus suos pro-</i>	<i>venena qua ratione morbos</i>
<i>ducas quomodo in saturo ib.</i>	<i>curare possint nec corpus</i>
<i>venenum parari potest, ita ut</i>	<i>offendere</i> 47
<i>celerius, aut tardius inte-</i>	<i>venena cur in humores vitio</i>
<i>rimat</i> 25	<i>fos agant</i> ibid.
<i>venena quā vi interficiunt</i>	<i>venenorū artificiatium diui</i>
26. 27. 28	<i>sio</i> 48
<i>venenorum proprietās speci-</i>	<i>venenorum naturalium va</i>
<i>fica quid sit</i> 28	<i>riae differentia</i> 49. 50
<i>venena quo pacto nutrire</i>	<i>venenorū frigidorū series</i> 53
<i>possint</i> 31	<i>venena frigida quā vi interi-</i>
<i>venenum quomodo in corpo-</i>	<i>mant</i> ibid.
<i>re humano latere possit,</i>	<i>venena qua ratione in corpo</i>
<i>quod gestantem non offen-</i>	<i>re nostro fieri posse dicantur</i>
<i>dat, & alijs noceat</i> 33	54. 55 <i>venenorum</i>
<i>venena purè humida non re-</i>	<i>& praeorum corporis no-</i>
<i>peruntur, & quae sit rati-</i>	<i>stri humorū similitudo</i> 56
<i>o</i> 35 <i>venena ab animali-</i>	<i>venenorum animalium &</i>
<i>bis eiaculata statim in cor-</i>	<i>aliarum rerū discrimē</i> 58
<i>pus agūt, reliqua nō itē</i> 37	<i>venenorum è corpore none-</i>
<i>venena proprietate ledentia,</i>	<i>xistentium accidentia quo</i>
<i>vel qualitate calida quo</i>	<i>pacto remitti possint</i> 64
<i>pacto ad actum deducantur</i>	<i>venena extrinsecus tripliciter</i>
38 <i>venena frigida duas</i>	<i>inferri possunt</i> 80
<i>habent conditiones</i> 39	<i>venenati à serpentibus cur si</i>
<i>venena frigida quomodo ad</i>	<i>gore tenentur</i> 82
<i>actum deducantur</i> 40	<i>venenorū curationis scopi</i> 83
<i>venena frigida in corpore à</i>	<i>venenorum quae extrinsecus</i>
<i>nativo calore calefacta</i>	<i>ab animalibus inferuntur cura-</i>

I N D E X.

curatio	85. 86	vina cur in Scythia & Ger-	
venenorum ore fumorum		mania caluissima oriatur	
curationis scopi	87. & cu-		124
ratio	89. 90. 91. 92. 93	viperæ venenum effectus pa-	
venena quantum ex se requi-		rii frigidus	53
runt vsu purgantiu	90	viperæ inter omnes serpentes	
venena quibus remedijs e cor-		sola fati vinum parit	95
pore educenda sint	ibid.	viperæ a fatu non enecantur	
venenorum tres ordines	102		96
venenum, quo tinguntur sa-		viperarum differentia	ibid.
gitæ, qua ratione efficax		viperæ maris & faminæ	
fit & letale	125	discrimen	100. 101
veteres cur figulinis mensu-		viperæ temperamenti sunt fro-	
vii maluerint quam sta-		pidi	100
neis aut argenteis	69	viperis venenum fere totum	
vinum est venenum cicu-		est in capite	101
ta	39	viperarū morsus symptoma	
vinum viperinum aduersus		ta	101. 102
venena valet	78. 79	viperarum morsus signa leta-	
vinum viperinū dupliciter		lia	102
feri potest	79	viperæ cum folijs fraxini ad-	
vinum viperinum an corpo-		tiota	103
ribus sanis conueniat	ibid.	viperarū morsus curatio	ib.
vina cur in Aegypto nascan-		vomitum in curatione vene-	
tur frigida	114	norum excitandi ratio	ibid.

F I N I S.

INDEX IN CENSURAM
Hippocrateam.

A

Alcmeō Crotoniatēs Pythagoræ auditor primum inuenit corporum dissectionem ab Herophilo

Aristoteles penè totius Philosophiæ seminâ ab Hippocrate mutuauit 6

Aristoteles ab Hippocrate multa præclara accepit, eū tamen nunquam citare dignatus est 14

C

Causæ multæ iudicium offuscant 2

Cardanus errat 11

Clemens Alexandrinus 15

D

Discipuli plerique & filij præceptorum ac parentum doctrinam colunt 3

F

Francanzianus errat 11

Facies Hippocratica 6

G

Galenus breuitatis & obscuritatis Hippocraticæ causas proposuit 5

Galenus sibiipso contradicit 9
Galenus Cōmentarij 4. in lib. de Alimento 11
Galenus Cōmentarij 3. in lib. de humoribus ibid.

H

Hippocrates quis fuerit 1. quando vixerit ib. multi illi libri falsò adscripti ibid.

Hippocrates multi ibid.

Hippocratis & Aristotelis libri diu sepulti, corrosi & deprauati inuenti 3

Hippoc. libri ab Artemidoro Capitone, nec non à Dioscoride collecti ibid.

Hipp. lib. in 4. classes partiti 2. 3

Hipp. Doricus Ionica lingua scripsit 4. Lingua Græcæ peritissimus. ibid. non semper propriè loquutus ibid.

in phrasi fuit Homericus; in nominibus fingendis promtus, ad mensuris conceptus explicandos idoneus ibid. nemo post natos homines illo sapientior, & Medicinæ peritior exiit 5. in edendis sententijs duram compositionem amant 6

